J. LISSNER
KSIĘGARNIA ANTYKWARNIA I HANDEL
PRZEDMIOTÓW ARTYSTYCZNYCH
W
POZNANIU

Uc 9148 2°

VA

1892.8294

Uc 9148 t. 1

Biblioteka Jagiellońska
stdr00015389

BIBLIOTEKA KLASZTORU WACŁAWA S. WROCŁAW

ANNALES POLONIÆ
AB OBITV
VLADISLAI
QVARTI

SCRIPTORE
VESPASIANO
KOCHOWSKI

Anno Ch. 1682

Ex Libris Josephi Joannis

Denkio Tł. 297 7447

ANNALIVM POLONIÆ

AB OBITV

VLADISLAI IV. CLIMACTER PRIMUS.

Ex libris Josephi Joannis Łęczycki Mansio: Eccl: Dr: Met:

SCRIPTORE

VESPASIANO

á KOCHOW

KOCHOWSKI.

ANNO CH: MC. DC. LXXXIII.

1944 Dubl.

CRACOVIÆ.

Ex Officina GEORGII & NICOLAI SCHEDEL,

S. R. M. Ord: Typ.

Quid enim eſt, quod non Fortuna cũ voluit, & florentiſsimo detrahat: quod non eo magis aggrediatur & quatiat, quo ſpecioſius fulget? Modo noſtras in nos manus aduocat, modò ſuis contenta viribus invenit pericula ſine autore. Bellum in media pace conſurgit, & auxilia ſecuritatis in metum tranſeunt; ex amico inimicus, hoſtis ex ſocios. *Seneca Epiſt. 92.*

INSTYTUT OSSOLIŃSKI
Wtórot
Ex Biblioth. Regia Berolinenſi.
Vtls 641655

✠

SERENISSIMO
ac
POTENTISSIMO PRINCIPI
JOANNI III.
REGI POLONIARVM
MAGNO DVCI LITHVANIÆ
&c. &c. &c.

Oncuſſam diuturno furore Martis Poloniam, exhibeo Tibi REX POTENTISSIME, monumentis literarum in Faſtos redactam: quæ varios per caſus agitata, iam nunc cum DEO bono coaleſcentibus ſenſim vulneribus, non vſq; videtur ſalutis deſperatæ Ludibrium nuper Orbi fuimus, circumiectorum vndiq; populorum rabie lacerati; dubium tamen calamitoſiores, an fortiores Sarmatæ? niſi quod ſæpius contigat, vt quos iniquitas fortunæ depreſsit, eos Fati occulta diſpoſitio attollat. Triſte fateor offert ſe ſcribendi argumentum, quia tamen exactorum malorum meminiſſe iuuat;

huc & ego operã verti, vt ægrè exſiccatos, fuſi olim ſanguinis riuos, ſtillicidio atramenti commutarẽ. Quippe remittente aliquantum bello, obliuio expugnanda erat, extinctos Heróàs ducendo ad monumenta famæ: Regumq; geſta ob ſuſtentandam pulcherrimarum rerum æternitatem, neceſſum duxi memorari. Equidem Magiſtratus Populo ius dicit; in Magiſtratum Regibus poteſtas eſt: ſed nec iſtos exleges Numen habet, geminos in facta eorum delegando Iudices; Conſcientiam, & Famam. Ac prior quidem intra arcana mentis reſidet, Fama nihil vocalius, nihil mortalibus carius; vt ſanguine huic litare, imò vitam deuouere pretium operæ putent. Fama eſt magnarum mentium theatrum, immortalitatis ſequeſtra, inſtrumentũm gloriæ, rectè factorum præco: quæ Principes virtutum ſplendore irradiatos, etiam non viuos, tranſmittit ad memoriam poſterorum. Eripi vita abdicari Regna poſſunt, ex perenni Fama æternitas, etiam cum Principes non erunt, hæc manebit. Ex hac noſcant poſteri facta Maiorum; etiam Exteri, natæ in bella gentis facinora, præſenti æuo prodigia, futuro exempla: diſcãt vtriq; proſperos ſucceſſus Numini deberi; calamitatem virtutis Lydium eſſe.

Expediebat præterea REX Inclyte, cum deſtinatione Fatorum Piaſtæum rursùs ſæculum Poloniæ aperueris, vt qualem eam de manibus Prædeceſſorum Regum accepiſti, Annalium miniſterio in publicas tabulas referatur. Exhibebunt iſtæ quãtum ex magnitudine Polona deceſſerit, ſub externis! quid ſub Patritio Rege, recuperatum aut conſeruatum ſit? Quo gradu ſub vtriſq; ſtetit libertas? ab origine gentis adhuc ſuperſtes & durabilis; niſi adamantis exueret naturam, cui pretium & venenũ iuxta ſunt: & quæ alia decora, exquiſito ſeptem ſæculorum molimine, rei Polonæ authores condidêre. Ominari dehinc vel invidiæ licebit, quidquid amplitudinis noſtræ Piaſtæâ rotâ in ſublime provectum; quantum gloriæ & libertatis, ſub vbere externæ dominationis faſciculo efflorueriť; id omne credi Tibi REX conſeruandum; ſcilicet gentilitij Clypei Tui tutela & præſidio: cùm imperia, quibus parta ſunt artibus, retineantur.

Neq; vota & expectationem noſtram in hanc diem deſtituit euentus. Memor accepti, rependis æquiualens Poloniæ; imò maius quid præſtitiſſe conaris, quàm dederit ipſa Tibi. Licetſi enim ſupra omnes honoris apicem contulerit Tibi Patria; decora tamen hæc paria accipiendo feciſti; nam, cùm ſemel conferre noſtrum fuerit: Tibi ſemper attollere Patriam & conſeruare incumbit. Auxit Fama pretium Virtuti, & Maiorum Tuorũ merita,

angularem lapidem honoribus posuêre. Purpura hæc quâ nites, non prius Tyrio murice tingi debuit, nisi Aui Tui, Avunculi, Fratris Germani, fuso à Barbara manu sangvine decentissimè rubuisset. Parentem nè memorem? qui Odrisiæ Lunæ in armis terror, in Verbis stupor, innumeras illas Ottomanni myriades, ne omnia armis licerent, dicēdo vicit. In hanc meritorum hæreditatem vocatus, non ignavus successor accessisti; addidisti suffragiū ipse, per ædem laboris ad ædem honoris eluctatus, & cui non aliter Sceptro admovere manum placuit, nisi memorabili prælio Turca victus, cædibus & sangvine suorum, ad solium viam straviſſet, Ita demū dum ad assem exolvere gratitudinē Patria non valet, supplevit vices collato diademate Numen. Non ideo tamen REX creatus es, vt fueris; sed tutellā Civium non dominationē accepisse memor, satagis vitam & incolumitatē dare ijs, qui Te supra se extulerunt. Gloriâ fortitudinis hostē distines; æstimatione prudētiæ à com-Monarchis observaris; hinc suspectamus tantùm Barbarorum arma, nec sentimus: penetramus externorum factiones, nec lædimur: insuper (quod præfiscinè eloquar) Miles ille nuper Provincijs onerosus, iam nunc fas disciplinæ agnoscit, & sub auspicijs Tuis in hostem tātum ac prælium, iram & manus servat.

Verùm, non ego hîc Panegyrim molior: adeò tantùm facilem Musis Principem, pro Annalibus meis, si modò cum veritate consentiunt, recensionem ac tutellam postulaturus. Namq; in illo bellorum æstu, qui casus fuêre quos non pertuleris? quæ prælia, acies, halosses, cōgressus, impressiones, quibus non inter fueris Bellator, vel præfueris Imperator? Hinc oculatū Te arbitrum Historia poscit, libertatis ac veritatis conscia, ubi non reprobaveris ingens solatium habitura. Quod si à vero dissona, si apocrypha adfert, fac Tuo prorsus Iure ô REX quod Alexander Aristobulo, pro Hydaspi Vistula erit. Subtilius fortasse dabunt alij, nuci Iliadem inclusuri, vel nè sua nuditate veritas pudefieret, sub cristalino speculari, seriem gestorum exhibentes. Mihi rudiores ab agro Musæ, pro modo ac mēsura calamitatis Patriæ, calamum aptavêre; nè brevitate obscurus, vel subtilitate veritati iniurius essem. Sanè constat, non ignobilem apud Græcos statuarium, caput Minervæ in sublimi ponendum, rudiori formâ effigiasse: quod cùm oculos propè spectātium, gratiam non haberet; tandem in fastigio templi locatum, ingenioſi operis & artis gloriā tulit: nec mihi citra votum alea cadet, si veritas ac libertas, gemina mortalium bona, ex crassiori Annaliū prototypo à seris Nepotibus cōspiciantur.

Sed minus est, ut pro aliquali Musarū partu bella narrantiū, eum Regem exorem, qui cum lacte &

ſanguine, literarũ ſimul & armorũ hauſit principia; ac qui vixdum poſtulata popularium audit, petitis annuere ſolet. Hinc fiducia plenus poſco humillimè, non abnuc, REX ad hæc minuta oculos Maieſtatis vertere: nam & Sol per depreſſas convalles ultro radios ſpargit; & fluvij non rogati ad infcriora decurrunt. Sol & Tu Patriæ, ac Polonis tuis Flumen habearis, unde aquas beneficiorum accipiant alij, alij ſperent. Satis pro Annalibus; niſi pro ſcriptore ſubiungere auſim, eum eſſe, qui Te bellãte REX ſanguinem fudit; iam nunc Regnante ac vtinam ſoſpite, atramenta refundat. Vive itaq; diu Felix, Regna proſperè, & quo non alter ſurrexit Maior, mẽſuram nominis Tui imple. Acut Te Patrem Patriæ præſtas, ita Tibi REX, ita florentiſſimæ Domui Regiæ benefaxit DEVS.

Dabam Goleniouijs rure meo paterno
ipſo Purificatæ MATRIS-VIRGINIS *die,*
Anno Ch: 1683.

SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS
Obſequentiſſimus Cliens &
Fidelis Subditus,

VESPASIANVS à Kochow KOCHOWSKI,
Eques Polonus.

APPROBATIO.

ANnalium Poloniæ, Climacterem primum prudenter à Generoſo Dño VESPASIANO à Kochow KOCHOWSKI, Equite & Hiſtoriographo Polono, obſeruatum, atq; erudito calamo, ſincerâ veritate, ac integra fide, conſcriptum, accuratiùs legi; vbi ſingula ſtatui Politico ſcienda agnovi, orthodoxæ verò Fidei Romanæ nihil cõtrarium adinveni. Quare poteſtatẽ facio, ut tam præclarum opus typis vulgetur, lucemq; publicã cum inſita ſibi ſolidæ eruditionis luce, aſpiciat, pares in orbe Polono Scriptores excitaturum.

M. SIMON STANISLAVS MAKOWSKI,
Sac: Th: Doctor & Profeſſor, Collega Maior, ad Eccleſiam Collegiatam Sancti Floriani Cuſtos, Curatus Naſiechouienſis, Contubernij Hieroſolimitani Prouiſor, Sac: R. M. Secretarius, Studij Generalis Cracouienſis
RECTOR.

Sancta TRIAS, ô æterna!
✠ Pater, ✠ Fili, ✠ Spiritus;
Rudi ſtylo hæc Sexterna,
Tibi fero primitûs:
Quæ poſt acta, Tu da noſſe,
Nota rectè tradere:
Quantum velle tantùm poſſe,
Sine fuco ſincerè.

ANNALIUM POLONIÆ CLIMACTER PRIMVS.

BEllum dicere ordior; non gentis inferentis ductu, aut auſpicijs nobile, non Ducum lædentis partis claritudine illuſtre; quod, ſeruile haud immeritò dixerim: ſed, vndè primitiuo velut fonte, connexa bellorum ſeries, in Regnum hoc profluxit; eo in nomen Polonum coniurantis Viciniæ odio, vt circumſitæ gentes, acſi ſtirpitùs Sarmatiam eradicari oporteret, ſtudia manuſq; deſtruendæ commodârint. Quicunq; Amici, Fœderati, inſuper Vaſalli, imò horret animus dicere Subditi, florentiſsimo Regno peſſundando, conſilia vireſq; contulêre. Non iuratæ pacis vincula aduerſùm vim valida, irritæ ſacroſanctæ fœderum Leges, vanum innocentiæ vocabulum, nullâ conſeruandi Antemuralis Chriſtianitatis curâ, offendimur immeriti: nec laceſſentes Sarmatæ, æſtu nocendi, & libidine belli, cunctis flagrantibus. Si quæ gens alia, Nos profectò dedimus grande patientiæ documentum, cruentiſsimo bello quaſſati; ac uniuerſalem armorum concurſum perpeſsi; oſtendimus, ſicut ætas parentum vidit, quid in pace optimum, ita nos: quid in bello deterrimum, experti ſenſimus. Equidem, oc-

culta Fati Lege factum crediderim; vt populus, Regni amplitudine, & multarum gentium in vnum corpus coalitarũ capax, terreſtri militia inclytus, ſed longa pace torpeſcens; cladibus ſuiſmet excitatus, dum bellum pati cogitur, inferendo ſuſciperet. Eadem, illâ PROVIDENTIÂ operante, futurum ſperans; vbi ſequiorem Fortunam malorum noſtrorum ſatietas tenet, erutam ruderibus calamitatum Poloniam, in priſtinum gloriæ & amplitudinis ſtatum, erectum iri. Erupit primò inteſtinum ex Rebellione bellum, quod: mox obſterricante Tauricanâ Barbarorum potentiâ, in immenſum adoleuit. Ingeſsit ſe dein, choragio Moſchus, ambitu Vniuerſalis Ruſſorum Monarchiæ amititiam exuens: Suecus Sztumdorfienſi fœdere, Tranſyluanus veteribus nouelliſq; pactis, in pacem obſtricti; rebus conclamatis Poloniæ, occaſionem habere quàm expectare malebant; vt quot Orbi partes, tot hoſtes nanciſceremur. Neq; amici defuêre: Germania ſuppetias tulit, Dania armorum diuerſionem fecit, Gallia mediationem, Hiſpania ſtudium, Batraui Legationes; quantùm cuiuſq; velle, aut poſſe, attulêre. Etiam, quæ prima concutiendæ Poloniæ conſpirauerat Barbaria, erigendæ acceſsit. Quanta egimus, aut paſsi, vaſta dicendorum materies eſt: fœcunda exemplorum, ſed vbiq; triſtium ſeges. Dicturus ſum, vt cæſi vel obſeſsi Exercitus, Prouinciarum excidia, Vrbium haloſes, fœdera violata, malefidas ſociorum conſpirationes, militares abrupto obſequio ſeceſſus, Ciuiles ſub Principis, ac Legum nomine turbas; aliaſq; nuſquam auellanæ nucleo includendas malorum Iliades. Hoc Te, ô SUPREME rerum Arbiter DEUS, auxiliante aggredior! & in Te Veritatem æternam reueritus, pro captu meo & poſſe, res geſtas explicabo! Virtutem agentiũ exhibebo, non fortunam; non accuſabo quemquã, niſi publici criminis reum: non indebita hyperbole oneraturus. Vinitorem ago, cui vbere vindemiâ, vt dulces aut acidæ vuæ ſunt, reconduntur omnes poſthac vſui; eo, quo natura ſapore dotauerit: & mihi eodem modo, conſtituent Hiſto-

Hiſtoriam qui geſſêre, tradam ego; illi, materiem operi; ego fidem laboremq; commodabo. Nemo, procuratam à verbis commendationem, à gratia laudes, ab aſſentatione encomia ſperet: nemo, imperatum à timore ſilentium, ab odio vexam, à malignitate aſteriſcum arbitretur. Extra curam mihi, in comparationem venire decoris ingenijs, quæ, (vt non infertile eorum ſæculum eſt) in componendis faſtis Poloniæ, adferent cultæ facundiæ vim, authoritatem nominis, & peruicaciam affirmandi: mihi ſufficiet, viſa pleraq;, pleraq; integerrimis Commentarijs excerpta narraturo modeſtiâ omnibus, veritatis indagatione cedere nemini.

Quæ hominum, etiam Regnorum & Imperiorum vita eſt; oriuntur, conſurgunt, florent: donec ordinario reuoluti temporis curſu, validiſsima illa Monarchiarum corpora, concutiantur, decreſcantq;. tandẽ, vel rurſus aſſurrectura, vel penitus interitura. Ac, licetſi externa vis conuellat Imperiorum baſes vehementer; maiori tamen diſcrimine, interna mala afflixêre potentes populos, quaſſatamq; Ciuilibus diſsidijs Reip. carinã peſſum dedêre. Idem hoc ſæculo experta Polonia, grauiſsimo bello ex cauſa rebellionis vexata. Cui narrando me accincturus, Coſacorum originem, & quomodo ex ignobili appendice, in id ſuccreuerint nominis, ediſſero. RUSSIA, celebre olim Sclauonicæ gentis imperium, ſub nomine & peripheria Sarmatiæ continetur; complectens populos, ab ipſis Euxini Ponti oſtijs, ad vltimos Europæ Aſiæq; terminos, vaſtiſsima terrarum ſpatia incolentes. Quos vſitato vocabulo Ruthenos, (diuerſi ab illis, qui eiuſdem cognominis Galliam Aquitanicam inhabitant) cultiore dialecto Ruſſos, ex Græco Roxolanos nuncupamus. Gens ea, vni olim parebat Monarchæ, nunc bifariam diuiſa; Moſchi, Poloniq; Regis, dominium agnoſcit. Iazygas, Baſtarnas, Dacos, Cumanos, eas oras tenuiſſe Annales perhibent; Roxolanorũ, vel ſolius Corn: Taciti teſtimonio, celebriori nomine, dum bellicoſa na- Cromerus. Tacitus

tio, ſtrepentia eo tractu Ottonianorum Ducum arma, varia ſorte reprimit; clarius cæteris nationibus, ex bellica virtute, nomen ſuum effecit. Româ dein tranſlata Imperij ſede Bizantium, etiam illuc per arma notitiam ſui traduxit, donec ſub Baſilio Macedone commercio religionis cicurata: poſt, ſub Conſtantino Iuniore Imper. Orientis, per Sororem Annam affinitate tractabilior, in res Græcanicas magis æqua, & meliùs affecta fuit; Maximè ſub Wołodymero bellicoſiſsimo Monarcha, in vltimos Septemtrionis receſſus, Roxolaniæ fines protendente. Quæ diſtracta interuentu temporis amplitudo, nomen in præſens ac veſtigia, priſcæ magnitudinis retinet. Eam itaq; quâ in Ortum protenditur interiacente Campeſtrium ſolitudine Pontus Euxinus alluit; ab Auſtro Cherſoneſus Taurica, Moldauiæq; fines adiacent; Occiduo latere Poloniam reſpicit. Sarmatas eſſe, vel Ouidij Elegiæ probant, apud quos ſub frigido axe exilium tolerando, incaleſcentis amatorio igne carminis, pœnas exolvit. Ita, vbi ſui iuris Ruſsia, cum Polonis gente finitima, ſangvinis ac idiomatis (non niſi dialecto diſcors) eiuſdem, dum vel finium proferendorum, vel Virtutis oſtentandæ libido ſvaſit arma, vario Marte luctabatur; quoad vi maiore, & Fortuna Polonorum fractis æmulantis populi viribus, in ſocietatem magis libertatis, quâ in dominium Victoris conceſsit. Eaq; huic inclyto Regno vnienda, non alterius, niſi Caſimiri Magni (etiam ſub Caſimiro amittenda) opus fuit. Ille namq; quo rituum morumq; diuerſos, in concordia ſtabilitæ ſocietatis retineret firmiùs, Iurisdicundi ſimilem vtriq; populo normam, & communionem impertierat libertatis. Sub Iagellone poſthac Rege, inter Fratres Principes ſanguinis diſpertita, ne iſti ſine patrimonio agerent; quale, legum periti appennagium vocant. A Fato dein, aut vnione Lithuaniæ fuit, vt poſtliminio, ad corpus Regni membrum rediret: atq; ita facta eſt,

Ruſsia diues opum, ſtudijſq; acerrima belli.

Varius

Varius dehinc ſtatus eiuſdem fuit, illius malis ægreſcebat Polonia, ſimul & ſuccurrebat calamitati: ipſa viciſsim, mutuo eius vtebatur Pacis bono, vbi terminata Triumphis bella, in altiſsimam Prouincias Regni tranquillitatem reſoluiſsent. Hinc diuitiæ, abundantia, Panis ſaturitas; mox, vbi deſes otium illecebra peccandi eſt; in luxum abuſumq; optimæ Pacis fructus conuertebantur. Ruſsia maximè Terram promiſsionis egit, non mellis tantùm lactiſq; vbere ſtillicidio, ſed rerum, quas natura vſui poſtulat, omnigeno prouentu locupletiſsima. Solum iſtic fertili glebâ frugum ferax, & vbique herbidum eſt: irrequieta arva ſeruntur, ſtercorationis haud indiga, ac raro per alternos annos telluris reſpirio. Equorum bellacium nullibi fæcundiores Equireæ; armenta item boum proceritate inſignium, quos pecuaria Ruſsiæ, magnæ parti Europæ tranſmittunt. Hîc, Proceres quantùm bello boni, tantùm in faſtum ac pompam compoſiti, figere domicilia: numeroſo famulatu ac ſatellitijs ſtipari, in ſumptus ac luxum nimiùm quàm effundi, inter ſeſe leui contentionum occaſione committi, in gloriam vertebant. Nobilitas proſeminatis ſtirpibus in Regno augeſcens, ex arctiore natali ſolo, in patentes longè latèq; oras traſmeabat; terræ vbertate, & minori impendio comparandis ex empto poſſeſsionibus, allecta. Plebs maximè exuberauit, cuius increſcente frequentia, vt aucto habitatorum numero conſuleretur, nouæ Coloniæ deductæ ſunt, præcipuè Ducum militiæ Polonæ auſpicijs, qui æſtiuis Caſtris, ne miles ſine diſciplina ageret, per camporum deſerta, vallum foſſaſq; pro ambitu oppidorum condebant: quibus operis abſceſſu legionum, conuenæ aduerſùm vim externam protegerentur. Poſt, ex ſucceſſu, & rei priuatæ emolumento, pleriq; Magnatum eiuſmodi erectiones attentauêre, vnde nomen Vkrainæ enatum, ac ſi limitaneæ Regionis: Coloniæ verò, Słobody dictæ; quod, incolatus earum, ad certum tempus, à laboribus vectigalibuſq; immunis exiſteret. Tres Palatinatŭ Vkrayna quâ latè patet

complectitur; Kijovienſem, Bracłavienſem, Czerniechovienſem. Quorum deſcripti limites, à montano circa Tyram tractu, Barium verſùs, ac hinc tranſuerſim ductâ lineâ, ad vſq; Lithuaniæ fines, quâ Prypetius Boryſthenem ſubit, diffuſa locorum amplitudine, ſinuantur. Hîc Arces, à veteribus Ruſsiæ Monarchis conditæ, quæ præſidijs inſeſſæ, vim hoſtilem arcerent. Potior, præter Kijouiam, Bracłavienſis ad Hippanim, Cyrcaſſy, Kaniovia, aliæq;, impoſitis à Rege Præfectis dudum tenebantur: quibus ſub prima occupantium Tauricam Scytharum initia, velitares alas auctorare permiſſum. Verùm poſt, maiore vi incurſantibus Scythis, addebat Reſpublica cohortes ſtipendiarias, à Proceribus item, aulici Comitatus ac ſatellitia ſubmittebantur, quæ hoſtium latrocinia reprimerent, etiam talionem illatis armis reponendo. Invaluerat ſubinde mos, vt bellatrix Iuventus, dum per arma exercendæ virtuti deeſt in pace occaſio, Campeſtria vbi Barbari alere equos ſueti, incurſaret; prómptis paſsim ex plebe delectibus, cum ea voluntariorum infra rigorem diſciplinæ militia, nonniſi à Ductoribus decus, à gregarijs prædam omnino reſpiceret.

Bielſcius. Referunt Annales, Prædiſlaum Landzkoronium vigore animi & natalibus illuſtrem Virum, dum Sigiſmundi Primi Legatum ex Taurica reducem, non aliam excurſionum Scythicarum cauſam adferre audit, quàm ægrè Hanum cohibere poſſe numeroſas ditionis ſuæ *Hordas*, (ita vocantur) quin erumpant; generoſo ardore ſuccenſum, euocatis è Ruſsia Voluntarijs, Tartaros in ſuo ſterquilinio adortum, ac ad vſq; Meotidis oſtia Aquilas Polonas circumtuliſſe; interceptiſq; manubijs, par pari reddidiſſe. Tales vbi ex ſucceſſu collibuêre excurſus, vt promptior quiſq; cogere turmas, deſtinare in prædam qui prædarentur, ac incurſare ſolitudines perrexit: &, ſi quando non ex iuſto aut commodo publico laceſſeretur hoſtis, metu pœnæ, in confinio illo, á Patria remoti conſidebant. Acceſſêre legibus nocentes, & perdita exulum ingenia, vt numerum Societatis

tis illius, ita audaciam complentia. His anteſignanis, noua militia extulit caput; ac ſub Sigiſmundo Primo, Coſacorum nomen recens audiri cœpit. Memoratum Paprocio, Samuelem clara è ſtirpe Zboroviorum, dum cæſo Wapouio proſcriptus, pœnæ ſe ſubducit; aggregatum Coſacis, cum quibus quæ tentauerit vel ſubierit pericula, abundè ille exequitur. Hic itaq; miles, notæ in conſectando hoſte celeritatis, vocabuli Kozak appellationem accepit; quod à Capra (vernaculè Koza) veloci animalculo deriuatum; denotat agmina, quorum expeditæ agilitati, nihil abruptũ ſit, nihil imperuiũ. Ac, ne ſine ſede, nova (ſi Dijs placet) ſocietas ageret; excitata per adſitam Boryſtheni ripam receptacula, celebriùs alijs Zaporoże, á quo poſt Kozacy Zaporoviani, ſeu Zaporoſcenſes, nominari cœpêre. Locus is infra ſcopulos Boryſthenis exiſtit, quorum tredecim obiectu, naturæ ſolertia, violentiam fluminis conſtrinxit: lapideis molibus graduatim per intervalla locorum, nulla humanâ arte potentiâuè diſpoſitis. Haud pigebit inſerere cognomina eorum, quò ex nomenclatura Sclauonica, maneat memoria, rem proprietatis Polonicæ eſſe. Nempe ſupera parte, Kodak, Sulſki, Łochanny, Strzelczy, Dzwoniec, Kniehynin, Nenáſytec, Woronowa, Zabora, Wowniow, Budyłow, Tawułzany, Liczny, & Wolny. Infernè itaq;, quâ Samarra fluvius Boryſtheni miſcetur, in peninſula nidificando, à liminibus illis ſeu Porohy, locum Zaporoże nominauêre; acſi trans limina Boryſthenis ſitum. Eo modo inſeſſus amnis, nauigandi vſum ſuggeſsit; vnde poſtea, conſtructis lembis, ignotum mare auſi rimari. Remigij genus è tilijs Myoparones, (ab illis Czayki vocatos) quadraginta & vltra hominum capaces, conficere ſoliti. Ii ſunt mobilitate ſummâ, & apertum per mare facilè gyrabiles; qui, nec vada timent, nec fluctibus periclitantur. His celocibus, vaſtos Ponti Euxini receſſus pererrant; ac quandoq; Thraciæ minoris, ac Aſiæ littora populati, armorum terrore, Turcici Imperij penetralia tremefecêre. vndè

Turca

Turca ſæpiùs accepti contemptûs æger, querimonijs aliquando & minis, factum incuſavit; retorſione à Polonis oppoſita, quòd ſimilia à Scythis pateremur. Equidem, aduertebat id curas Reip. non mediocriter; tam, quò pacta cum Ottomanicis illæſa ſeruarentur, quàm finibus Regni, redactâ in ordinem Coſacorum militiâ, maiore curâ tutâdis. Apparebat ſiquidem, augeſcente eorum multitudine, vbi per convictum & affinitates plebi permixti agunt, ſeditionibus obnoxios fore: proin, ſeueris pœnis, ſi quando exceſſerant, coerciti; ad regulatæ militiæ leges haberi cœpê. re, diſciplinâ & vſu armorum imbuendi: neq; præmijs, quæ excitarent merituros, deficientibus. Tribuni ac Legionum
Conſt: Anni 1590. Legati, quò firmiùs vinculũ conſtantiæ foret, è Nobilitate Polona creati, Centuriones minorumq; Ordinũ Ductores, *Aſſawułæ*, *Attamani*, è Sympatriotis; ſed, quos fides & emerita ſtipendia commendaſſent. Præſcriptus lege publica ſex mill: numerus, condito Albo ſeu Matricula, vndè *Regeſtratorum* nomen, quò, à cætera plebe, inautoratus ſervitio Reipublicæ miles, diſcerneretur. Summo iure præſidebat datus à Rege *Commiſſarius*, ſi opprimerentur, innocentum vindex & protector; vbi demeruerint, exactor pœnarum. Quovè fixo loco eius militiæ Magiſtratus bellicus ageret, Trechtymirouia oppidum in Palatinatu Kijovienſi aſsignata, circumiacentibus qui huc pertinerent vicis, in vſum ac poſſeſsionem eius militiæ tranſcriptis. Cæterùm, evenit plerumq; plagâ illâ, iuſta viris ſtatura, validi robore artus; & non tam aſperitate cæli, quàm aſsiduitate periclitandi, durati animi. Ob prædam flocci vitam pendunt, nihil recuſant ob formidinem, gloriæ famæq; nomina, prætextui tantùm adſumuntur. Vigiles, ac interritos agere; ſitim & inediam iuxta pati; Æſtatis Hyemiſq; iniurias, ſine ſenſu tolerare; vſus, qui etiam naturam vincere ſolet, docuit. Aggerunt valla, producunt opera, & quæ ſunt pedeſtris militiæ, exequuntur: vbi inſiliêre equos, obſervant exactè ſigna; ac, vt primò acerrimè prælia ineunt, ita ſuſtinendi itera-

iterati impetus, non eadem eſt conſtantia. Aſt exploratum miſsi, hoſtem planè ſuffurantur, locorum notitiâ, & ſuopte ingenio, ſagaciſsimi veſtigatores. Etiam, quoties vſus popoſcerit, epibatas agunt, in aqua lutræ, in terra talpæ, & omnia exactè conveniunt. Nihil maiora flumina traiecturos moratur, ſi quæ impedimenta, & imperitos nandi, connexa arundine, vel faſcibus vimineis defluitant: vnus præcipit, eadem cunctis feſtinandi cura. Ineſt genti naturalis quædam malorum tolerantia: ac dum omne ſtudium, ſi bello deſtituantur, in prædas venatumq; intendunt; labor inediaq; tranſit in mores. Crebris convivijs ac aſsiduâ compotatione nihil vſitatius, hìc partæ diſpendio vitæ ſpolia, impendere lubet; & quæſitas bello manubias abſumere volupè: vt planè & enixè cupiant otium, & penitus aſpernentur. Hi itaq; ſunt Coſaci, ruina florentis Regni, & ſuâ ipſorum perfidiâ Orbi cogniti: non temnenda virium manus dum propugnat, fatalis omninò vbi nocet. Quos ab recentibus authoribus Nizovios, quaſi inferæ partis Inſulanos, Łubienius noſter vocari aſſerit. Vſcocos alij, ac Marteloſios, vt Paulus Iovius, nuncupant: plurimi gentem diſcretam, & ſingularis nationis nomen Coſacos in hanc diem putauêre. Certè ij, tam qui in Pontum exonerantis ſe Boryſthenis anfractus, quàm, qui Rhæ Tanaiſq; fluminum ripas inſident, promiſcuo vocabulo Coſaci dicuntur: noſtrates quidem Zaporoſcenſium vocabulo, qui ad Moſchoviticum limitẽ degunt, ad Donũ flumine Donenſium nomine compræhenſi.

His legibus moribuſq; aliquandiu, ſi non æquo, tolerando tamen Iure, cum Coſacis agitatum eſt; donec illi circumſpicere vires ſuas, frequentiamq; ſpeculati, quam dono Reipublicæ habuerant libertatem, debitam interpretabantur. Præcipua ex plebe motuum ſemina, quæ per municipia inſoleſcens, dum legitimam pœnæ irrogationem pro Tyrannide, & debitum ſubiectionis pro ſervitute accipit; inſtinctum, in enormes vexandæ Patriæ au-

ſus dabat; inſinuando querelas ſibi obſtrictis, & Coſacis prætenſas iniurias, in ſe redundaturas perſuaſis. vnde, aliquoties ſeditio; dehinc rebellia arma in Regnum ſtricta, tandem iuſto bello, ſed non inulto Marte oppreſſa. Neq; laude præclarorum facinorum fruſtrandi Coſaci. Etenim, præterquam quòd Scytharum in Ruſsiam incurſiones egregiè cohibebant, etiam viam modumq; Ottomanicæ potentiæ concutiendæ oſtenderant; vel inſuper mutuo metu deſtinendis Barbarorum inſultibus. Dum ab ijs, Synopen Septemtrionalis Aſiæ Emporium, expugnatum direptumque; Aslan Horodek, validum Turcarum propugnaculum dirutum; ipſa deniq; Conſtantinopolæos pomæria, excitatis incendijs fumo ſuffuſa, Coſacis ex Vniverſali Orbis prædone prædam agentibus. Quòd ſi vſurpando maris dominio, vti occaſione collibuiſſet, gloriam, & pacem, & Coſacos, à nobis haberemus. Tandem verſa cithara in luctum, & medicina in toxicum degenerauit,

Piaſecius.

ANNAL-

ANNALIUM POLONIÆ

AB OBITV

VLADISLAI IV

LIBER PRIMVS.

An. CH. M. DC. XL. VIII.

Elenchus Contentorum.

PRincipium Anno eſt à morte VLADISLAI IV. *cuius accurata deſcriptio, Locus, morbi cauſa, eiuſdem incrementa, quæ cõſcientiæ diſpoſitio? ac in extremis animi firmitas, dehinc obitus? Numerus annorum Vitæ ac Regni, Genus, Coniugia, Qualitates. Subiuncta vt mortem pranunciaverint, Cometes, Solis deliquium, ac prater alia, Imaginis D. Virginis* MARIÆ *Xiazy illachrymatio. Sequitur mortem Regis immediatè in Vkrayna rerum commotio, authore Chmielnicio: cuius ortus, parentes, ac genius, breuiter perſtricta. Bellum antehac inter Turcas & Venetos geritur, vnde ſtimulus in arma Vladiſlao, quibo Reſpub: intercedit. Per Vkraynam inter plebem tumultuum occaſio, Rebellionis initia & indicia, in quæ Vexilliſer Regni non impigrè aduertit; niſi ex negligenti Tribuni ſequeſtro elapſus Chmielnicius, fugâ ſe in Zaporoze ſubduceret. Seditionis dein per emiſſarios ſparſa ſemina, diuerſo vt in talibus ſolet argumento. Hîc de Vnione Sacrorum Ruthenorum aliquid: etiam, vt plebi non in totũ moderato dominio per Vkraynã ab Heris habita fuerit, ac quæ priuatæ in ſeditionem, ac mox in arma cauſæ eualuerint: vt ſolicitati in ferendam opem Scythæ, & rebellibus aſſociati. Generalis interim Exercituum Regni it obuiam, quibus viribus? Diſpertit copias, quarum pars cum Stephano Potocio occurrit hoſti ad Zoltenody. vbi pugna, demum perfidia Coſacorum proſtigantur Potociani. Hoc ſucceſſu elatus Chmielnicius, in noſtros ad Corſunium inuehitur, pugnatur & hîc non inſtrenuè: dein militariter carrago retro mota abit: tandem, fato magis quàm Virtute hoſtium ſuperantur Noſtri, captis cum omni Commilitio Ducibus. Primas Regni mortem Regis publico programmate denunciat, afflictâ Interregni ſi vnquam ſpecie. Comitia Conuocationis abſoluuntur. Etiam hîc Chmielnicius internuntios mittit, cum Literis. Procerum inter ſe ſimultates. Caſimirus ac Carolus Fratres Principes,*

1648. pes, Ordinibus de Orbitate Regni, isti vicissim illis de iactura Fratris condolent. Hîc de Casimiri aduentu in Regnum nonnulla. Sopiendis Vkraynæ turbis mittuntur Commissarij, citeriore Russia bello vndiq; ardente. Kisielij in promouenda pace studiũ. Krzywonosus rebellium alter Dux emergit, cui se Wisniovecius opponit, ac primò inconditum agmen cædit; dein, nullo succursu recedit. Mox Regimentarij exercitum in hostem ducunt, vbi malè inter primores militiæ, conuenit nihilominus tamen, Zástawiensis cum Wisniovecio conciliantur. Inter istos ad Constantinouiam de prosequendo bello deliberatur, de quo Kisielij; wisniouecij item sententia. Rebelles ad Pilawce ingenti Exercitu considunt: Superueniunt & Poloni, interim fatalis quædam in decretorium certamen mora, donec Scytharum accessione, aucti rebelles nostris cum pugnant. Pugnæ eius descriptio, ac, vt per imprompta consilia fluctantibus animis, probrosè à Pilawcijs discessum fuerit: ita Exercitus numero validus dissipatus, Castra direpta sunt. Sequitur Electio Regis, quo modo & more Comitia ea instituantur? circa quorum inchoationem Leszczynij ad Ordines sermo. Multiformis hîc materiarum concursus, de Exorbitantijs, de Confœderatione, vnde enatæ Dissidentium in Religione querelæ? multa cum acrimonia nec sine turbamento. Casimiri ac Caroli Principum Fratrum, de seponendo ambitu Regni vltro citroq; literæ. Casimiri mox ad Ordines Legatio. Rationes pro natiuo Rege: item pro Fratre natu maiore Caroli: item legatio. Externorum Principũ etiam. Carolus demũ ambitu Regni se abdicat, summo omniũ applausu, statimq; Casimirus in Regem nominatur. Deductus in templum Electionis Diploma recipit, Pacta confirmat, ac in Arcem regressus, Regias curas ab Indictione Comitiorum Coronationis orditur. Sub hæc, bellum nihil remittit, Leopolis obsessa, oppugnata, strenuè defensa: ac, vt hostis abitum sine noxa pacisceretur, collato ære liberatio procurata. Zamoscium inde itum: eius Oppidi initia & situs; tunc verò quantus in defensionem apparatus, & qui præsidio præfecti. Circumsessa ea, muri machinis verberati, instituta oppugnatio, sed frustra. A Czarnota Chmielnicius exagitatur, dolo oppidanos ad deditionem tentat; etiam Weycherum literis compellat externum ratus. Colluditur dehinc scriptis, verbis, donis. Cùm iam Varsauiam ad Comitia delegosset ille internuntios, suo more vulpizans, & omnia populationibus permiscens. Tandem Smiarouius à Rege mittitur, finitam Electionem et potiri rerum Casimirum adtulit. A quo suadetur Chmielnicius in regressum, ac obsidionem Zamoscij soluit. Hic finis Anno.

INcipit aperiente Fato Scenã, luctuosa rerũ protasis, VLADISLAO IV. Rege Poloniarũ vitâ functo, tot sæculis quot annis dignissimo Principe. Ac licetsi promiscua mortis legę teneamur omnes, Regũ tamen quò eminentior natalium ratio; eò curiosiùs causæ decessus, & momenta extremorum perquiruntur. Proin, non abs re fuerit, accuratam nouissimæ periodi descriptionem, à non nemine, qui hærenti in limine æternitatis Principi aderat, ex fide tradere; recisâ imper-

impertinentium prolixitate: cuius tenor. *Placuit Diuinæ bonitati, Serenissimum Regem Vladislaum, à caducis ad meliora transferre Regna, & immortalibus aptare Sceptris. Describam ego luctuosissimæ narrationis seriem, & quæ oculis auribusq; coram excepi, eodem quo peracta sunt ordine, accuratè referam. Non quia ciere vel innouare merorem velim; sed quia futurum spero, funestam cæteroquin narrationem; non paucas habituram solatiorum miscellas.* VILNÂ *quatriduo progressi* MERETIVM, *vna die quieti datâ; postridie, quæ fuit* IV Maij, *Rex actutùm inter venatorum turmas, primò mane campos ingressus, non priùs venari desijt; quàm sol ad occasum declinaret. Vbi vehemens (corporis sui pondere graui) & nec dum optimè post morbos compositæ valetudinis agitatio, occasionem causamq; fatalis obitûs prouocasse creditur. Ibatur enimvero curru venari per inuia, tanto animi æstu, vt cum auriga, non satis audacter, pro reuerentia Maiestatis, Regem sulcis stipitibusq; superueheret; Rex ipse excusso homine, habenas raperet, & animo alacriter indulgens, cursumq; nulla lege temperans, nec currui parceret, nec sibi ipsi. Secunda post mediam noctem hora, tristem effectum exercere cœpit violenta voluptas; ac primùm quidem pleureticis correptus cruciatibus, præter morem doluit; sequens tamen dies benignior visa; iamq; noua cum venatoribus expeditio designabatur, quamuis interim sitis permolesta, & quoddam fastidium non desisteret.* VII Maij, *vehementius exarsit renum viscerumq; ingens dolor, & omniũ vitalium in horas aucta conflictatio: dehinc, æstus corporis, dolor capitis, sitis, insomnium, tædia, tandemq; superuenit acerrima febris. Cùm malum increscceret, aperta vena est; profluxitq; floridus & optimæ notæ sanguis. Ac licetsi phlebotomia in corpore pleuretico opportuna fuerit, exinde tamen non imminuta mala, sed aucta; inter quæ, grauis & in omni febre periculosus singultus. Ergo præter naturæ vel artis remedia, opẽ è cælo aduocare necessum erat. Tum verò Rex ad sacram Exomologesim vt se pararet monitus, non difficilis in eo repertus, vel tardus. Dici vix potest, quanto dolentis animi sensu, quan-*

1648. *tacq; lachrymarum affluentia, diuinissimum reconciliationis Sacramentum susceperit. Sed præpediuit atrocitas illa singultuum, manifestam Corporis Dominici irreuerentiam minitans. Rogati Medici, vt singultibus quàm impensissimè ponerent modum; intenderunt curam, vt stomachum ab illa inflammatione liberarent. Quod successit aliquatenùs, post vnam enim & alteram horam, omnis illa singultuum tempestas, in malaciam composita est. Verùm ardentior febris, ab incendio stomachi cor ipsum affligere, & patientem ad extrema adigere non desijt. Interea salubrioribus ille singultibus, concessit animum, sub ipsum Missæ Sacrificium, quod æger è lecto audijt, in deuotionẽ effusus; id vnice à sui Iudicis Maiestate deprecatus, vt concessâ misericorditer peccatorum veniâ, beatum vitæ finem poneret. Tantâ verò animi quiete migrationem illam meditabatur, vt nullum penitus alicuius trepidationis indicium proderet; imò à primo statim decubitu, quasi futura præsagiens, morbum hunc prædiceret sibi absq; dubio postremum. Integro post susceptam Sacram Synaxim triduo, cum doloribus luctabatur, vsq; ad angorem astantium, morbo succumbens. Qua ex diuturna luctta, tum corporis tum animi mutatio, dum nihil spei relinqueret; viribus iam multa conflictatione deficientibus, suggestum est adesse horam, quâ Athletam Christianum vngi oporteret Oleo extremæ vnctionis. Ad quæ æger statim prorupit in voces flagitatorias, extremum illud fragilitatis nostræ remedium postulando. Factum sine mora, ter iam repetita Sacramentali confessione; ac dein, sacrum Cereum manu prehensum sustentãs, Sanctæ fidei constantiam, ad extremum vsq; halitum seruatam protestatus est. Porrectam mox Crucis imaginem pectori adpressit, continuo Spiritus tractu inclamans,* Mi Dilecte. Mi Dilecte. *Neq; reticendum, quod optimus Princeps priusquàm vngeretur, præclarum Christianæ modestiæ, & Regiæ pietatis specimen edidit: nam inter alia tempori congruentia meditamenta, ardorem animi comprimere non valens; O quàm velim (*inquit*) nunc toti mundo esse spectaculum, in quo mortales tanquam in speculo videant, quæ in me* Devs *exhibuit spe-*

ctanda. Ac primò, qualis sit humanarum rerum, præsentis vitæ, vanitas: deinde, quanta sit super vnum peccatorem misericordia Dei *& benignitas. Voluitq; ista, coram omni astantium turba, ijsdem verbis repeti; quod & factum, magno animorum motu. Sed cum adesset extrema nox; (media inter 19. & 20. Maij) circa horam vndecimam, manifesta signa capi poterant deficientis vitæ: demum, ante secundam post mediam noctem, tranquillissimè expirauit. Qui præsentes aderant, quietem illam tum animi, tum corporis admirantibus, quæ non exspirationi, sed indormitioni alicui, similior videretur. Superest, vt ceruices Diuinæ potentiæ humiliter inclinemus; dum iactura, quam in tanto Principe patimur, immensa est. Priuatus autem luctus, solatium quoddam habet, à memoria tam beatæ migrationis; neq; opus, vt alleuare mærorem quisquam velit, cùm quoddam solatij compendium sit, permittere habenas dolori, lachrymisq;.* Hucusq; ego ex relatore, vltra promissam brevitatem deflexi; enarrando novissimo tanti Regis termino, de quo tum varij rumores.

1648.

Mortuo Principe, cecidit (heu!) Corona capitis nostri; statim pax exulat, bellum recluso Iani ostio hospitatur; ac, vbi tantùm sidus ereptum Polonis, nomen gloriaq; gentis obscurantur. Vitæ spatium illi LIII. Anni, Regnandi XVI. fuêre. Vetus in domo regnatrice nataliũ claritudo, Paterno genere è regia Svecorum stirpe; quo nomine debita Regni illius hereditas, titulus vsurpatus mansit; donec linea in Ioanne Casimiro Fratre exstincta foret. Ex Matre itẽ sublimes tituli, Annâ Cæsarũ Filiâ Sororeq; genito; vndè Austriaci stemmatis ac virtutum particeps. Ieminatum nulla prole superstite matrimonium, cùm ex Cecilia Renata, Sigismundus Casimirus propero Fato parentes extrema anteverterit. Ex Ludovica Maria, brevi consortio exsors sobolis, eo dolentiore populis obitu, nullo in spem paternarum Virtutum successore. Cæterùm, inerant Principi excelsæ dotes, animus ingens, pectus inconcussum, artes imperatoriæ, per experimenta bellorum

partæ;

1648. partæ; conſequente, (quæ ratò ſeparabilis eſt) cupidine gloriæ, pariter & opum contemptu. Valetudo non quidē probè firma, aſt penſavit fortuna obſequentior, ancillata ad extremum vſq; diem. Olim adoleſcens, peragravit magnam partem Europæ; inde, aucta famâ, non quòd viderat orbem, ſed quod aſpiceretur. Rempublicam, vt Patriam coluit; Cives Patris in modum complexus: etſi quādoq; obſtinatiùs, quàm is vellet, avitam libertatem tuentes, & quantùm contra nitentibus, plura tribuebat, eò plùs amoris aſſecutus. Inde firmata vndiq; pace, productis limitibus, ſtatuq; Regni florentiore reddito, PATRIÆ PATER. Magni nomen meruit, quod modeſtiùs defuncto, grati Cives addidêre. Staturâ fuit iuſtâ, capillitio ſubflavo, ac vergentibus in ſenectam annis rareſcente. Inceſſu geſtuq; gravis; & quamvis multa obeſi corporis arvinâ craſsior, in virilem tamen motum validus. Extremæ voluntatis codicillos, in anteceſſum ritè confectos, aſsignatis, qui curā exequendorum ſuſciperent; in manus Leonis Caſimiri Sapiehæ, Magni Ducatûs Lithuaniæ Procancellarij, tradidit; conſcientiæ moderatore, Gregorio Schoenhoff Societatis IESV Theologo; à cura corporis, Antonio Crauth Medico, extremam operam navantibus. Talis in pace. Vbi ingrueret bellum, Regia armorum voluptas tranſibat in mores; &, quæ alijs inter crepundiorum ludicra, acta Principi noſtro ſub caſside adoleſcentia: vt, impubes adhuc, & nondū Rex, ex Vaſto Septemtrione, Capto Szuyſcio Moſchorum Monarchâ, triumphaverit; vt, Chocimenſi acie Oſmanū Turcarum Imperatorem, ad accipiendas pacis Leges, adegerit; Svecum, fortunæ intemperantiâ; Scythas, innata ferocitate inſultantes, repreſserit: pleniores renarrant Hiſtoriæ faſti. Hi quinimo Coſaci, præſentiū malorum cauſa, nunquā victricia Vladiſlai ſigna vt aſpicerent, ſuſtinûere; ſæpè victi, ſemper reſipiſcentiū in morē plangendo, imponebant Clementiſsimo Regi; vt, quos ſimulanter querulos adverſùs Magiſtratuum impotentiam, eoſdem & oppreſſos

preſsos crederet. Etiam extrema Regiminis, non ſine obtrectatione fuêre; perſtricto maximè Cavalleriæ invento, quòd multis acceptū, tanquam in ſpeciem apparens externorū titulorū æmulatio; revera, tollendæ inter Cives æqualitati fabricata machina. Tum, vt rara vergente ætate voluptatū parſimonia, & à recentis hymænei tedis alienus egerit; vt nulla Pactorum, à ſemet cum Turca initorū curâ, bellum peregrè cupijſſet. Hæc, ex Commentarijs Vir: Clar: tum temporis in limine Aulæ illius immorantis, excerpta; quæ aliter tradere haud quaquam auſim. Etſi, iniquus is ſpargēdæ ad poſteros famæ trames, inter magnas Heroū virtutes, alicui imperfectioni locū dare: niſi vitio humanæ curioſitatis excuſandū, quæ quādoq; in ſole maculas quærere amet. 1648.

Neq; imminentia mala ſine præſagio fuêre, DEO per extraordinariam cæleſtium corporū colliſionem, abſtrusā futurorū ſeriem præmonſtrante. Namq; Cometes, funeſtum Coronatis capitibus ſidus, per ſupremas āēris regiones, horridâ miſsili igne caudâ effulſit: qui integro ſemeſtri per varias locorū differentias errans, dein, lento in ſublime Arctoi poli motu elevatus, ferali flamma ſenſim evanida, eſſe deſijt. Acceſsit grande Solis deliquiū, Lunâ clariſsimi Sideris ſplendorem, ad menſuram deuncis condente: vix ex Aſtrographorum calculo, tertiæ partis ſemiſſe, in vſum lucis mortalib⁹ permiſſa. Ac quāvis eæ Luminariū Eclipſes, dira ſemper ſublunari Orbi portendant, maior tamen ex præſenti formido; quòd enormis ea, ac in ſigno Arietis, (cui Zodiaci primicerio Poloniam ſubiacere periti autumant) non omnino proſperi ſucceſſus, dependentis à ſuo Planeta Regni, ſignificari crederentur. Sed maneat cæliperitis ſua fides. Etiam quæ in anteceſſum evenerant, in omen præſentium trahebantur. Siquidem biennio ante, ex fortuito igne incendium, fodinas Wielicenſes ab intra penitùs devaſtarat: vnde, non tantùm Salinarij reditus imminuti, ſed in exuſtis Officinis irreparabilia damna (quæ tamen impendio reparata ſunt) conſecuta. Ad hæc, ad Caſimiri-

1648. am inferiorem, exundantio Viſtulæ, qualem veterrimi mortalium non meminerant; aliquot mappalia cum incolis eluvione abſorpſit. Tum recens, faſtigium Portæ Cracovienſis, quæ ab expellendis ſceleratis Profana dicitur; vento, quo itidem Łoviciæ, in Palatio Archiepiſcopali Turris, vtræq; opere firmo, & ſubſtructionibus mœniorum valida corruêre. Verùm talia ad caſum non iniquè referri poſſunt, hoc quod ſequitur, vt maius quid fortuitò contingente, ita per ſupernaturalem motum factum conſtitit.

Xiąży, quod olim Tenczyniorum hereditas, nunc Marchionum Myſzkoviorum Ordinato Iuri ſubeſt, in Parochiali Eccleſia, colebatur ex antiquo Imago, Immaculatiſſimæ Virginis MARIÆ, Filiolum gremio geſtantis: ac, quo artifice elaboratum opus, nec traditum à maioribus, nec quæſitum à poſteris. Convenerat ſolenni feria ad Sacra crebrior populus, cùm Imago in dextro Altari ſita, primò impalleſcere, vultum viſibili mœrore contrahere, demum in lachrymas ſolvi lumina cœperunt, ex vtroque oculo guttis ſtillantibus. Conſpicit populus rem fortuitam, accurrunt Myſtæ, & vtriq; mirantur, ſcaturientes in rubedinem coralli rivos, ad ima faciei molliter deciduos: cùm Auguſtinianus aſſeſtra, num humefactionem colorũ, vicinum marmor cauſaſſet, experiundo? purpureum rorem attrectans, meriſsimi ſanguinis eſſentiam eſſe cognoſcit, docetq;. Attoniti cuncti miraculo, ſtupebant; cùm idem alio comprobatur. Incumbebat ad templi veſtibulum, grabato ſeu geſtamini Originarius quidam, manuum pedumq; à quatuor luſtris deſtitutus officio: Hic quo motu ſacra agerentur ſciſcitatus, re comperta, poſtquam fiducia plenus, calamitatem ſuam commendaverat illachrymanti Virgini *(ſtupe, qui legis Miranda DEI)* Ecce ſubitò pellit diuturnà paralyſim Medicina cæleſtis; ſurgit omnibus coram ſanꝰ & valens, cuiꝰ ægritudo cunctis nota: nec amplius indigus geſtaminis, fatetur ac monſtrat operantis Numinis mirabilia. Vbi latè ſparſa famâ, ab loci Ordi-

Ordinario delegati viſores (Commiſſarios vocant) fuêre; 1648.
qui, re alta indagine perquiſita, eius magnalia eſſe, QUI FECIT POTENTIAM IN BRACHIO Suo, pronuntiârunt. Benigna namq; MATER, ſanguineis voluit teſtari lachrymis, quantùm ſe afficeret, ſanguinariꝰ futurus, devoti clientelæ ſuæ Regni, cataclyſmus. Obſtrepe qui voles heterodoxe, vel nega Virginis Patrocinium, mihi verò hæc anchora, & aſylum eſto. Nam cui non benigna, quæ peperit miſericordem? Huic Paranymphus Angelus ait, *Aue gratia plena.* Sed ſuaſerim, qui ſititis venite ad aquas, nam certè MATER DEI-Hominis, gratiarum mare eſt.

Non infauſtus Chriſtianitati Annus, conſignabat operoſo ſeptennij labore, reſtitutam poſtliminio Europæ tranquillitatem; Generali pacis tractatu, HAMBURGI primùm, ſub Annum 1641. inſtituto: tandem Oſnabrugæ præſenti 1648. (impoſitâ Triginta ſex annorum cruentiſsimo bello coronide) concluſo; niſi Gradivus theatrum non ſcænam mutans, diu per Germaniam Italiamq; peregrinatus, tandem in Sarmatiam noſtram, apparatus curasq; belli, peregrè traduxiſſet. Non à vi maiore potentiavè, Regnum hoc concuti cœpit, ex nobis Iſraëlis noſtri perditio fuit. Primus, impiæ Rebellionis author motorq; Theodorus, vernaculè Bohdanus Chmielnicki, ſeu Chmielniczenko, Michaële Patre natus; quem pleriq; Mazoviâ oriundum, alij Liſianka municipio Vkraynenſi, retulêre. Qui poſt, ſortevè caſuvè, Zołkwiam vicinum Leopoli oppidum delatus, inter infima ſervitiorum, Aulæ Zołkievianæ vitam tolleravit; donec, Ioanni Daniełowicz Palatino Ruſsiæ, Præfectura Czehrynenſi attributa, illuc demigrans, ſcribam à rationibus proventuum egerat. In quo aliquandiu officio ſolers, nec hero defuit, nec ſibi ipſi; contracto cum muliere Coſaci generis matrimonio. Vnde, contubernio illorum immiſtus, militares ad curas, mutationi aulicæ gratiæ proviſurus, animum applicavit. Vbi vero Generalis Exercituum Regni Zołkievius, reducendo ad Moldaviam Gra-

1648. tiano ſe accingit: Danielłowicz Socero gratificaturus, haud exiguam Sclopetariorum manum, ex circumiacente Ozybryno ditione coactam, in id belli ſubmiſerat; Michàéle Chmielnicio minorum ordinum Centurione. Sic à curis œconomicis, ad munia belli digreſſus, profligato ad Cecoram Polono Exercitu interimitur Pater, Bohdano Filio in captivitatem abducto. Factum dehinc, evoluto biennio, ob gratam Patris memoriam, procurantibus Coſacis, vt Bohdanus permutatione captivorum, è Tauricâ liberaretur. Vnde redux vel ſuo commendatus infortunio, vel quia ex vſu literarum aliquo, non inhabilis tractandis negotijs fuit, in pretio apud contubernales Coſacos eſſe cœperat. Puer namq; in gymnaſio Kijovienſi navârat literis operam, etiam pleriq; Iarosłaviæ apud Patres Societatis ſtuduiſſe retulêre. Certè, maturior annis, ſenſus abdere, ex vſu præſentia metiri, ſpes in futura promittere, comitatem ferociamque prout conduceret oſtendere, didicit; & minas ſæpè, nunquam omittere vltionem. Aderat huic militaris preſſo ſermone facundia, animus obtegens ſui, renidens vultus, quo præcipuè, vt nitida glacie fœtentes aquæ, receſſus pectoris teguntur. Obſequiũ, dum tyro, vbiq; præſetulit; nunquam, niſi ſpe veniæ, aut elabendi viâ præuisâ, in extrema obſtinatus. Sed ægrè violentam tuſsim compreſſeris: & ſub ſtramento ignis, vbi fumum, mox flammam emittit. Etiam hic, quò per rebellionis tyrocinia, in futuræ ſortis apicẽ graderetur, Seditionis Taraſsij ſatelles fuit: dein, Oſtrzaninum ac Huniam rebelles ſecutus, atrocis facti complex, quod, ſoli authores expiavêre ſupplicio, meritas pœnas evaſerat. Reperio in commentarijs belli ad Kumeykos geſti, poſtquam deprecandæ Maieſtati Regiæ, ex ſe delegatos Coſaci mittere iuſsi, Bohdanum Chmielnicium vnum inter ſeptem fuiſſe; eoq; actu intimam ſtatus Reipubl. rationem penetrâſſe; ac, velut viſcera inſpexiſſe: in quæ poſt, atrox Matricida ſæviret. Narratum quin etiam ſparſo rumore memini,

ni, ſuſpectum ſemper extitiſſe, vt in nova promptum, Koniecpolſcio Generali Exercituum; mente turbida ac ingenio in prava quæq; ſolerti, coniecturâ æſtimatis. Siquidẽ vagis Coſacorum in pontum Euxinum excurſionibus cohibendis, dum placito Ordinum, Fortalitium Kodak, excitaretur; ratus Dux, quod res erat, eum licentioſorũ obicẽ ac frænum, obliquo Coſacos intueri oculo; ac præſentem fortè Bohdanum, de natura loci & regulatâ operis formâ ſciſcitaretur, prodidiſſe affectum; expreſſo per Laconiſmũ ſenſu. Manu facta *(inquit)* manu deſtrui. Nec verbis defuit eventus, primum namq; ſuccreſcentis Chmielnicij potentiæ facinus incubuit, Kodaco evertendo. 1648.

Subaltum pacis conticinium, quale Vladiſlai Regis Virtus ac fortuna operabantur: ſubierant tandem animum artibus belli innutritũ, curæ armorum contra Turcas movendorum, quo fatalis potentia illa, torrentis in modum Europam inundans, aliquomodo ſiſteretur. Ægriùs ferebat Rex, gloriâ paceq; florens, vt vir otiaretur, qui ephebus triumphavit. Solicitabant quin etiam Veneti per Tyepolum Legatum, ſuccurſu Chriſtianitatis tum maximè indigentes: Turcarum Imperatore, per clariſsimæ Reipubl: excidium, ad ſubigendam Europam viam aperire molientẽ. Et quamvis Thoma Moreſino, Claſsis ſuæ in Ægeo mari Præfecto, navali pugna hoſtem profligaſſent; mox tamen Barbari, reſciſſa Caneæ obſidione, ac Rhetimo nobili oppido intercepto, ad Cephaloniam Venetos mari depulerant. Qui, dum armis iniuriam reparare ſatagunt, totâ Europâ ſubſidia conquirentes, arduam ſuggerebant bellaci Regi gloriæ materiem. Accedere viſa, Innocentij X. Pont: Max: autoritas, qui belli pro Gloria Crucis gerendi, ſupremum Vladiſlao armorum imperium, deferri volebat. Inſuper amor Veneti nominis, ac grata hoſpitij memoria, in quæq; ardua promptum, nec famæ contemptorem Principem exſtimulabant. Verùm dignas Heroico genio cogitationes, ſiſtebant Leges Patriæ, debebatq; prio- Tuldenus.

examinatis cauſis ac circumſtantijs, vnanimi Ordinum conſenſu bellum præconceptum approbari. Cui tamen Comitijs Generalibus interceſſum fuerat. *Non laceſſendū gratis Ottomannum, qui cum Polonis initum fœdus, vtcunq; colleret, irritare quieſcentem perinde eſſe, acſi ſoporatum leonem vellicare. Servandam ſervanti fidem, & ſuccinctum Orientis potentiâ Tyrannum, non aſperandum. Contuliſſe exteros præter vota nihil, dum Poloni eo cum hoſte ad Chocimum congrederentur; nunc, cur ijdem alienâ causâ diſcrimen ſubire debeant? è re ipſorum non eſſe. Fas & Ius, inconcuſſam ſervare fidem, cuius violatæ triſtia exempla, gentem ſervandorum pactorum tenacem probè erudiêrint.* Hæc Senatus, hæc Eques, quâ ſinguli, quâ univerſi: donec, mitis Rex, indulgens magis quàm conſentiens, ea meditamēta penit9 abdicaret. Miſſo Conſtantinopolim, Miaſkovio renovandis cum Imperio illo fœderibus: verùm interceſsiſſe bello, quàm non in rē noſtram fuerit, præſentia oſtendunt. Ita quandoq;, æger medicatam potionem faſtidit: &, opinio humana, ſæpè profutura aſpernatur. Evaneſcente belli famâ, dilabebatur miles, non item reſiliêre Coſaci, cupitum cum exoſa gente bellum, & ſpolia Orientis flagrantiſsimè agitantes. Iam quippe huius militiæ novi Magiſtratus creati fuerant; tum miſſa reparandis armis myoparonibuſq; pecunia, in præludium belli attentos erexerat. Adhæc, non neminis ab Aula in Vkraynam directum iter, ſuſpicantium ſermonibus occaſio fuit; eo diſceſſu præliminaria offendendi Turcæ agitari, promptiſsimis Coſacorum ſolicitatis; quo iners otium bello, cum obventu gloriæ, prædæq; mutaretur. Iam verò inter Coſacos, Elias Barabaſzynko, ac Chmielnicius cæteros vſu rerum ac militari experientia præcellebant. Ille proin, Dux Zaporoſcenſium, hic, Notarius renuntiati fuêre; ambo, quantùm ingenio, tantùm & moribus diverſi. Namq; Barrabas obſequij tenax, & niſi legitimè arma indicerentur in bellum promptus, vbi motus in plebe ac turbarum ſemina videt, avocabat vulgum deter-

1648.

Albert9 Miaſkowſki Succamer. Leopol.

deterrebatq;. *Per fidem gentis, pignorumq; caritatem, per Principis invicti genium, pro quo & ſub quo tot æterna bellis decora paraviſſent; abijcerent nova cum diſcrimine, vetera cum ſecuritate ſequerentur. Viperini partus eſſe, Patriæ viſcera lacerare; effundendam congruentiùs vim, in latrocinantes Scytharum turmas, aut invadendum ſubito incurſu Euxinum, ducturum ſe vt conſuêſſet in hoſtes Regni, ſi ita Reipubl. expediret. Cæterum, ſi triſti rebellione fidem temerare intendant, haud ſe ſpectatorem aut complicem fore; imò deſtinata morte, enorme crimen anteverſurum.* Nequaquam Chmielnicius pari innocentia agebat, quatiebatur irrequietum ingeniū; nunc, avidæ turbarum multitudinis conſenſu; nunc, ex impedito bello offenſæ (vt rebatur) Aulæ, facili conniventia; Etiam noſtrâ, per profundam pacem ſocordiâ, fatovè ſuo vrgebatur. Subibat mentem, cur bellum innovatum, & reſtinctum? ſumpta arma, & abiecta? ſi auderet ageretvè in promptu decus & fortunam? ſi ſecus alea iaceretur, indulgentiam facto non in arduo ſitam. Etiam in Aula Conſilijs pacis nondum acquieſcente aderant, qui exploſum bellum, non vt bonum loquerentur; ac excurrere permiſsis in Pontum Coſacis, facilem provocandæ hoſtilitati anſam, periculoſâ prudentiâ diſſerebant: Gnara hæc Coſacis, ſeu potiùs interitæ ad tumultus plebi: quæ, dum impunitatis imaginatione, in futura molimina exacuitur, non diu author ſeditioni, neq; author defuit multitudo. Percommodè enimvero acciderat, vt obex licentiæ popularis tolleretur Barrabas; ſcilicet, quantùm Patriæ fidus, tantùm per bonas artes exoſum ſeditioſis caput; nec diuturna in interimendo interceſsit mora, homine militariter ſecuro, & publico magis, quàm ſibi attendente. Namque per ſpeciem amicitiæ, à Bohdano ad ſuſcipiendum è baptiſmatis fonte infantem invitatus, egit hoſpitem, & cōpatrem; mox vbi Spiritualis amicitiæ vinculum, omnem doli metum excluſerat, donis certatum & poculis: interquæ, poſt breves rixas ex deſtinato ortas, contra ius hoſpitij,

1648.

1648. tij, à ſuomet commilitio Dux trucidatus. Vt ſeveriorem inculabant alij; certè ijs, qui manus ſanguine innocentis cruentârunt inerat conſcientia; ne à viro incorrupto, & per omnia Patriæ addicto, agitatæ rebellionis proderentur. Mirum certè, ſine vindicta fuſum ſanguinem, ſiccarijs abijſſe impunè! Sublato eo, increbreſcebat ſubinde rumor, conciliabula ſeditioſorum coire, ac peſtifera conſilia ſub pallio cudi; applaudente paſsim plebe, mox in partes tranſgreſſura. Iam Onias notæ fidei Centurio, ad Szembergium ſcripſerat; ſufflari ignem mox in grandem flammam, ni comprimatur erupturum: apertiùs Romanus Peſta, vetus Bohdano ſodalis, ſed iam tum creſcenti æmulus; Alexandro Koniecpolio Regni Vexillifero, conſpirationis indicia ordinemq; detulerat. Neq; is in animadvertendo tardus extitit, Ioanne Krzeczovio, Chmielnicium iniectâ manu præhendere iuſſo, donec ipſe, in campeſtria peregrè iturus, ſuper obiectis cognoſceret. Factum dehinc, vt reducem Buzynum divertentem, veterrimi Coſacorum explendo officio adirent, etiam Chmielnicius, altùm reconditâ pro tempore ferociâ, affuerat; vt veniret, à ſocijs ſtimulatus, ex ratione equi, quem ſingularis pernicitas commendabat, venumdandi. Hic, ad obiectum concitæ in arma plebis crimen, devolutus ad pedes Vexilliferi, factum negat, teſtes appellat, interceſſores exhibet, fidei ac meritorum commemorans ſpecimina. Aſsiſtebant multi clientũ Koniecpolio, qui à reo præhenſati ciendæ gratiæ; tum ij qui aderant Coſaci, adſeverato Bohdanum inſontem eſſe teſtimonio, noxij & ipſi evincebant; vt planè mitior in reũ, non extra merita poſitum Herus appareret; præſertim vbi Krzeczovius, Fideiuſſorem ſe offerret, manſuri in officio Bohdani, per ſpeciem familiaritatis, honeſta ſub cuſtodia apud ſe detinendi. Cognatione Spirituali Compatres ad invicem erant, vnde, præter ſperatam reſipiſcentiam, in Tribuno ſtimulus ſpondendi. Ratum habet Vexillifer vadimonium, interim Chmielnicium apud ſe retentũ Krzeczovi-

Hyacinthus Szembergius Coſacorum Commiſſarius.

Ioannes Krzeczowſki Czechrinenſis Tribunus Coſacorum

1648. czovius, indulgenter habet, ſolatur, philoteſios præbibit; mox, vbi temeto obrutus ipſe altùm indormierat, fideiuſſus vadimonium deſerens, primùm in inſulam Buczek, poſt Mikitin-Row, præcipiti fuga elapſus, demum ſibillare incipit, ratus in deſperato caſu non languidè cunctandum; ne lentè tentato facinore perire, qui perdere poſſet. Trecentos ferme ſodalium è Coſacis iſthac repererat, per quos hinc inde ablegatos, ſemina motuum ſpargit, famâ in maius omnia attollente. Neq; cauſas conquirere arduũ, nunquam enim (vt luſciniæ cantio) rebellioni defuerit prætextus. Quas ego, vt vulgatæ, vt compertæ, & patre veritatis tempore approbatæ, expedio. Religio inprimis Græca, ſpecioſo nomine prætexebatur; cui illuſum per nomen VNIONIS aiebat. *Epiſcoporum ac Aſceteriorum interverſis patrimonijs. contemni paſſim Antiſtites, dum iuriſdictione Spirituali erepta, inſtant* VNITI *ferro ad iugulum; aut Ieſuitarũ miſſionarijs, ſi quo adhuc angulo ſincera Patrum fides maneret, improbata præiudiciosè inferentibus. Interim, per Comitiorum receſſus, eludi, aut differri ſupplicantium preces, vel ſolo Schiſmatis titulo exoſas. Iam verò, obliteratum militiæ Zaporozienſis decus; vbi bellum ingruat, obtrudi Coſacos periculis, mulcerique profuturam alienis commodis fortitudinem; vbi defuncti periculo, vilem ſanguinem, ac poſtremos mortalium cẽſeri. Nihil à* Quarcianis *omiſſum, hoſtili velut in ſolo licentiæ; nihil intentatum ab heris ſævitiæ; qui vbi omnem furoris ſui impetum, in capita innocentùm conſumpſiſſent, in inſimulatos contumaciæ immittunt cohortes; à quibus quandoq; integra municipia ſtirpitùs exſcindantur. Deniq;, abiectiſſimæ ſervituti non eſſe modum, quàm recutitæ gentis Iudaicæ dominatio, intolerabiliorem faceret. Et hæc vt publicè tangentia, ſi viri ſunt, excutienda.* Tum ad ſemet digreſſus. *Aſpicerent ſe & miſererentur; Zaporozienſium Notarium, tot ſtipendiorũ veteranum, Barbaricam captivitatem perpeſſum, dum rude donari expectat, nullum ob ſcelus, niſi quod ſævire tyrannis volupe ſit, periclitari: occiſum ſibi crudeliter filium, abductam vi*

1648. *vxorẽ, ereptũ patrimoniũ, ne equo quidẽ quo mereret relicto, nouissimè destinatæ morti victimam quæri. Neq; aliud emerito militi, post profusum sanguinem, & lacerũ per vulnera corpus, restare ampliùs; nisi vt falso seditionis crimine, sub carnificis manu innocens moriatur. Præiudiciosè agi secum, & postquàm in vno capite successerit, exitium imminere vniversis.* Talia pronis auribus accipiebat vulgus, cui quies in turbis, in pace turbæ sunt. Neq; tamen in totum inànes questus fuêre, quos, excusso fuco, vt se re vera habebant expono.

VNIO, vetus Russorum genti petimen fuit, quæ, in Schismate pervicax, nihil minùs suaderi patitur, quàm vt agnito Primatu Petri, cùm Occidentali Ecclesia, Sacris ritibusq; conveniat. Hinc, crebræ inter Græco-Russos cum nostris contentiones, donec visum componendis in Religione cõtroversijs, anteacto sæculo tentare vadum, vel ipsis Roxolanis Antistitibus, à Clemente VIII. Pon: Max: Nationalẽ Synodum impetrantibus, sub Annum CH. 1596. In qua Brestiæ Lithuanorum celebrata, sublatis exitiabilis discordiæ causis, vtrinq; congregati Præsules, VNIONEM Sacrorum animorumq; instrumento publico, conscriptam instituerant; agnoueruntq; Græco-Rusi supremum militantis Ecclesiæ Caput, Petri Successorem: missa mox in id rei Legatione, honorandum. Iamq; simul Sacris operati, inconsutilem Christi tunicam consarcinasse gratulabantur; cùm Leopolienses ac Premislienses Wladicæ (vocabulum id, dignitatem Episcopalem connotat) retractâ à communi cõsensu aliquâ imperitorum Sacrificulorum turbâ, Acta Synodi illius, ac si in præiudicium OEcumenici Patriarchæ factitata, sugillarunt, secessioneq; tacita, illud tanti momẽti negotium disrupêre. Itaq;, in partes sub VNITORUM DISUNITORUMQ; nominibus scisi, iurgia primò inter se se, post litigia, aliquando Violentas aggressiones cœptarunt; præsertim, cùm Religio, vbi non ratio sed affectus iudex est, sua cuiq; optima videatur. Hæc itaq; tùm pro capite, tanquam læsa, veteribus novisq; odij causis superposita:

Sueto

Sueto rebellis genij more, qui nunquam Regionem invasit, nisi priùs vsitata Enthesi, religionem obtenderet. Cum plebe Vkraynensi, non sine aliqua iniuria agitatũ, diffiteri nequeam: pro Profectorũ, Heroumq; eius oræ, austero aut tractabili ingenio, ipsiusq; plebis natura, adversùm imperantes morigera, aut calcitrante. Nam, decumare Equireas, recensere armenta, decuncem mellificij capere, aliaq; subiectionis onera, veteri more pendi solita, vtcunq; tolerabant. Verùm, postquam, sub nomine augendorum censuum reperta nova Exactionum vocabula; vt potè, à venatione ferarum pelles, à piscatione insuetum vectigal, pro diurno labore capitatim triobolares nummi, mulctæ, pænalia, aliaq; eiusmodi; vti gravia incusabant quærebanturque: præsertim cùm imminerent, districti æris conquisitioni Exactores, hærilia mandata rigidè obtendentes. Maximè Iudæorum incusata acrimonia; qui, dum à rationib» redituum, (*intrattas* vocant) molestâ industriâ, prouent» cum præiudicio municipum intendunt; vel pro avaro gentis more, monopolia exercendæ cauponariæ redimunt, morte expiandum odium incurrebant. 1648.

Ad privatas desciscendi causas referebatur, Lis à Daniele Czaplicki Subpræfecto Czechrynensi de prædio Sobotow mota; quod nullo iure, nullisq; autenticis instrumentis probato rei dominio, à Chmielnicio perperam vsurparetur. Contra ille, deserta ac nullius possessionis arva, verbali donatione à Præfecto loci Patri suo collata; firmatam diuturno vsu possessionem, ac ex iure feudi, vnde Reipub: militaret habitam, pervicaci asseveratione contendebat: Diu erat, ex quo, contracto inter se disidio, alter alterum oderat; nimirum, quòd Czaplicius, in Scythas oram Czechrynensem populantes prorupturus, ac Bohdano signum militare tradens, vbi non pro animo ductoris agentem signiferum videt, ferro malè mulctatum, etiam erepto Vexillo probrosè habuerat: hinc semina odij in longum duraturi, dum alter contemnit vt imbellem, iste vltionem desti-

nat in infensum. Factum dehinc, vt de controverso prædio instituta lite, fundus quidem Præfecturæ Czechrynensi; Prædium autem infelix, Bohdano cum omni re familiari addiceretur. Ast fastidijt ille arbitrorum decisionem, indignè ferens, vt cuius rei possessor esset, eiusdem non esset dominus; ac, æstimato prædio, vbi inter partes ex pacto cõvenerat in pretium, loco decessit, non tamen animo expunxit iniuriæ prætensionem, passim famigerens, ereptum sibi iniuriâ patrimonium; quod, recepta in nummis compensatione, vendiderat. Certè, impubem eius filium, exceptas à Patre minas pueriliter evulgantem, à Komorovio Czaplicij genero, medio Czechrynensi foro fustigatum, non tamen interemptum, constitit. De vxore falsum omnino, imò contrarium evenerat; cum subitò commotis Vkraynæ rebus, profugam Czaplicij vxorem rapuisset Chmielnicius; quâ, primùm abusus, mox matrimonio iungens, dein atroci morte sustulerat. Hæc, de causis belli: qui progressus, exequor. Strepente novorum motuum famâ, dici vix potest, quo ardore percita plebs, in causam & partes novi Ducis ruebat. *Regestrati* Cosaci (albo militari nomina professi, ita vocabantur) improbare factum, ac rebellionem detestari, efficaciori vbi fallũt perfidia, ostendebant: è populo, egentissimus quisq;, desertis penatibus, velut ad classicum confluxit; vnde, circumspicere ille se se, & accursu multitudinis, in destinatos ausus erigi cœpit; respiciens protinus Scytharum auxilia crescenti noviter potentiæ opportuna. Præerat tum genti Islan-Gereus, non temnendis Reipubl. obstrictus beneficijs; nisi, quòd stipendia gratuitò pendi solita, iam tum sub Vladislao retenta, indigum Dynastam exasperabant. Hic, à Chmielnicio ferendo succursui compellatus, ambiguo petacem responso suspenderat. nempe *Nondum se hostem Polonis, etsi denegata solvuntur donaria, in amicitia perstiturum; agerent illi & experirentur, se interim progressum ac successum cœptorum operiri.* Verùm, intento digito monstrabatur Thohay-Begus belli-famâ præva-

1648.

1648.

prævalidus: ac, quem exlegem, militariq; tumentem licentiâ, periclitari, non pro iactura Hanus acciperet. Agebat is Præfectum Perecopi, quod antiquis Dromon Achillis dictum, in ipsis Tauricæ faucibus obiacet; ac, dum hinc mari Pontico, illinc Mæotide palude alluitur, ductâ inter vtrumq; fretum fossâ, Isthmum illum omnino reddit impenetrabilem. Nomen loco ex Sclavonico idiomate Perecop, Romanarum legionum isthic olim hybernantium opus; nuper, depulso Trapezuntinorum Dynastarum imperio, insedit Mengligerey Scytha, retinuitq;. Thohay-Begus porro, internuncios Cosacorum, ob acceptas antehac clades, acerbè primùm increpitos; dein, vbi multis in nos probris, in Scythas adulatione certant, data indissolubilis armorum coniunctionis acceptaq; fide, mox in causam apertè descensurus, dimisit.

Pullulantis rebellionis rumor, aliquantùm in levi habitus, tandem militiæ Polonæ Præfectos, acrius vt par erat, in opprimendum malum advertit. Ducem Exercitûs summo cum Imperio agebat Nicolaus Potocki Castellanus Cracovienſis, inter prospera aut ambigua belli, à prima iuventa enutritus; sed qui lenior naturâ aut indulgentiâ imperii, coli magis quàm timeri meruisset. Is Krzeczovio, è cuius sequestro profugerat Chmielnicius, ex condigno minax, interminata pœna capitis, quò reum sisteret, severè præceperat. Expedierat item, sub ipsa propalatæ seditionis initia, Ioannem Chmielecium sagacem virum, ingerendæ Bohdano resipiscentiæ; sin obduruerit; vt, quo vento abruptæ spes intumescerẽt, scrutaretur. Verùm is nihil pro spe Generalis adferebat, etsi multis deterrens, plurima pollicitus, cum obfirmato in extrema egisset. Tum verò cohortes, hybernis primo Vere excitæ; *Regestrati* Cosaci, acribus edictis coniungi Exercitui iussi; super hæc ad Arcium Præfectos, ac municipiorum Magistratus, severa continendæ in Officio plebis mandata dimittũtur. Legiones *Quarcianæ* constabant, quater millium numero; exercitus, animo,

1648.

mo, disciplinâ, ac experientiâ bellorum, fortissimus. Præterea, honorariæ Procerum alæ, ad bis mille accedere visæ. Aderat Kalinovius, Magister Equitũ, quem nostrates Campiducem vocant, Hieronymus Sieniavius Leopolienſis, Odrzywolscius Winnicensis, Balthabanus Trębowlensis Præfecti, alijq; Tribuni præclarâ militiæ famâ. Cæteros Russiæ Proceres, in communis causæ defensionem convolaturos spes erat, etsi ij langvidiùs re erepta cõcurrerẽt. Wisniovecius trans Borysthenem agebat: Koniecpolium morbus detinebat Brodijs: quorum Heroûm par, multum absentiâ suâ detrahebat præsidio Reipubl. Consederant Cosaci, quâ Tasmina fluvius in Borysthenem evolutus, restagnantibus aquis bifurcatum sinum efficit; loco tutissimo: vnde pars consilij videbatur, isthic consistentes, in aperta camporum prolicere; aut cavea in illa, ab vniverso Exercitu adoriri. Displicuit enimverò in vnius turbonis damnatos conatus, tot palmarum Exercitũ latebris admovere; meliùs fore, penes quos summa rerum censentibus, si parte virium præmissa, nondum adultâ potentiâ opprimeretur, maiore partæ victoriæ gloriâ, vbi non totis viribus in ignobilem hostem pugnatur. Equidem insuperabile casuris Fatum est, supera illa mente mentem hominum obtenebrante; quæ, cuius fortunam mutare constituit, consilia corrumpit. Præmittuntur ergo Octo levioris armaturæ cohortes cum Octingentis sclopigeris Equitantibus, qui genere Russi, habitu tantùm Germanos simulabant. Namq; eius oræ Proceres, quo splendor familiæ, per sumptuum compendia esset, satellitia è mediastinis ac plebe cogebant; quæ demum in Ordines Desultoriæ militiæ descriptæ vestitæq; (vulgò *Dragani*) in vsum tractandorum armorum erudiebantur. Insuper, quater mille Cosaci è *Regestratis* ab Duce destinati; qui prono Borysthene tergo rebellium advoluti, eò facilius in deditionem aut victoriam circumclusos cogerẽt. Ac quo avitæ virtutis illustrius foret, ijs copijs Stephanũ Potocium Nizynensem Præfectum, Generalis imponit, additis

Martin⁹ Kalinowski, Palatinus Czernechoviẽ.

Hieremias Wisniowiecki Russiæ Palatinus.

Alexander Koniecpolski Vexillifer Regni.

ditis Ioanne Sapieha Owrucensi Præfecto, Szembergio Cosacorum Commissario, Czarnecio Protribuno, Zaczwilichovio Cohortis Ductore, ac Grodzicio Germanicæ legionis Tribuno. Abeuntes quid velit Dux edocet, adiuncto hortatu, vt veterani fervorem Iuvenis filij, prudentiâ suâ temperarent; daturũ se interim operam, postquam rem impigrè sint aggressi, maturè subveniendi. Itaq; alacriter ivêre capacia bonæ spei pectora, nullo in præsens dubio, de Cosacis amne occursuris, quibus tanquam longo & constanti Sacramento imbutis, prolixè fidebatur.

1648.

Stephan⁹ Czarniecki Lubomirscij Protribunus.

Nicolaꝰ Zaczwilichowski Rothmagister.

Chrysto phorus Grodzicki.

Iam Thohay-Begus, traiecto Borysthene, auxiliare XVI. Mill. agmen Rebellibus iunxerat, quo erecti subsidio, consilia, prælio experiũdi, agitavêre: maximè, quòd tentata fide *Regestratorum*, in similem perfidiam inclinatos comperissent. Vbi verò bipartitum Polonorum Exercitum, per transfugas patuit; nihil in rem suam opportunius rati, aliquo à Borysthene digressu, in occursum nostris deproperabant. Primus excubitorum Ductor Czeczelus venire hostem nuntiavit. Præibant Scythæ, non vt moris discursu vago, sed silenti agmine, & excursione impermissa; secuti Cosaci, per carraginis latera, vergente ad occasum Sole, ad Zołte-Wody metati sunt. Id, lacui nomen, qui facilibus ripis, & herbido circumquâq; solo; sed profunda voragine, & fallente vestigia limo invadabilis, ab argillacco fundo, flavescentibus aquis, Zołte-Wody dicitur. Supervenêre dein Poloni, ac quod hostis in primo occursu languidiùs ageret, ad formidinem referebant. Verùm, cunctandi causâ, in absentiam Chmielnicij referri debuit; qui spatium fallendi nactus, eos qui amne submissi Cosacos, vt præsens solicitatum iverat, ita mox, in partes ac perfidiam suam pellexit, Scytharum accessione; quòd nunquam credidêrant attonitos, & dudum mutuo in nefas consensu, transfugium non vltra differentes. Relictis ij navigijs terrâ ibant; vnde, conspectâ à nostris glomerati pulveris nebulâ, spem coniecturamq; omnibus iniecerat, subsidio venire

Rege-

1648. *Regeſtratos*, quorum acceſſu facilem victoriam, cæſo aut ſupplici hoſte reportandam, augurari pronum fuit. Aſt contra ſors vertit; Gandza melioris notæ Coſaco, vt perfidiâ ſociorum Bohdani partes auxiſſet; eodemq; illo de adventu Thohay-Begi, ac numero Scytharum referente. Ingens eius Barbari inter militares nomen; quòd, in experimenta præliorum acer, non perfunctorium partibus auxilium acceſiſſe videretur. Vt verò patuit deſertores rebellibus aggregatos, ſpe magis victoriæ quàm animo in pugnã Potociani concidebant. Proin, proviſis quæ tempus monuit, ad Generalem citus equo nuntius de ſtatu periclitantium miſſus eſt; & ipſi, Caſtra ad lævam Lacûs, carrorum ſeriè, ac ſubitarijs operis, firmavêre: nuſquam prælium detrectare viſi, eum ſubinde circumcurſante hoſte, prorumperent globi noſtrorum, in adverſos non ſine iactura hinc inde illati. Mox, eductis ante Carraginem ſignis, identidem oſtentata acies ſtetit, velut fortunam prælio periclitari volentium: vbi verò commodùm fuit, converſa in Scythas acie, pugnatum acriter ſignis collatis: in quo prælij incipientis æſtu, Theutonico habitu ſclopigeri, primò, in ſpeciem trepidare; mox, loco ſenſim cedere; tandẽ, obliquo flexu, dum in cohortes noſtras hoſtis incumbit, exilem aciem proditoriè nudaverunt. Abſcedere proin campo neceſſum erat, Tribunis ſuppetias intra carraginem præſtolari cenſentibus. Vbi verò, proditio cum fortuna, in exitium noſtrorum conſpiraſſe viſa: Chmielnicius conſummandi primi ſucceſſus inſaniâ ferox, circumquâq; volitabat; voce & exemplo perurgens, quò ſocij ſucceſſum celeritate præcipitarent. Rurſus, in futura reſpiciens, ad noſtros. vt nullæ ſubſidiorum ſpes, & cuncta miſeris extrema, clamitabat. *In manu ſibi victoriam eſſe, neq; tamen in eam exarſiſſe ſitim, quæ non niſi amico ſanguine reſtinguenda foret. Non vt captivos repoſcere, verùm vt incolumes, innocentiam patientiamq; ſuam teſtárentur.* Sub hæc, Iaſconem Raſcium poſtulando ſubſidio ad Generalem emiſſum, interceperant Scythæ,

thæ; vinctumq;, ac literas in extrema redacti Exercitus ſũmam continentes, in terrorem monſtrabant. Iam pulvis pyrius, quem continui ictus exhauſerant, iam commeatus, deficiebat: ac, quod eo temporis interſtitio, nulla comparerent auxilia; dolor ſimul & metus, qualis in noviſsimo diſcrimine cadere ſolet, ſubibat periclitantes. Vnde, inter Ductores convenerat, retromõta in militarem regreſſum carragine, hoc, quod in loco hærentibus imminebat periculi, eluctari: omnibus brevi conamine, viam ſibi ad reliquũ exercitum aperire, facilè iudicantibus. Gemino iam milliari à Zolte-Wody oberant, cùm ſubitâ impreſsione Scythæ ſiſtunt Carraginem; adeò impetu pertinaci ingruendo, vt primorum Ordinum Equi iugales, aut ſagittarum iactu caderent, aut mutilarentur. Duravit aliquandiù pugna fortiſsimè reſiſtentibus noſtris, non iam pro vivendi curâ, aſt magis pro decore mortis, anxijs. Cùm, re inclinata, Potocius *Siniſtrè aleam, nec vt ſperaſſet cadere* (ait) *magis iniquitate ſortis, quàm ſuâ culpâ, aut ignaviâ circumvento. Verùm quando proditio victoriam invideat, decus in glorioſa morte quærendum. Id decretum ſibi, in armis, & cum armis, ſatiùs occumbere; quàm, vt probroſa deditione, inter venalium greges, à ſuperbo hoſte vel irato Patre, degeneris animi argueretur.* Nemo dein ferias manibus aut armis conceſsit, è manualibus maximè fiſtulis reprimendo vim; donec denſior imber corruptis madore ſclopis pyrioq;, noviſsimum defenſionis beneficium eripuiſſet. Non hîc militum ſtrenuitatem Ductores, non milites Ductorum virtutem, aut exemplum deſideravêre. Donec, continuo quatuordecim dierum conflictu, nullo ſuccurſu, præſtantiſsimus virorum nucleus, novella hoſtili ferociæ victima, cecidit. Neq; priùs hoſtes carragine potiti, quàm Potocius duplici vulnere, à quo mox vitam poſuit, ſterneretur; non magis pulcherrimi fati honeſtamento decorus, quàm inſita Potocianæ Familiæ magnanimitate memorabilis. Tum, vt quisq; cæſi, aut vincti. Sapieha ſaucius Thohay-Bego ceſsit, Szembergius

1648. gius Scythis se dedidit; Czarniecius, ac Grodzicius à Chmielnicio subtracti, arctis in vinculis ad Fortalitium Kodacense remittuntur. Hic est ille Czarniecius, victus modò & vinctus, colludentis fortunæ pila; hostis ludibrium: sed, veniet revolutis annis tempus, dum contumeliæ dedecus, ac captivitatis sortem, ferro ac funestis rependet genti cædibus; idq; (quod præcipuũ virtutis argumentum est,) per arma & apertum bellum assequetur. Inter captos fuère; Thomas Vlinski Generalis ex Sorore nepos, Ioannes Chreptowicz Palatinides Novogrodensis, Chrystophorus Chełmski, Gabriel Bałchacki, Malicki, Dimitrowski, ac complures nobilitatæ strenuitatis. Adeò omnes repentino involuti malo, vt, ex tanto mortalium numero, vix vnus altervè evaserit, qui cladis nuncius supereſſet.

Generalis iam propè Czirkasios cum Exercitu penetraverat; cùm Marcus Gdeszynski, alæ Equestris Ductor, cæsas cohortes, & deproperatis itineribus, hostem contrà tendere attulit. Visum proin, ingruentem eum, itineris laborisq; molestiâ fractum, insperata virium oppositione aggredi; aut, in disita reductum, propediem cum parta præda abituri Thohay-Begi, societate, frustrari. Verùm, consilia quandoq; vini naturam habent; quod, diuturnitate sæpè fit generosius; etiam nonnunquam acescit. Ita, tum benè consulta malè cedebant: quò namq; longius in intima Vkraynæ abducebatur hostis, eò maiora capiebat, ex accursu plebis virium incrementa: iam vnius profligati exercitus, alterius fugati, famâ validus. Ita, retrogressos Corsunium excepit; ad quod, excitatum olim vallum exstabat; cui, extemporaneis operis reparato, Duces secum Exercitu commisêre. Hìc, visum Numini, longam Poloniæ prosperitatem, geminata clade castigare. Haud moratus quippe Scytha, gyratis more suo cuneis, per subiectam castris planiciem effuso agmine, assultavit; vicissim, militari nostrorum iuventute, prima pericula velitando occupatura. Eductæ interim legiones; ac, protensis vt numero æquivalere

lere ostenderent cornibus, acies instructa fuit. A dextris 1648.
Campidux Kalinovius, ab leva Odrzywolscius, Generalis qua medium aciei substitêre Kazanovio Meratori Castrorum; Denhoffio curâ rei tormentariæ incumbente. Vix campum inijerant signa, cùm ingruens hostis necessitatem pugnæ imponebat. Neq; Duces detrectavêre; imò brevi hortatu erecto milite, classicum canere iubent; monitis alarum Ductoribus, ne retrogradus Scythâ vltra stadium vrgeretur. Tum verò Odrzywolscius, invectum in se Thohay-Begum egregiè reprimit; ac imperij memor, non longè insecutus recedit. Is iterum, quò in destinatas insidias proliceret, omne suorum robur in consistentem aciem effundebat. his rursum illis repulsis ac repellentibus, donec, in summam nihil profecturus hostis, finem prælio ea die fecerit. Quæ inter, non vivere Regem, tacitè primùm ac sparsim, etiam hoste suggerente, rumor crebrescit: vnde, multiplex subibat eo statu rerum consideratio. Disserebant quippe. *Vbi sublatus è vivis Rex, pro quo pugnarẽt? quis virtuti laudes, aut meritis pramia, retribueret? vel novissima perpessi, à quo subsidijs erigerentur? Dato, vinci posse Chmielnicium? Ast fœcundum nimis rebellionis nidum, & pro vno capite millena subsitui? vnde, toti Vkraynæ, quæ in armis staret, etiamsi centimani sint, impares fore: pugnando in Hydram, cui, reciso vno capite, multiplex renascetur. Interesse vel maximè Patriæ, propugnatorem finium Exercitum, incolumem servare: quo casum passo, ingens Respublica detrimentum caperet.* Etiam, contigit tum, vt subiecto horreis oppidanis igne, Korsunium omnigeno commeatu refertum, fortuita flamma absumpserit: vnde mox, ex penuria victûs, in Castris inedia, non immeritò invalitura timebatur. Quibus permoti Duces, accitis Tribunis, consultavêre; Acienè instructâ prælij aleam experiri? An, sub Carraginis tegumento, regredi conducibile foret? Plures, ipseq; Campidux sentiebat, aperto campo Scythas aggredi; quibus favente numine semel campo depulsis, non arduo negotio fæcem plebis

1648 plebis disijciendam. Nec moranda facta consilijs; ne intercluso pabulo Equis frustrati; mox, sine Equestribus viribus, aves visco hærentes, faciles capturæ se exhibeant. Ast Generalis, destinatum sibi extra prælij aleam, conservandi Exercitus rationes pertentare (reposuit) delibatos nuperâ pugnâ milites; fractos morte Regis omnium animos: rebellium verò vires supra quàm credibile in momenta adolescere; proin, tutiora consilia, fortioribus anteponenda. Nihil verò tutius sibi videri, militari regressu, sub Carraginis munimento: vnde, propugnatori militi salus, imminenti hosti certum sit exitium. Sensêre confestim vrgẽtis fati vim, qui consilio aderant: proin, iunctim obsecrabant Generalem, vt fervore militum vtens, prælio haud differret experiri. Etiam Kalinovius, discutiendo proposito, neq; sui vt Collegæ suasus postponerentur, instabat. Cui responderat indignanter Generalis. *Primicerium se, ac, vt præsente Parocho cessaret iurisdictio Vicarij;* (eo tum proverbio vsus) *ita, penes se summã Imperij esse: Campidux iniuncta exequeretur. Iam verò, à committendo prælio, vel nefasto diei lunæ omine prohiberi; quo nihil auspicato agi expertus sciret; recurrente per annorum seriem, memoriâ hebreæ pubis, ab infanticida Rege enecata.* Tum, ad Tribunos conversõ, *Vos* inquit, *viros ex virtute, & milites ex officio agite! ego, Ducem me meminero! Differri non detrectare prælium animus est; cuius signũ, non blanda rogantis voce, sed tubis clangentibus accipietis.* Haud occultum ad hæc murmur inter militares occœpit; vt Odrzywolscius militariter apertus, palam exprobraret: sedisse animo Ducis, tragico imitamento Cecorscensis cladis exhibere scenam. Digressi è Prætorio Tribuni, letalem discordiam, pro infelici augurio, in plures transmittebant. Sequenti manè, Nicolai Bieganovij operâ, componitur Carrago; quàm Thabor vocitant. Constat, eâ curruum per ordines sibi connexorum seriè, in modum munitionis Castrensis dispositâ, intra spatio existente; vbi sarcinæ, aliaq; impedimenta comportata manent: defensori militi in-

ti intra vel extra prout conducit stationes assignantur; vt, planè mobilis machina, aut tractitium vallum, vbi procedit, 1648. desuper appareat. inde, quod ex carris militaribus constet, nomen Carraginis fortè enatum. Quæ, vbi mota, Duces, simulq; Ordinum Ductores, abactis equis, pedes ivêre: sequebatur desultoria alacritate miles; & omnes, qui ante reprobabant consilium regressûs, exemplum præeuntium sequebantur. Non latuit peracutum & sagacem Bohdanũ, Polonis Bohussaviam iter intendi: proin, sub noctem antea etàm, illuc promptiores è suis ad VI. Mill. præoccupandæ viæ transmiserat. iussis, quâ ad Grochowce pagum, densius betuletum, convalles, ab eluvie aquarum cavæ discriminabant, eas ductâ trasversim fossâ cõnectere; super eggestum aggerem sclopetarijs insidentibus. Segnius interim arbustis aut truncis impedita carrago processit: & si maximè deproperaret concisis curruum ordinibus diducta, ac in eluctandam indaginem silvæ impeditior. Iuvabat attamen, quòd, eadem arborum densitas, hostem distinebat, nõ nisi extrema agminis suo more carpentem. Instituta nihilominùs eousq; profectio, quâ impervios calles fossa iunxerant hostes: vbi, velut ad cataractam, aut obiectum repagulum, vndiq; Cosaci impetiêre nostros; vt in postremo agmine, turbatis stationibus, aliqui locum desererent. Verùm Campidux, laborantibꝰ ea parte, cum promptissimis subsidio accurrẽs, animos ordinesq; restituit: donec desultoriorum aliquot manipulis, cum duobus pedestribus Vngarorũ vexillis, aperiendæ viæ præmissis, ab hoste fusis; eodem simul impetu, hostis tota mole frontem ac latera carraginis invasit. Potociùs Generalis affectâ valetudine, ac continuo labore lassus, quidquid & maturo Duci & strenuo militi incumbit, nihil omisit; eadem præstitit Kalinovius, etsi gemino vulnere, in capite ac cubito manus enormiter sauciatus. Nondum tamen vicerat hostis; nisi Equisones ac lixarum pleriq, intra meditullium carraginis recepti, dũ quisq; in communi periculo pro se metuit, inscensis equis,

1648. ac quà ſtatio Oſtrogienſis legionis, curribus evolutis, in fugam ſe præcipitarent. Id ſervile factum, quantùm cõcuſſerat pugnantium animos, tantùm hoſtem accendit, vt acrius impeteret ſuccumbentes. Quippe, ad ſublatum à Coſacis clamorem, ſummo conniſu accurrebant Scythæ, denſa ſagittarum procellâ noſtros conturbando: ac dein, quâ diſruptâ curruum ſeriè, nudatum præſidio latus apparebat, patulam carraginem perfregêre. Atrox hîc prælium cum eò noviſsimo termino; pugnaciſsimus quiſq; adverſa fronte in ingruentes rueret, honeſtam mortem mutuis vulneribus quærendo. Nec deerant, qui, re perdita, vitæ magis quàm famæ memores, per occultos tramites vitato diſcrimine effugerent. Aſt hi pauci, plures & potiores, inter edita non poſtremæ fortitudinis documenta ſuccubuêre. Inter captos, (quæ fortunæ ludibria!) Generalis Exercituum Dux, & Princeps Senatus fuit; Campidux Kalinovius, Kazanovius, Sieniavius, Odrzywolſcius, Baſſabanus, Ordinumq; Ductores ferè omnes: Bieganovius, Chmielecius, Komorovius, Iaſkolſcius, Kowalſcius, Chomentovi», Gdeſzynius, Turmarum Præfecti. Ex Commilitio Nobili, Stephanus Bidzinius, qui poſt meritis honoribuſq; quos arma faciunt clareſcet; Tyminius, Oraczovius, Kuczkovius, ac omnes ferè ſocij Nobiles Scythicam ſubiêre captivitatẽ. Producti in conſpectum Thohay-Begi Duces, brevi verborum ſolatio accipiuntur, ægro Potocio medicus cum fomentis (Herbenius nomine) reſtituitur: ac currus vtriq; devehendo attributus fuit: nam & Kalinovius ex vulneribꝰ decumbebat. Dum ſpeciem miſereſcentis oſtendit Barbarus; interim Chmielnici», ſtudioſè à conſpectu ſe ſubducebat: vel, ſi compareret, tanquam quæ patrata minimè vellet, oſtendens. Sieniavium primâ iuventâ, & oris decore conſpicuum, vbi cognitum quidam ex proletarijs Scythæ, in manus veniſſe: repetit Thohay-Begus indebitam gregario prædam, ſibiq; retinet. Fama erat, mox libertati reſtitutum, memorabili in Barbaro gratitudine, cùm & ipſe

Bieganowski. Chmielecki. Komorowski. Iaskolsky. Kowalski. Chomẽtowski. Gdeſzynski. Bidżinski. Tyminski. Oraczowski. Kuczkowski.

ipſe à Sieniavij Parente bello captus, gratuitam libertatem obtinuiſſet. Hoc eſt illud geminum concuſſæ Poloniæ fulmen, hæc rebellis fortunæ rudimenta: ita circumagitur Orbis viciſsitudo; vt, qui nuper circùm Balthidis littora diſsitaq; Ponti Oſtia armis clareſcimus; rurſum, revoluta ſorte, caſum pateremur, ſub ignobili victore. 1648.

In tam horridis motibus, dum omnes vel amiſſo Principe dolent, vel ingruentibus periculis percelluntur; Archi-Præſul Gneſnenſis Matthias tum Łubinski, raræ æquè pietatis, ac ætatis, mortem Regis Vniverſæ Poloniæ per edictum denunciat. Ipſe namq;, ſub Interregno, Primas Regni Primusq; Princeps eſt; Regalia exercet, ac Caput publicorum conſiliorum habetur. Vbi verò, de intermittendis fori munijs, Lublinum dederat literas; conteſtim, aperto conclavi lectis, Tribunalis Iudices, ſuſpendunt Sacroſanctæ Iuſtitiæ ſtateram, ſimulq; per Provincias, omnis minorum ſubſelliorum Iuriſdictio ceſſat, acſi ſublato cum Rege capite, in membris quoq; ſua virtus emoriretur. Subrogatâ ad interim veterrimâ Iudiciorum formâ, Kaptur: cucullum, ſeu monaſticum capitis involucrum denotans: Nomenclator Latinus Syntereſiſmũ ex eo dixit, quòd mutua obligatione omnes Status, ad conſervandam inter ſe tranquillitatem fœderentur. Ius hîc dicunt, per Provincias delecti extra Ordinem Iudices, Galliæ Parlamentis non abſimili modo; niſi, quòd illic cùm vita durat munus: noſtratibus, non vltra Interregni ſpatium officia extenduntur. Priſca eius ſubſellij ex antiquo ſeveritas eſt; vt quisq; meruit, indicuntur pœnæ: inexpugnabili (fortè, quòd non diuturna poteſtas) Areopagitarum fide. Poſt ordinatum Iuſtitiæ cursũ, ad Iuſta verſus Interrex, VLADISLAI IV corpus, Varſaviam deuehendum procurat: quod, vbi functus vitâ Meretij Rex, ab Antonio Tyſzkiewicz Pocillatore Lithvaniæ, loculo impoſitum fuit. In occurſum iverant Andreas Leſzczynius Culmenſis Epiſcopus, idemq; Regni Procancellarius, ac Staniſlaus Warſzycius Mazoviorum Palati.

Staniſlaus Warſzycki Palatin. Mazoviæ.

1648. Palatinus, præter plerosq; Miniſtrorum Aulæ. Advecta vrna, ac in Arce repoſita, exhibebat cunctis grande vanitatis paradoxum: poſt impletum famâ nominis Orbem, etiã Reges mori.

Comitijs dein Convocationis ex Indictione Primatis ad XVI Iulij incidentibus, frequentiſsimi Proceres Varſaviã convenêre, omnes palla veſte induti; qui idem lugubris color, tegebat famulitium: plebi quinetiam, cui, magnitudinẽ Principum, temporum felicitate metiri mos; lætis ac popinaria interdictum: teſtando vniverſaliter dolori. Ac primùm Ordines Regium corpus Venerati, etiam Chriſtianæ pietatis ſuffragia addebant, piaculari Sacro in Divi Ioannis Baſilica: tum, & per alia Vrbis templa, magno concurſu celebrato. Poſtquam verò Nuncij terreſtres, cœtus ſui moderatorem, Boguſlaum Leſzczynium, Maioris Poloniæ Generalem, delegerant; Triclinium maius, quod Senatorium vocant ineundo, conſultationes publicas cùm Senatu auſpicabantur: vt adnotem, is Ordo confeſſus erat. Ad caput circuli, præſidebat Primas; latera, occupabant Præſules; poſt hos, ſæcularis Senatus; Senatum ponè, Nuncij; nulla de vſitato conſidendi more mutatione: præter Solio Regis, architriclinio elatum nulli, vtpotè vacante Throno, vſui. Hìc pauca, tempori ſervientia, præfatus Primas; thema conſultationi per Gembicium, Maiorem Regni Secretarium, proponit: in eam ſummam. *Iuſtiſſimum dolorem eſſe Civibus, extincto Principe; filijs, amiſſo Patre; omnibus, ſublato benefico Patrono. At, ſupervacuum videri, luctui indulgere, cùm honeſtius ſit, viris meminiſſe. Sculptam quippe in pectoribus cunctorum tanti Principis memoriam, obſtringentibq; quemq; beneficijs, vel ſaltim dulci regiminis recordatione. Fuiſſe nuper Polonos ſub tanto Rege beatos; gloriam, pacem, fortunam, quaſi ex Amaltheæ cornu proveniſſe: occidente illo, ac ſi ſole, omnia teterrima belli caligine involvi. Neq; opus calamitoſæ Patriæ typum verbis circumſcribere; cùm, ingruentium malorum ſenſus, percellat multos; penetret ad omnes. Immine-*

Boguſlaus Leſzczynski General. Maioris Poloniæ

re rebelles ab intra; deforis, vicinos minari; inter ſe collidere Statûs, odio aut æmulatione. Medicina malis primitùs è cælo voveri; ſecundariò, à mutua concordia ſperari poſſet: ſi, magnæ Parentis charitate ſimultatibus depoſitis, contra hoſtem armis, erga Rempb. amore, inter ſe concordiâ, Regnicolæ certarent. Affore propitium Numen ritè invocatum, non aliâ victimâ cælo gratiore, niſi pro pace, dilectione nitentibus. Ea pro munere proponere. &c. &c. Ac cuncti præſentium intuitu, magnis rerum momentis, magnas curas tribuendo; quidquid, vel ad reprimendum hoſtem, vel ad retinendam Vicinorũ amicitiam, deniq; ad conſervandam Reipubl: incolumitatẽ pertinere videbatur, abundè providebant. Quoad bellum gerendum. Delectus militares per Provincias inſtitui iuſſi; vt lectus miles, Exercitum XXXVI Mill. componeret. Cui regundo Præfecti, ſub *Regimentariorum* nomine deſtinati. Nempe, Dominicus Zaſławiæ Dux, idemq; Palatinus Sandomirienſis, Nicolaus Oſtrorogius Pocillator, ac Alexander Koniecpoli Vexillifer Regni: penes quos, ſumma rerum, Triumviri. Tum, quo plurium conſilio res bellica niteretur; additi, ſub titulo *Commiſſariorum*, è Senatu: Simon Sczavinius Breſtenſis, Ianuſsius Tyſzkievicius Kijovienſis, Hieremias Dux Wiſniovecius Ruſsiæ, Stanisla Potocius Podoliæ, Adamus Kiſielius Bracławienſis, Palatini. Ex Equeſtri Ordine: Michael Zebrzydovius Enſifer Regni, Alexander Lubomirius Comeſtabilis, Georgius Lubomirius Minoris Poloniæ Generalis, Hieronymus Sieniavius Leopolienſis, Conſtantinus Lubomirius Sandecenſis, Zbigneus Firley Lublinenſis, Præfecti: Staniſlaus itẽ Firley, Ioannes Potocius, Ianuſsius Pruſsinovius, diverſarũ terrarum Succamerarij. Ex Maiori Polonia. Hieronymus Radzieiovius Łomzenſis, Staniſlaus Denhoff Wielunenſis, Andreas Grudzinius Rogoznenſis, Iacobus Rozrazovius Koninenſis, Ioannes Grzybovius Varſavienſis, Albertus Weſſel Rozanenſis, Sigiſmundus Denhoff Socalienſis, Andreas Oſſovius Wſchovenſis, Præfecti. Ioannes item Sa-

1648. dovius, ac Alexander Karchovius, prolixam consilij bellici paginam implebant: addito demum Chrystophoro Arciszovio Armamentarij Regni locum tenente. Hæc tum consultorum pluralitas, nihil in summam præstitit; cùm res bellica, acsi horologium, vnius manu tractata, expeditius procedat: iuxta vetus Taciti effatum, *non aliter imperãdi constare rationem, quàm si vni reddatur.* Tum quoq; Dissidentes in religione, occasione vsuri, quòd sui Iuris facta Respubl. pro secta sua non parùm tentavêre. Transeo projectum scripti, districtiùs, sub proxima Electionis Comitia enarrandum. Subinde, ad Comitia venerant Cosacorum tres è Veteranis Internuncij. Georgius Boldar, Wisniak, & Mozera. Vbi ijs publicum datum, reddebant literas Chmielnicij, ad Vladislaum Regem scriptas, acsi author adhucdum Fati Regij insçius foret. Lectæ per silentium eæ, quas ex vernacula exhibeo: interesse ratus, quâ titulo causisq; belli dignoscendis, quâ genio rebelli, tanta cùm patrasset, acsi excusabili crimine profitenti.

Serenissime ac Potentissime Rex, Domine, Dñe Noster Clementissime.

Svbiectionis fidem, tum & militaria obsequia nostra, quàm humillimè Sac: Reg: Maiest. Vestræ. Dño. Nostro Clementissimo deferimus. Quamvis creberrimæ Exercitus Zaporoscensis querelæ, aures Sac. Reg Maiest. Dñi Clementissimi pluriès fatigaverint; non admissas tamen supplicum preces, vel suppressa miserescentis suorum Principis rescripta; nullo malorũ respirio, planè constitit. Nunc, Procerum Præfectorumq; Vkraynensium graviore Turcico pressi iugo; fiduciam in Deo, spem alleviandi mali, in sola optimi Regis clementia, reponimus. Multis retrò annis patimur iniurias, contumelias, depeculationes; nec bonis tantùm, & quæ avaritiam irritare possunt, sed liberis corporibus vis infertur. Arva, ex antiquo possessa, vel de novo

de novo exculta, prædia, horrea, molendina, & quod vspiam Cosacorum est, pro libitu rapientium adimuntur; abiguntur pecora, expilantur alvearia; equis, quibus milites meremur, privamur. Nec ingemiscere licet, preces pro contumacia; questus & lachrymæ, pro rebellione audiunt. Plena Cosacis ergastula, & carceres publici; luunt alij corpore; alij nullâ, nisi quòd ditiores, causâ trucidantur. Conquerimur irrito effectu, patimur nullâ inimicorum satietate. Legati Legionum nostrarum, ex protectoribus proditores facti, atroci in nos sæviunt lanienâ; quippè Dynastarum Vkraynensium Vasalli, aut à clientelis. In complementum miseriæ, deterrima gens Iudæorum, calidè novos prædandi sinus exquirit; mox vbi spolijs substantiolisq; nostris se expleverit, varijs technis ac criminationibus, vrget Præfectos, in necem Cosacorum vecordes. Inde nobis restes, & gladij; si criminis accusari possumus ex eò, quòd ad Regẽ nostrũ, & supremum Vindicem, vel confugimus, vel confugere meditamur. Additæ à sævientibus exprobrationes, ferrent vel mitterent ad Regem supplices libellos, expectarent futura, paterentur præsentia. Itaq; intolerando amplius mali sensu, extremâ avitis sedibus pulsi miseriâ, relictis coniugibus pignoribusq; consulendum censuimus vitæ, inter tot inimicorum insidias, evidenter periclitanti. Nec aliud nisi in Zaporoze lectum nobis reclinatorium; vnde olim maiores nostri, Regno huic, ac Serenissimis Regibus obsequia, meritis militaribus Orbi nota, præstitêre. Verùm neq; eò secessu fida nobis statio, impetimur, & ad necem deposcimur, non vt subiti Regis, & milites, sed vt vilissima mancipia. Testem Deum *appellamus, nos ab obsequij debito, ne latum vngvem recessisse; Cùm Illustrissimus Castellanus Cracovienſis, in Zaporozij aditis securos esse non sinens, admoto exercitu Borysthenis latebras oppugnavit, nec miseros exules, loco tutos esse permisit, donec perderet: nominis generisq; Cosacorum, agitans excidium. Proin, cùm valido Exercitu succinctus, requireret sanguinem innocentem, ex necessitatis extremæ consilio, vti operâ & protectione Hani Crimensis, adversùs novissimum discrimen coacti fuimus. Inde factum Vin-*

1648. *dice* DEO, *vt aridis cum lignis, etiam crudam struem ignis involveret. Origo mali, vel tantæ cladis causa, cui meritò adscribi debeat,* DEI *iudicium esto. Nunc, Exercitum Zaporoscensem, ad ima pedum S. R. M. provolutum, humillimè deprecari, culpæ ac noxæ commissorum condonandis: Dein testari, vt semper hæc militia in fide adversùm Optimos Reges constans exiterit, etiam nunc stabilem in obsequio manere; ac, si quid erratum est, promptâ dein operâ, vt qui inviti peccaverint eluendum. Precari item, vt privilegia ac immunitates suæ, à Sereniss: Regibus gratiosè militiæ Zaporoscensi impertitæ, incolumes manerent. Quibus cum postulatis, ad ima subsellia victricis Solij devoluti, Suæ Serenissimæ Maiestatis, Domini Clementissimi Fideles subditi manent. Datum in Arce Białacerkiew, die 2da Iulij. An. 1648.*

Bohdanus Chmielnicius, *Senior Exercitus Zaporoscensis S. R. M. D. S. Clem.*

Quo responso dimittendi Internuncij, anceps distinuit deliberatio. Cùm multi Maiestatis Reipub. memores, simulatam facti pœnitentiam perosi, acriori responso; plures, (inter quos Kisielius) haud asperandam ferociam suaderent & vtili in tempus moderatione cicurandam. Lupum quidem (vt aiunt) auribus non teneri; ast multitudinem, si palato & tempori congruentia dicas, quocunq; velis circumduci. Isti, dum inter expediendi moras, officia salutantium Proceribus impendunt; fortè contigit, vt apud Primatem, in frequenti concursu hospitum, à quopiam interrogarentur. Eccur communem Patriam detestabilibꝰ armis impeterent? Nonnihil ad subitam quæstionem hallucinati, incircumspecto aut per simpliciratem verò responso, se suosq; excusabant. *Iussu Aulæ indicta Cosacus arma, missumq; reparandis Myoparonibus pecuniam fuisse: eos demũ belli paratus, ab insuetis otio, vel oppressis insontibus, in defensionem sui conversos.* Quæ in congressu plurium prolata, emanando in publicum, fecêre, vt pullularet prompta in messem excrescere suspicionum seges; intervenientibus in-

ter

ter Proceres simultatibus, & in publicum damnum prorupturis odijs. 1648. Cùm enim Ossolinius, Supremus Reg: Cancellarius censuisset, non aliter coalituram pacem, nisi exclusis fervidioribus subiectis; miti & persvasibili viro, summa belli gerendi traderetur; eandemq; sententiæ constantiam privatis sermonibus tuitus, asseveraret: vbi violento ingenio Regimen exercitûs committitur, perinde esse, ac amenti tradere gladium: fœcunda suscitandis inimicitijs Aula, tanquam in Wisniovecij iniuriam, aut diminutionẽ iacta, trasmittebat. Vnde iustæ iræ in æmulum calcar, præsertim ex Regundi Exercitûs munere translato, in Zassavienſem Wisniovecio privatim infensum. Ad hæc, Terrarum Prussiæ Nuncios angebat Pucensis Præfectura, contra consuetudines Provinciæ, transmissis indigenis, Cancellario collata possessaque: hinc acriùs contendendi motivum: ac dum privata studia, Weyheranæ domus clientes promovent, prætextus publici adsumebatur. Vrgebant namq; infensi, vt formato Iudicio, in causas belli inquireretur. Talibus non obscurè sepeti Cancellarius videbat; verùm æquè dicendi promptus quàm silendi, sustinuit aliquantum; donec mitesceret ardor: gnarus malevolentiam ipso impetu efferari, demum elassatam, velut amisso aculeo torpere. Tum verò subsidente motu, magnificè de fide in Patriam sua, confidenter de meritis prolocutus. *Non se moveri (ait) hac acclamationum procella, minus agentibus inimicis, qui falso crimine traductum, nõ tam se rectæ conscientiæ fiduciâ securum, quàm Rempublicam turbarent. Eiusmodi discordiæ sibillis, subscribi hostium voto, hoc sibi dolori esse; cæterùm discutienda mox obiecta, vt fumũ vento fortiore. Provideretur priùs incolumitati Patriæ, vbi salva illa, & Electus Rex; cui crimen perduellionis dijudicãdum lex committat: instruendam litem, & quæ huc spectant; tum demùm, legitimo sub iudice causam dicturum.* Agebat pro eò, & Bracłavienſis Palatinus; asserens, vafrum commentũ esse hostis, tanti nominis auctoramento, alliciendæ in rebel-

Georgij Ossolinski Supr. Regni Cancel.

 lionem

lionem plebi abutentis: vel ſcindendis Civium animis, per
1648. doloſas artes perfidioſè imminentis. Itaq;, Primatis iuſſu, requiſiti ſuper vulgatis internuncij. Nihil ſe à Chmielnicio ea ſuper re accepiſſe in mandatis, reſponderunt; niſi, quòd incerto auctore rumor, inter Coſacos ſparſus; ipſos quoq; non vt articulum de fide retuliſſe. Talibus in tempus ſulta Cancellarij auctoritas, reſeditq; manente odio verborum ardor. Expediti Coſaci eâ reſcripti ſummâ. *Compati Ordines afflicto Patriæ per Interregnum Statui, cuius res peſſum irent, non aperta vi extranei hoſtis, ſed vnde magis dedecus, quàm vulnus dolet, ab internis motibus. Aſt, quæ iam tranſacta, caſtiganti Numini adſcribenda eſſe: quòd ſi in poſterum, fide & obſequio cõmiſſa rependunt Coſaci, vniverſali amneſtiâ, cuncta obliteranda: interim expediri Commiſſarios à Republ. tranquillandis Vkraynæ rebus, eoſdemq; Zaporovianæ militiæ libertatibus, ſi quæ vetere orbita exciderint conſulturos. Ceſſarent hoſtilia viriq; bona fide, nec vltra Barbarorum libidini ſanguine Chriſtiano litaretur.* Simul amandatus Pedeſtris Centurio Wolſki; qui, eadem illa Ordinum nomine Coſacis inſinuaret. Sub Comitijs, Principes ſanguinis Ioannes Caſimirus ac Carolus, dum corpo Regium inviſunt, à Collegio, Nuntiorum Terreſtrium ſalutabantur; condolendo orbitati & mærori, quem Principes in tanti Fratris iactura tolerarent. Repoſita viciſsim ab ijs verba conſolationis fuêre; cùm, & Regnum Poloniæ pro communi parente, eiusq; bona & mala, ad ſe pertinere profiterentur. Carolus tum in Iablonna, Caſimirus in Nieporęt ſubſiſtebant: qvi, (vt adiungã) integrâ adhuc dum Regali Domo, nimirùm ſuperſtite Sigiſmundo Vladislai Filio, viſendi amicorum Regum Aulas extra Regnum ierat; ac, tum fortè Viennam Auſtriæ delatus, acceptâ mortis fraternæ notitiâ, in Poloniam redire maturavit. Acciderat ante, vt Princeps, ſeu abrupta ſpe in apicem rerum eundi: ſeu humanarum rerum tædio, inſtitutum Patrum Soc: IESV, ſuſcepto Romæ habitu ingrederetur: ſed mox, Fratre Rege, Req; publ: improban-

probantibus, ijs valedicens: quo mutato conſilio, circum-
1648. daret eminentioris ſtatûs ſpeciem, Cardinalitiæ purpuræ à Summo Pontifice honorem acceptârat. Vnde ſub ingreſſum Varſaviam, pleriſq; Procerum in occurſum venientibus. *An è re eſſet, Cardinalitio habitu Vrbem ingredi ſciſcitanti?* reſponderat Korycinius Oſwiecimenſis Præfectus. *Regij diadematis, ſimul & Cardinalitij Galeri, vnum Caput in Polonia incapax fore.* Hinc factum, vt Princeps atro tegmine, ac paludamento vſus; & tempori ſerviret, & novis odijs anſam ſubtraheret, Finiêre dehinc Comitia, poſt expeditos externorum Legatos, qui orbitati noſtræ condolendo affuerant: futura Electione ad pridie Nonas Octobris indicta. Nunc bellici actus, tantiſper reſumptæ Togæ, fibulam laxant.

Tum verò, ex voto & ſenſu cunctorum, Kiſielius Bracla-
vienſis Palatinus, Senator fidei & animi præclarus, cõmiſ- Adam9 Kiſiel. Palatin. Bracla v.
ſum paciſcendi negotium adornabat; additis à Republ: co- Franciſcus Dubrawſki Succam. Premyſl. Alexan. Sielſki. Michaël Obuchowicz.
operatoribus, Franciſco Dubravio Premyslienſe Succamerario, Alexandro Sielſcio Dapifero Poſnaniæ, ac Michaële Obuchovicio Regi à Cubiculo. Chmielnicius tum, poſt Corſunenſes Cannas Annibal, ad Białocerkiew conſidens, ſuper libero commeatu per Petronium Łaſko, ritûs Græci Aſcetram compellatus, Centurionib9 ſuis coram, lectis Palatini literis; quis in pacem cunctorum ſenſus foret, perquirebat. Aſt fremebat incondita turba, nullam ſibi in pace credens ſecuritatem: ac probris inceſſens nuper formidabile, iam tum contemptum, *Commiſſariorum* vocabulum: vt qui doloſo pacificationis titulo, ſucceſſus fortunæ morari intenderent. Accedebat, aſtutè vulgatum, temerè creditũ, Internuncios Coſacorum Varſaviæ cæſos; vnde, irritati ac meruentes, ad mentionem pacis exhorreſcebant; donec reduces illi falſum rumorem decuerunt: ac arbiter negotii Kiſielius, vt in pacem legis audire vellent, vtcunq; perſuaſit. Verùm, ordiendo negotio, ingens ex Maximo Krzywonoſo impedimentum: qui, è ditione Oſtrogienſi, dudum ob

agita-

1648. agitata latrocinia capitalium damnatus, pravâ æmulatione ſcelerum, Ducem ſe furenti plebi exhibuit: &, vt quisq; mortalium perditiſsimus, ac exlex; huic ſe coniungebat. Vnde, primùm coactis graſſatorum globis; vaſtare, vrere, diripere, idq; nullo reſiſtente impunè: mox, iuſti exercitûs Caput, (vltra LX. Mil. ſub ſignis habebat) per Wolhyniam, Podoliamq;, incendia ac cædes latè circumferebat. Eò auctore continenti flamma refulſit; quidquid, à Pripetio ac Sſucza amnibus, ad vſq; Sanum florentis oræ continetur. Videre erat luctuoſum incendium; dum Sacræ Ædes, publica ædificia, operoſæ palatiorum ſtructuræ, velut iugi flammâ, vrerentur. Paſsim indefenſæ Arces; oppida adverſùm vim patentia; nemini in repugnandum niſus; cunctis in ſtuporem verſis, & fataliter torpentibus. Deformata vltra hoſtilem modum Regione; quidquid divini humaniq; iuris obviûm, funditùs evertere deſtinavit. Proculcata Religio, Iuriſdictio omnis interverſa, ſublati Magiſtratꝰ, infida, nedum itinera, verùm & latebræ fugientibus. Domus, vici, campi, rapinis, incendio, fœdè afflicti: trucidatis promiſcuè *Lachis*, vt quemq; ſors obtulerat. Potiſsima in Heros ſæviendi materia ſubditis, protrahebant vagos, conquirebant abditos; & cunctis, qui non prævenerant diſcrimen, moriendum fuit. Czetwertinius (Kniazium nuncupant) Borowicæ in oppido interceptus; violatâ in conſpectu vxore, ac enectis liberis, demùm ipſe à molitore proprio ferratâ pilâ, mediùs præciditur. Aſt mihi in totam ſcelerum imaginem Thymantis velum.

Furente Krzywonoſſo, Kiſielius, quominùs ſecuriùs adire Chmielniciũ valeret, ſanciendo privatim armiſtitio; aliquot Commilitones ad eum præmiſerat: viciſsim ille, pari numero ſuos, ad Palatinũ; qui vtrinq; eſſent, ſine dolo inhibendæ hoſtilitati, vadimonium. Viſa his flecti pertinacia, quam in primò limine fortuitus caſus commovit. Dederat Palatinus ad Moſchoviæ Ducem literas, ne ſe Rebelliũ moliminibus immiſceret, ſubmonentes; quæ tum interceptæ,

ptæ, nimium quâm irritârunt promptũ in extrema Chmiel- 1648.
nicij animum, vſqué eò furoris prolapſum, vt dimiſsis ad Krywonoſſum legionibus, intercipere Commiſſarios, ac extrema Polonis inferre mandaverit. Vndè ſtolidè ferox Krywonoſſus, obſides illos, quos ſub fide habuit, miſerabiliter mactavit, mitiora Kiſielio ſcriptitans, quo impendentem obſidibus Coſacis necem averteret; revera vt deluſos vana imagine modeſtiæ Commiſſarios, faciliùs circumveniret. Ad quæ anxius Palatinus, quid faceret, diu animo diſtrahebatur. Si irritus mediationis, ne cæpto quidem negotio abſcederet, apud Concives ſpe pacis deluſos, vapulandum erat? Sin iratis Dijs, in promovendo negotio perſtaret, non neceſſaria irritato hoſti victima, caſurus. Placuit demum viro propoſiti firmo, per literas Bohdanum pertentare, reperto ferendis Kopyſtynio Nobili Ruſſo. Aſt calci ſementem mandare videbatur, contemptim accepto latore, ac remiſſo authographo literarum ad Moſchum ſcriptarum, in ſinceri adverſùm ſe animi documentum. Exin, abrupta ſpe, cum fortè an conſilio Metropolitanum Kijovienſem, nactus, iterum curas in negotium advertit. Sylveſter is Koſſow, genere Patritius, nec vita à natalibus diſsimilis, & præter Vernaculam, etiam Latinâ promptus facundiâ. Hic itaq; ad Bohdanum prece evictus ibat, efficaciore acturus commercio, ſi titulum religionis Antiſtes prætendiſſet. Equidem ſpecie deſiderantis abire oſtendit, verùm à Duce retentus, verba tantùm per Epiſtolas dabat, inclinati in pacem Chmielnicij teſtes, niſi renuente plebe, pronus in mitiora inhiberetur. Nimirùm, ita ſeditionum Duces haberi ſolent, vt primo motu ciendis in arma popularibus, exiſtant validi, mox vbi mitiora volunt, flacceſcentis fidei inſimulentur. Magni auctor eſt dum in ſcelera itur: vbi reſipiſcit, odiſſe primùm vulgus, mox adverſari, dein damnare, & ex pœnitentia flagitij, niſi antevertit periculum imminet. Hærentibus *Commiſſarijs* Hieremias interim Wiſniovecius ægrè à Boryſthene eluctatus,

1648. quis tandem ſucceſſus Commiſsionis, ad Conſtantinoviam operiebatur. Celebre ea tempeſtate Hieremiæ nomen erat, non apud ſuos tantùm, ſed etiam inter hoſtes, præclarâ nominis famâ fruebatur; quod Dux bello ſtrenuus, in pace comis, proliceret ſtudia cunctorum ingenito candore & militiæ gloriâ. Vnus ille, vel fatente invidiâ, reverētiâ & amore ſuî obſtringebat populares, militi potiſsimè gratus, quem gemino, Liberalitatis, & Virilis in diſcrimina ausûs vinculo, devinctum tenuit. Comperto is, Coſacorum legiones deproperatis itineribus, quo ſe Krzywonoſſo iungerent feſtinare; quidquid in contiguo cohortium erat, in adverſos citus contrahit, cum Tyſzkievicio Kiovienſi Palatino, ac Samuele Oſsinio Duc. Lith. Metatore Prætoriæ Legioni Præfecto, quàm Guardiam nuncupant; etiam plerâq; Nobilitate penatibus extorri, ſe ſe aggregant, vt vix ter millium complerent agmen, aſt in quo Dux & miles, exiguitatem numeri, virtute ſuperarent. Cum his Krywonoſſo immenſam multitudinem trahenti, ad Zwiahelium occurſum. Nihil hæſit ille quin primò congreſſu pauxillam manum obtereret vel fugaret, cum Hieremias à ſuis facilè impetrat, vt magno animo capeſſerent prælium, non verba magis, quàm exemplum præeuntis ſecuturi. Et mox claſsicum canitur, etiam ex adverſo tumidus hoſtis, contemptim eoque ſolutiùs in ſparſos ſigna infert. Luditur, non pugnatur, receſſus modo, ac in gyrum circũacti ordines, modo non ſimulatæ fugæ ſpecies oſtenditur. Donec peditem propè retroacta acie, nacti Poloni ſpatij quantum ſatis concitandis Equis in Equitem Krzywonoſſij, à ſua abſtractum carragine, vehementiſsimè involant. Pugnant iſti, & numero prævalent, noſtri iterum vacillare oſtendunt, donec à latere paludis prorumpens Oſsinius, raptim immiſſo deſultoriorum globo in fugam confuſos præcipitâſſent. Krzywonoſſus equum nactus, evaſit, ad ter mille è plebe cæſi, & internecivè Equites fundi poterât, niſi æſtivo ſole ingens palus, minore iacturâ elabi permitteret.

Ianuſsio Tyſzkiewicz Palatin. Kiovienſis. Oſsinſki Metator Lithu.

teret. Pulvianus tum Centurio captus, nuper à Chmielnicio impellendo ad hoſtilia Krzywonoſſo ſuperveniens; qui ſponte pleraq; inania aut falſa, demum adhibito ſcrutatore igne, in confeſsionem veri adigitur. Nempè antegreſſum mandato Bohdani Krzywonoſſum, & præcipitanter in pugnam deſcendiſſe; in procinctu ſubſequi cum legionibus Chmielnicium, ingenti quâ Scytharum, quâ Coſacorum potentia ſubnixum; cui ad Albam vndam, (ita Viſtulam vocant) progredi deſtinatum. Vnde Hieremias, etſi primis ſucceſsibus non deeſſe cuperet, aſt dum vix Centeſimam hoſtilis potentiæ partem adæquat, in tutum copias reducere maturavit, Cautus Dux, & impetum ratione moderans. Ne tamen penitùs ſtatione abſiſteret, dimiſsis Tuczynum impedimentis, rursùm alacres nupera Victoria cohortes, ad Roſſoſowce hoſti obijcit. Neq; animi promptum deſtituit fortuna. Quippè Krzywonoſſus, delendæ ignominiæ ex clade cupidus, iterùm aleam prælij periclitari auſus, iterùm funditur; nam edoctus Polonos tranando amni imminere, intercludendos vbi diſpartiti ratus, emiſſo turmatim equitatu properè ruebat; Carragine, ſi vis maior ingrueret, ponè ſequente. Vbi verò aliquot cohortes Polonas comperit, effusè inſtitit abſcedentibus. Cũ Baranovius, legionis Wiſniovecij Protribunꝰ, retruſis ſuccurrens, vt erat celeritatis eximiæ, cùm ijſdem pervicaciſſimi certaminis initium fecit. Cuius impreſsione, primi rebellium qui reſtiterant obtriti, reliqui vix delibatâ pugnâ præcipites, ad Carraginem delati ſunt. Secutus præcurſores Hieremias, in carraginem duxit, bipartito Polonis ſigna inferrentibus, diſieceratq; egregiè peditũ agmen, multisq; cum in ipſo certamine, tum in receſſu trucidatis, tandem campo potitus & carragini impar, ſatis habuit Equeſtribus viribus hoſtem mulctaſſe. Hæc tum Wiſniovecius ſuoptè Marte & proprijs auſpicijs.

Sub hæc Legiones, lentis nimium itineribus, è Polonia confluebant; Cum interim malè cohærentis Procerum mi-

litarium animos ſemina diſcordiæ diſtraherent, contracta
1648. dudum, inter *Zaſſavienſem*, Wiſnioveciumq; ſimultate. Nam quod in armorum Præfectura, Prælatus Hieremiæ Dominicus, in diminutionem iniuriamq; Wiſniovecij, alienum honorem, ſequaces ſui referebant. Acceſsit, vt fermè acriùs leviora pungunt, ex intima Zaſſavienſis familiaritate, Samuel Laſcz Excubiarum Regni Præfectus, aſperis facetijs dicax, & promptus ciere offenſas, Verborum licentiâ. Neq; apertus ingenij Wiſniovecius, læſum ſe infenſumq, diſsimulabat; iam poſt recentem Krzywonoſsij cladem, ſuo animo & militum ſtudijs erectus, nihil de victoria ad Triumviros referens; iam cum Tyſzkievicio, Koniecpolio, Kalinovio iuniore, alijsq; Procerum, diſiungi animo, ſcindi conſilijs, ſegregari Caſtris incipiebat. Plures Zaſſavienſem & auctoritas Reipubl:; potiores Wiſniovecium & robur militiæ ſequebantur. Par vtriq; natalium ſplendor, hic è Corybuthæa affini Iagiellonibus ſtirpe; ille ex veterrima, Ducum Ruſsiæ propagine, oriundi. Hieremiæ parta bello decora, & recens militari gloriâ celebre nomen; Dominicum ex attributis Fortunæ, magnum virum facilè crederes, bonum libenter. Amplior huic per opimas devolutiones, opum congeries; ſufficiens pro ſtatu Ducali & Wiſniovecio hæredium, niſi inferior eò quòd per bellum exutus facultatibus. Quantùmq; ille à Republ: delati muneris dignatione, anteire: tantùm iſte, omnium calculis antehaberi; vterq; æſtimatione indolis, & qualitatibus ſuis, (vt vulgus amat) cenſebantur. Exitiabilis omnino æmulatio erat, niſi caritate Patriæ prava certamina abolerentur. Hinc interventu amicorum, aeris primo vniendis labor, attamen Hieremias, ob bonum pacis communi concordiæ voto ſubſcripſit Ad Czołhanſki Kamien traſacta hæc, vbi invicem amicas, concordiæ pignus dexteras, obtulêre. Iure merito gratulanda reconciliatorum animorum vnione niſi diſpendium temporis, (ſeſqui menſe complanationi inſumpto) incompenſabilis iacturæ fuiſſet. Nimirùm quàm præcla-

præclarè Romani illi, qui antequam Curiam ingreſsi, pri- 1648.
vata deponebant odia, publico conſulturi.

Itur ergo gravi agmine, & luſtrato exercitu XXXVI. Mill: pugnatorum, cenſa ſunt. Haſtatæ præcipuè cohortes eminebant (*Huſſaros* dicimus) levior armatura in *Arquebuſeros*, & loricatos diſtincta; peditatus ad Germanicâ militiæ Regulam, Corpus agminis conſtituebat. Sub armiluſtrium, ſplendidiſsimæ apparuêre Legiones, non comptioribus eâ militiâ, in choragium Paranymphis. Neq; ſolùm rutilantia arma, arma nitentes auro phaleræ, ſegmentatæ phrygio opere ſellæ Equeſtres; verùm exquiſiti menſarum apparatus, inſtructæ multa arte dapes, verſicolor veſtis, pretioſæ pelles, culcitræ, ſtragulæ, circumferebantur, cunctis abuſu certantibus. Quam profuſionem, ex moribus Tribunorum, hærens per ſtativa miles imitatus, poſtquam ſtipendiarium æs decoxerat, dum Martem (vt loquitur) pergit, intolerabilis divexatis colonis tranſibat. Inde oppreſsi per rapinas populi, queſtus & execrationes, tanquam nihil graviùs ab hoſte pati potuiſſent. Regia ac Spiritualium bona, eo malo maximè afflicta, vnde prodierat libellus, Patrimonium Eccleſiæ, ſacrilegâ attrectantium militum manu violatum, vindicans; verùm leve ex imbelli folio retinaculum, imò emiſſarium ſcriptum circumlatum fuit, quo alendi ex bonis Eccleſiæ militis, ius & fas eſſe, nonnemo oſtendebat; ſupra vſum & morem, allegato ex ſacra pagina Abimelechi exemplo, qui Panes Propoſitionis Davidi militibusq; ſuis obtuliſſet.

Neczaius Coſacorum Tribunus, vir in pericula præceps, propè Exercitum ſuggreſſus, aliquot ſuccenſis Oppidis, Cõſtantinoviam in oculis Ducum invadebat, contra quem acſi aliud agendo, Łaſcius deſtinabatur. Nam etſi omnes hoſtem eſſe ſcirent, nemo credebat; adeò effreni victoriæ præſumptione, vt pleriq; maioris nominis, extra ferri vſum, loris tantùm flagrisq; ad parandam eam, opus eſſe dictitarent. Hinc altiùs per nimiam fiduciam vulnus acceptũ,

1648. & qui ante visum hostem, verbis feroces, in procinctu discriminis, diversa loquebantur. Fortè super progressu belli instituebatur deliberatio, cum motus militaris subito in Castris ortus, animos consulentiũ distraxit. Dum namq; intrant Castra, Commissariorum currus, aliquot audaculi eos excutere ausi, tres quatuorvè Cosacos ex ijs abditos protraxêre. Ortus inde tumultus, frementium aut incessentium, convitijs Kisielium, potissimo incentore Corrigia Wolski, quin lingua immodicus, convitiabatur, tam propè
Wolski Rzemyk à proditore Palatinum aiens, quàm sit à Rutheno; aliaq; læsiva, in innocuum, etiam à potioribus iacta. Vbi innotuit factum, aliquantum iræ, plus dolori indulgens Kisielius, fidem Collegarum obtestabatur, qui Cosaci illi & vnde; nempè à Krywonosso armistitij servandi obsides fuerant, à Palatino arbitrio Ducum reservati. Sedato tumultu, indignationẽ Kisielij sopijt promissa in auctorem animadversio. Qui idem, in Concilio militari, infectæ Commissionis interpres, enumeratis quæ pericula curarumq; ærumnas, Collegis cùm adierit, factum inclemens, & abruptã hostis temeritatem, vtili moderatione incusavit. Tum de progressu belli gerendi requisitus; bello non prælio agendum censuit, patheticè differens. *Ea spe et voto huc se tractum, vt pacator pacis, & concordiæ auspex, non fecialis aut suasor belli adessem. Vitæ discrimina, fortunarum dispendia, & acerbiora morte ludibria, sine sensu iniuriæ pertulisse se; omnem movendo lapidem, quominus Optatum pacis negotium, consummaretur. Nunc, qua manu palmitem Olivæ ferre speravi, ferrum teneo; &, qui vt vivere omnis, etiam hostis posset, medijs quantum humana ope datum institi; is nunc in communionem aleæ, qualem fors belli præscripserit venio. Civis ac Senator sum, plena fide Patriam, integerrimo Reges meos veneratus obsequio. Ac, si cui genus, si virtus, & innocenter gesti honores, fiduciam augere possunt, certè mihi; qui sanguine etsi è Rutheno, ex ijs tamen descendam Swietoldycijs, quorum auxilio & consilio, corpori Regni, Nobilis Roxolania accesserit. Sibi*

cum

cum Rebellibus, præter eadem sacra, commune nihil; & quominùs hæc seditionis hydra, Herculea sub manu cadat, inter præcipua votorum esse. Et hæc non iactabundè, sed in argumentũ inculpatæ virtutis. Ast, de ratione belli queror? Bello, non prælio agendum censeo; eluso namq; morâ, & cunctatione hoste, tutiorem victoriam, vel absolutam pacem, citiùs sperãdam. Sortis adversæ considerationem non ingero, periculosam prælij aleã detestor, vbi sine sanguine vincere licet! Sat namq; tempestivè vincimus, provisâ, ne pati casum contingat, securitate. Et rationem quàm impetum sequi: iam Zoltowodensis, iam Corsunẽsis cladium, tristis suadet recordatio; nisi properando periclitari, quàm deliberatè vincere maluerimus. Nemo rapido torrẽti obijcit repagula, nisi temerarius: cùm tamen cursum aquæ, sisti posse consilio, vsus ostendat. Circumferenda arma sunt; quorum ostentatione, subitum hunc & violentum motum, non arduum erit componere, vel tollere facilè. Dandum bonorum recollectioni, malorum pœnitentiæ spatium! aut hos metus, aut illos, quietis amor, vtroq; conscientia, ad sanitatem mentis reducet: & amabunt redire ad obsequium, tanquàm, qui inviti peccaverint. Quodsi mitem respuit medicinam temeritas, saltem pignorum caritate, & penatium curâ (quæ vtraq; mortalibus carissima esse natura voluit) fidem ac in pristinum statum retrahentur! Et hæc liberè quæ sentio expono; vos verò, quibus ea cura incumbit, agite, incolatu Vkraynæ manente; an funditùs deleto? ne quid Respubl: detrimenti patiatur. Fiducia orantis, & quia plurium causa erat, si Vkrayna arderet bello internecino, traxerat in sensum Palatini possessores maximè. quotus quisq; enim, qui amplis reditibus præ victoriæ titulo, mulctari mallet. Ea torpedo invaserat animos; vt, ante bellum, de calamitatibus eius deliberarent. Subscribebant sententiæ Palatini & Dobeslaus Cieklinius, Castellanus Czechovienſis, qui omnium consiliorum Ducis arbiter, pervincebat. Consilio non manu, diffuendo rebellium consilia; ac, spatium recolligendis animis concedi oportere; nam, si ferrum cervicibus imminet, desperatio accendetur;

1648.

Cieklinski Castel. Czechovien.

detur; hinc ſpes ſublata veniæ, pertinaciam irritabit. Hæc
1648. aliquo aſſenſu dicta, excepit Wiſniovecius (ſecutus Commentarium trado) *Adprobarem & ego veſtri rationes conſilij, ſi quanta ante me dicentium facundia, par hoſtis modeſtia foret. Rebelles, nè cladibus & ſanguine noſtro ſaginati, moderabuntur felicitati? & patientur curſum victoriarum ſufflaminare? quæ imaginatio magis, quàm ratiocinatio eſt. Me ſponſore minimè? inſtabunt cœptis, & vel in ruina noſtra, vel in exitio ſui, abſolutionem ſceleris quærent. Sed circumferre bellum placet? aſt hoſtis infert? Verùm, morâ eludendus? ergo inſultabit verna ille, circumfuſis Exercitui noſtro agminibus, obſidebit vias, carpet pabulatores, intercipiet commeatus, & illudens, hoſtilia exequetur; nos interim compreſſis manibus, patiemur ea, vt videamur non ſenſiſſe. Interea, tractatuum prætenſo vocabulo, dum vilis charta, ſcriptorio attramento tingitur, nobilem Roxolaniam profluvium ſanguinis, abſorbebit. Horret animus tanti dedecoris imagine, vt dum latibulis Vkraynæ conſulimus, meditullium Patriæ, in ſedem belli concedamus. Sed neq; ego vnquam facundiam exercui; & momentum inſtat, ſtrenuo actu, non acumine ingenij Laurum mereri. Cur è re noſtrâ prælio decernere? has adfero. Scythæ tranato Boryſthene mox ſunt affuturi; maturandum proin, in rebelles, cùm ſit facilius diſcretos aggredi, qui validiores poſtquã Barbaris iungentur. Adeſſe præſtitutam ſtipendio diem, miſſionem aut pecuniam flagitaturum militem, neutrius facultatem vel copiam; hinc turbas & deſertionem ſignorum, neceſſariò cõſequenda. Comitia Electionis imminere, à quibus abeſſe tot egregios Cives, æq; indecorum ac inconveniens fuerit. Reddendam Ordinibus rationem, conſumpti per morarum ambages temporis, gravi ærario ſumptuum erogatione. Inſuper, adultum autumnum, & exhauſtam longa vaſtatione Oram, imparẽ commeatibus futuram, vel ſolâ molendinorum ruinâ; per incendia aut raptus abſumptis ferramentis, famem cauſante. Ex ſola celeritate, tranquillandæ Patriæ pendere momentum, nec aliter pacificandi conſtare rationem, niſi prælio tranſigatur.*

Refri-

Refricarent memoriâ, Pereaſlaviam, Starzec, Kumeykos, aliaq; rebellionum cubilia, audendo agendoq; exciſa; eosq; violentos motus, nonniſi ſub ictu ferri concidiſſe. Vobis itaq;; quibus arbitria rerum delata, definire expedit, quid prævaleat? An Vkraynæ vt hoſtilis obliviſci? an nimiùm vt ſuæ meminiſſe? 1648.
Hæc noſtri deliberantes.

Chmielnicius quoq; cùm tota virium mole non ſegnis veniebat. Fidem ſuperat numerus Copiarum, quas ad CL. Mill: excreviſſe, pro comperto fuit. Namq;, ſeu Lechici nominis odio; ſeu prægustatâ licentiâ, omnis multitudo agreſtium vnius Herdonij partes ſequebatur. Neq; noſtras modo plebs, ſed externa quoq; gentium colluvies, Valachi, Moldavi, Servij, Raſcij, tum Rhæ amnis accolæ, haud diſpar Coſacis germen (Duncij dicti,) catervatim confluebant. Ac primò Kodacum, inter Boryſthenis ac Samarræ fluminum confluentes, fortalitium, admoto Exercitu expugnavit, diruitq;. Alexãdro Mariano Præſidij Præfecto, Gallo, fidem ſuam in extrema, Nobili Fato conſignante. Poſt, Barium, populoſam cum Arce vrbem, fruſtra propugnante Andrea Potocio, ineunte Auguſto cepit; Krzywonoſſo, tẽtandi Cameneci; Kolotka, Olycæ quatiendæ, dimiſsis. Et Cameneciũ tùm extra diſcrimen creditum, Luceorienſis cum Korecenſi tractus, celeritate hoſtis evaſtatus fuit. Dehinc ad Pilawce vaſtum illud rebellis multitudinis agmen conduxit Defluit hic Fluvius mediocri alveo, ſed qui multo limo reddit vada fallacia, & diſpenſatis per depreſſa prata torrentibus, in altiſsimam voraginem corrumpit locum. Augebat lutolentam loci naturam, autumni intemperies; addidit hoſtis inſeſſo prior loco, artificium nocendi, pertuſis aggeribus ex immiſſa aqua, pubitenùs tenacem vliginẽ involvendo. Vbi in adverſos mota ſigna Polona, facilè animadvertere fuit, quamvis in ſpeciem ira & ardor, diſſentire ab animis iturentium vultus, & priorem verbis effebuiſſe ferociam. Deinde, placuit prima congrediendi præludia, à procurſatione velitum ordiri; quod pugnæ genus,

1648. adeò Polonis familiare eſt; vt eo pugnaciſsimus quisque & Nobilior Eques oſtentandæ virtutis artisq; militaris, periculum facere expetat. Quippè gens, domandis equis, ex veteri diſciplina, innutrita, curſum animalis mira rotatione, gyrisq; inflectere; celeriter inſultare; agili demùm evitandis ictibus receſſu, campum & hoſtem fatigare ſolet. Non æquè promptus ea parte præliandi Coſacus, verùm innato aſtu tutior erat; præter ſcrobes etenim foveasq;, paſsim excitatas, in quibus ceſpitantes equi noxio caſu ſeſſores provolverent; per denſa Virgulta ac arundineta inſeruerat ſclopetarios, qui invectos Velites, ex deſtinato feriendo, ipſi adverſum reciprocos ictus mansêre ſecuri. Dehinc, ſubitarijs prælijs certatum. Nam & Samuel Laſzcis, Czarnotam Coſacorum Metatorem, dum in commeantes noſtros erumpit, non ſine cæde repreſsit: Et Michaël Iordan Dobczycenſis Præfectus, traiectum paludis, infernè eluctatus, Caſtrorum hoſtilium tergum ſumma celeritate invaſerat: Oſsinius deniq; erectâ ſubitariâ ad caput ſtagni munitione, aperta quâ ad commeandum, viâ: hoſtem penitùs aggere reiecerat. Ita trifariam ſuccedente cœpto oſcitabant, penes quos rerum ſumma, delabentem in manus occaſionem eripi paſsi, iamq; planè de rebellibus tranſactum erat; ſi vincere voluiſſemus; ſed incruenta victoria placebat. Poſtera luce correxêre errorem illi, occupato primùm vado, quo nuper Iordanus traiecit: tum permunitis eggeſto vallo Caſtris, à tergo & fronte tutiores. Cùm ecce ſero diei, clamor ac vociferatio audiri, machinæ reſonare, ac ſub intempeſtam noctem nictare excitati ignes cœpêre; aliaq;, quibus militaris lætitiæ ſigna exhiberi ſolent. Mirari noſtri inſuetum ignium fulgorem, & in caſſum datos è phalaricis fragores ridebant; ex quibus pulveris pyrij diſpendium tantùm ſequeretur. Vnde, deſerturum Caſtra hoſtem, alij ſurrogatum Chmielnicio alium Ducem; alij veriùs Scythas, ijs clamoribus auxilio accire, de quorum adventu relationes concordabant, in diverſum trahebant.

Neq;

Neque vltra, cum prima luce, à Valachis Tyſzkievicij affertur, Scythas in procinctu eſſe. Quippè Crimenſis Hanus, ſanguine pignoribusq; licitante plebe Vkraynenſi Patrocinium, præmiſsis ſub Thoay ac Szerym-Begis, Tauricanæ militiæ polemarchis XL. Mill: ſuorum, ſurgentem rebellium potentiam adiutũ ibat. Qui ambo, opere magis quàm linguâ belligeri; mirâ celeritate omnem notitiam ſui præveniendo, ſubtùs Caſtra ferebantur. Fortè tum Palatinatus Breſtenſis quatuor cohortes, ex more militiæ in campo arma virosque dum recognoſcunt, per nebuloſum aérem, frequentioris agminis ſuſpicione facta, ingruentem vim Scytharum non nihil diſtinuerant. Proin conclamato hoſtem adeſſe. Quidquid veterani militis, continuò in campum procurrit ſecuti alij, forte magis & ſpontè, quàm ex deſtinato, aut ordinatione diſcurrebant. Vnde evenit, vt qui ordo agminis, quævè aciei diſpoſitio, ex vero tradere haud facilè fuerit: cùm & fatalis nebula viſum adimeret, ſignaq; velut ad raptũ primi mobilis, hàc, illàc inerrarent. Porrò, videre erat, ad non dubiæ cladis omen, multos diſtribuendis imperijs, neminem exequendi ſe ſe ingerere; inexplicata paſsim cõſilia, diſcordes ſenſus, nutantes animos: deniq;, quo vno ſubſidio res bellicæ cõſtant, ſpes boni ſucceſsûs, fractæ viſebantur. Triumvirûm potior omnia in ſuggerentiũ arbitrio reponens, dum reſtrictìm Imperatoriam poteſtatem attributam habet; vt re benè geſtâ, cunctim ad collegas laudis nomen; ita ſecus cadẽte aleâ, ignominiam ad cunctos pertinere arbitrabatur. Moribus is mitis ac probus, & præter ſpectatam fidem, diti peculio in publicum opportunus; verùm, in aſſerenda auctoritate lenior, & ſuâ inſufficientiâ excuſabilis. Equidem, nihil tranſigendo bello, pluralitate imperantium pernicioſius; nam, vt patet extenuari amnem, in plures rivos diductum; augeri, ſi minora fluenta accedant alveo; ita ſummi Magiſtratus labeſcere vim, in plures diviſo imperio.

1648.

1648. Witowski Castellanus Sandomirien.

Eductis legionibus contigerat, vt Stanislaus Witovius Castellanus Sandomirienſis, cum legione Provinciæ ſuæ, (nam per Palatinatûs inſtituti delectus, etiam vocabulis Palatinatuum Legiones diſtinguebant) in fronte aciei ſtaret, primos impetus hoſtium retundendo. Cùm fervidiores ex Mazovijs, vbi campum hoſtilibus catervis compleri vident, in eos vehementiore procurſu nullo Triumvirorum iuſſu invecti ſunt. Ac primò conatus vtcunq; ſucceſsit; aſt, dum vltra illatis ſignis penetrant, iam cum incurrentium hoſtium vi, ſimul loci vliginoſi iniquitate luctando reprimebantur, promptioris cuiusq; ſuccurſu indigentes. Non defuit, laborantibus Witovius, ac concitatis ad impreſsionem equis, Czarnotam ex præcurſoribus repellit, eodem mox impetu alia rebellium agmina excipiendo. Quoad Chmielnicius à lateribus Scythis circumvehi iuſsis, omne peditatûs ſui robur, fronti noſtrorum obijciens, impulſam aciem reſtitueret penitùs. Interequitantis hinc inde, ex ore excitando fervori militum, adhortantia verba audita ſunt. *Za Wiru Mołoycy, Za Wiru.* id eſt pro fide agite viri, qui tamen effervescente prælio, confeſtim ſe extra ſigna ſubduxit. Siquidem non perfunctorium certamen oriebatur, irruentium vniverſa mole incumbente Witovio. Cũ iterim non claſsicum audiri, non cornua aciei moveri, deniq; nullæ in ſuccurſum laborantibus cohortes, mandato ac ordine ſubmitterentur. Vnde Witovius iam circumventus, dein accurſu Oſſolinij ac nonnullorum, rurſum in hoſtem ſigna vertens, eò tumultuoſiore pugnâ premeretur, quòd mediâ parte hoſtium in aggerem compulsâ, maneret altera in campo, tergum pugnantis infeſtatura. Nihilominùs ille aggere potiebatur. eoq; res ſummo contentionis ardore proceſſerat, vt vndiq; compulſi intra ſtagnum Coſaci paſsim mergerentur. Aſt, qui retrò aggerem relicti velut indagine clauſerant Witovium, ac vndiq;, ordines ob loci anguſtiam explicare non valentem ictibus impetebant. Ante cuius oculos Zagorovius, Petri Piaſecij Signifer

Oſſolinſki Præfect. Stobnicen.

Piaſecki Rothm. Zagorowſki.

cadit,

cadit, item Mozgavio, Sulimierſcio ac aliquot veterani, obtrũcatur. Attamen Tribuno melior animo, quàm fortunâ, impulſum ſuorũ agmen quà verbis, quà exemplo retentavit; donec vehementiori impetu, quàm vt locus retineri, aut ſervari Ordines poſſent, retroceſſum eſt. Præter Oſſoliniũ egregij bellatoris nomen promeritum, Witovius ipſe, vt ingens vitæ diſcrimen, ita & commendationem virtutis tulit. Equo namq; ſuccisis ſuffraginibus ferendo ſeſſori invalido, impetu ruentium in aquas præceps datus; ægrè currulis miniſtri ope, vitæ & campo redditus fuit. 1648. Mozgawſki.

Conſtabat inter veteres militandi, non vltra craſtinum, Decretorium certamen differri oportere; cùm ecce, è bellico conſilio accitis nonnullis, extra Caſtra conſultatum eſt, pavida iam, inter conſternatos deliberatione. Hìc non nemo inveterata ſapientiæ famâ, (vt perſæpè verba, ſi hortaris inflammant, ſi metum ſubdis, terrent) fortunæ in præſens iniquitate incuſata, Conſtantinoviam militari regreſſu Exercitum reducendum ſuaſit. Illuc æquo loci ſitu, opportuniorem explicandæ aciei campum fore: quippè adventare Marchionis Myſzkovij cohortes, Weyheranas item peditum legiones propè eſſe; nec aliter rem inclinatã reſtituendã, niſi retroceditur, firmiſsimè aſseveravit: ſimilia, qui eadem pavebant, cenſuêre. Itaq; ne præceps diſceſſio videretur, datur negotiũ Thobiæ Minoris cohortis Præfecto, qui carragini deducendæ attenderet, locum interim retinebant legiones, nihil minùs quàm regreſſum adornari credentes. Aſt motorum curruum ſtrepitus, tum inconditi lixarum clamores, non obſcuram abitûs ſuſpicionem iniecerant, maximè quod Primorum ſarcinis convaſatis, campo ſe illi pedetentim ſubducerent, tegendo probro, caſtris ſe præſidio ire ſimulantes. Quæ inter, exacto die, increbreſcit rumor. Magnates abijſſe. Erravit quiſquis primos oculos, in prælio vinci aſſeruit, etiam aures hac parte valent; etenim organum iſtud, dum ſonum vocalem cordi tranſmittit, pavorem quoq; communicat, Tum verò cun-

1648. cti, nemine per obſcurum noctis retentante, ſtationibus abſcedunt, Arciſzevius Oſiniusq; Præfecti peditum, vbi rem perditam vident, diu inter ignominiæ metum, & nihil profuturam fortitudinem hæſitantes, exeunt & ipſi Caſtris; attamen hoſti diſtinendo, defixerant abituri per valla, diſtinctis ſpacijs haſtilia, quibus funiculi ſcintillante igne annexi, attentæ per noctem vigiliæ ſpeciem referebant. Diu abitum noſtrorum hoſtis ignoravit, aut non credidit, id planè iuxta Tragici ſenſum.

Victoſq; quamvis videat, haud credit ſibi. Potuiſſe vinci.

Obſcurumne noctis, an metus doli, retinuerit? incertum: an fortè ſubita felicitate attonitus Victor obriguerat. Certè agreſtes Rutheni, qui ad noſtros venalia deferebant, primi indicium abitûs fecêre. Quod vbi compertum ſublato clamore præcipites Coſaci, in deſerta caſtra feruntur, non arma in caſum expedita, non ſi dolus ſubeſſet ſecuritate proviſum, inermes planè irruebant. Longâ pace cumulatas divitias diripendo; ea ſatietate, vt vel Cyathus vini adusti, argenteo vaſe, aut pretioſa, villoſi ſerici veſte permutaretur. Hæc vt geſta, vt tranſacta expeditio, faſtis inſerui, (contigit ea 23. 7bris die, quem Mercurij dicunt) haud reticendo, infamis abſceſsûs circumſtantias. Si indiſcretus odio veri narrator, infenſis videor; veniam ex hiſtoriæ lege impetrabilem ſpero; intereſſe publico ratus; vt, quemadmodum Nautæ vitant brevia Syrtesq;, ad quas aliſa nave naufragium paſsi: ita in hoc Regnorum æſtuoſo mari, detegere ſcopulos expedit, ad quos improvidè offendit, ampla Reip: ratis. Nec eſt, cur rubore ſuffundi debeamus? imbellis eſt, quiſquis non fortior poſt plagam ſurrexit. Roma non reticuit funeſtas Annibalis victorias, dum Cannarum & Traſimeni dedecora fusè memorat. Quid Gallis, clades non vt mala profitentibus, Ticinenſi prælio triſtius? Germanorum ad Nicopolim Budamq; expeditiones, ſat funeſtæ fuêre Etiam Choyniciæ, ac Fagineti Valachiæ, Annales noſtri mentionem prolixam faciunt. Neq; vlla

vlla gens, Regnũvè exſors Fati, quod pertuſo Fortunæ dolio, non aliquid de adverſis delibaret. 1648.

Reſtituendis Poloniæ rebus, quæ peſſumibant, efficaciſſimum ex Regnaturi Electione remedium creditum: cui cardinali actui tempus, pridie Nonas Octobris occurrebat, Eum Actum quâ ſolennitate tranſigere nos; his qui ignorant noſtra, pacis ſuggero. Duos Ordines Regno Poloniæ contineri, ex Veteri inſtituto, & coæva ſtatus ratione palàm eſt; Senatorium nempè, qui in Spirituales ac Sæculares diſtinctus; ac Nobilitatem. REX, non tam extra, quam veriùs ſupra Ordinem eſt; Et Senatores quidem ex Officio publicis conſultationibus, niſi quid legale impediat, intereſſe debent; ad Nobilitatem ſeu Equites, dimittuntur per Provincias edicta invitantia, miſsis à Rege Latoribus, qui mentem Maieſtatis, & neceſsitates Reip. Provincialibus facundè explicent. Quæ poſt, Proceres ad particulares Conventus congregati, ſuper propoſitione Regiâ deliberant, ſelectisq; è gremio Legatis (li ſunt Nuncij Terreſtres) locum in Comitijs, ac ius fanciendi vetandiq; obtinent. Aſt Electio Regum, itidem Actus Comitialis, non vicaria delegatione, ſed comparitione perſonali vniverſorum expediri conſuevit. Quicunq; prærogativâ Nobilitatis gaudêt, cuiuſcũq; climatis indigenæ, divites æquè & pauperes, ſenes illi ſeu iuniores, & quiſquis, modò genere Patritius, & Polonum imperium agnoſcat, ius ſuffragij in nominando Rege vindicat. Hinc vidimus, tot millium Nobilitatis, in aprico Varſavienſi concurſum, ad miraculum Exteris, poſteris ad imitationem; vt ſcilicet regnaturus omnibus, eligatur ab omnibus. Hæc prærogativa Libertatis; Subeſt ab occiduo latere Varſaviæ Vicus Wola, æquabili circũquaq; planicie; ibi dimenſo pro capacitate còéuntium ſpatio, locus Electorum conceſſui ſub libero Iove, egeſto vallo obducitur. Circum operis ambire vſus docuit, ne ſcilicet impertinentis famulitij accurſu, conſilia turbentur. Actus iſte, primùm à Divinis exordium habet, maximâ omnium

Ordi-

1648. Ordinum frequentiâ, in Divi Ioannis Principem Vrbis Basilicam concurrente, cælesti suffragio ritè implorando. Cùm, etsi omnia negotia, ea tamen maximè quibus salus publica innititur, nusquam auspicato, nisi rectè Numen invocetur, proveniant. Peracto sacro, verba fecit Stephanus Wydzga Sieciechovienſis Abbas, Concionis themate, fatidico, aut certe concurrentibus placituro. *Eligite Regem de filijs Domini Vestri, eum qui placuerit vobis, & ponite eum super Thronum Patris eius. 4. Reg 5.* Dum de templo, in campum Proceres eunt, numerosæ circumpedum catervæ ac satellitia, latè patentes campos insident, anteurbij compita, suspensus expectatione populus complet: donec Primas circum ingressus, campestria Campestri Gẽti Comitia aperuerit. Senatui excitatum ligneo tecto Nubilarium erat; Nobilitas per ordinem Provinciarum in Circo considebat, quæ mox concordibus suffragijs Moderatorem cœtus sui (Mareschalcum appellant) delegit Philippũ Obuchovium Mozyrensem Tribunum ex Lithuanis, alternante in eam gentem vice subrogandi. Aliquantum istenus recusavit tegendo ambitui; Cui dũ Boguslaus Leszczynius, Maioris Poloniæ Generalis, virgam directricem de manu tradit, vniversum Conventum Reipubl. libertatisq; admonebat, facundo proœmio. Inseram libens, tanti viri eruditum sermonem, dispendio paginæ ab oblivione vindicandum, vel saltem acerbam malorum memoriam, magnificentiâ verborum solaturus.

Obuchowicz Mozyrẽ, Tribunus

Ordiar auspicato; Cãpestri gens Polona insistimus Theatro. Theatro iam non illi servientis Romæ, cui construẽdo, quidquid quatuor Orbis partium luxuries possedit magnificum, conferre coacta; eo tantùm vsui, vt novissimi illi Romanorum, gymnicis spectaculis alienata mente, ac servitutis suæ obliti, infelicis tragœdiæ existerent spectatores. Aspiciebantur illuc Neumachiæ, seu pugnæ navales, vt fictis aquis extingueretur flagrans Patriæ amor: obrueretur q; residuus erga libertates zelus. Committebantur hominum belluarumq; paria, quò crudelibus insuefacta

facta ludicris, luvẽtus Romana, cædibus & morti non desuefieret; 1648.
& ea humanitas vocabatur, cùm pars servitutis esset. Nativum hoc nostrum nonnisi Supremi Architecti, fabre factum manu theatrum, longè distat ab illo. Non tenduntur hîc arbitrio cuiusquam, aut libertati laquei; non cicuratur à Dominantibus populus; patulo ingressu & egressu, patent hypocryseòs expertia Polonorũ prisci moris pectora. Ac, vt nonnemini cupitũ eiusmodi palatiũ erat, quo vndiq; patulo, & apertilibus parietibus, virtuosi Actus sui non occulerentur; nec modo dissimili, Martius iste noster Campus, patens & expositus est Vniverso Orbi; quo videat & iudicet, nihil vsquam occultum Sarmatas per rationem statûs agitare, sed inspectore DEO, *Orbe Christiano teste, lura exercere Maiestatis. Et quidem re ipsa exercemus, ita per* DEI *gratiam constituta Polonia, vt per ipsam Reges regnent. &c. Et hic est Patriæ nostræ Cardinalis actus, ex quo campi-Dominæ libertatis integritas pendet, quam nunc super omnes amphitheatri scenas pretiosiorem, in hac expeditum imus arena. Ast, quã ardua sit dominantis, vel si datur magna componere parvis, quàm difficilis etiam Ministri electio? vt vetus magni Politici effatum fuit. Minore discrimine sumi Principem quàm quæri. Præsertim cum optimum necessitas, & vnicuiq; liberè quærendi potestas sit. Opus verò id, quàm arduum, ita inventu vix possibile videtur, post Vladislaum Magnum, parem aut similem Orbi Sarmatico reperiri Monarcham. &c. &c. Iam verò, si quando examen arduum, de regnaturi subiecto fuit, certè hac calamitosa Poloniæ crisi, dum fatali periodo summa imis miscentur, Attoniti hæremus cladium intuendo congeriem, cum stupore refricantes vulnera, ab ignobili (*heu*) victore illata. Quod si ad aquibilancem revocaverimus, internas dissensiones, in flammam arsuros diffidentiarum fomites, privata studia inanibus spebus gravida, personarum respectus, quas spe, veneratione, ambitu, destinamus sceptro, non arduum modo; sed formidabile opus erit Dominaturi Electio &c. &c. Sed vtcunq; res cadat, difficultas tamen hæc, hoc ardui operis negotium, vnicum est gentis nostræ decus & solatium. In Polonia namq; non*

1648. *vna Dominantium Domus, & cæteri ſervi; ſed diſpiciuntur Europæ Regiæ, Principum penetralia, & inclinationes, diſquiſitis demùm qualitatibus, non cunarum prærogativâ, aut aulicâ praxi, ſed vnanimi innumerabilis populi conſenſu Reges accipimus. lactent Imperij Ordines, Octovirorum iudicio oſtendi, Imperiali lauro deſtinatum Caput, aut quibus alijs gentibus naſcitur Dominus, vel alieno deſignatus arbitrio toleratur. Sola ſine exemplo Polonia, eligit Reges, non in conclavi, ſed in aprico, non miſſis in triſtem vrnam ſchædis, ſed emancipata vocis vivo calculo, tot Electorum ſuffragijs, quotquot ex vocatione Equeſtri, armis tractandis natos; nidus libertatis educat. Quem actum vt Dij benevertant, &c. &c.* Hæc de verbo in Latinum tranſlata, ſubiunxi, cum curâ tum habitæ libertatis, aut monumentum, aut veſtigium.

Cœpta de more Comitia, multiformis conſiliorum materies excepit, vt perſæpè fit, in plurali conſultorum numero. Senatus vota, duorum capitum fuêre, reprimendi hoſtis; tum accelerandæ Electionis medijs comprehenſa. Aſt, vrgebat Exul Vkraynæ Nobilitas, provideri ſibi de reclinatorijs, pignoribusq;, ac deſertis à fortuna ſuccurrere, ſuadebat humanitas. nonnulli perperam adminiſtrati belli rationes, reddi volebant: *Exorbitantijs* tempus impendere, ex præſcripto legis pleriſq; cenſentientibꝰ: qui demum pervicêre, vt deliberativè magis, quàm deciſivè caput illud conſilij tractaretur; de quo pauca. *Exorbitantiæ* etymon, ex legitima Orbita acti in devia currûs, traduxit Metaphoram ad leges; quæ, ſi per non advertentiam convulſæ, aut prava interpretatione, dolovè malo detortæ; ſub Interregno maximè, dum ſui Iuris eſt Reſpublica, in priſtinum ſtatum aſſeruntur. Aſſerendis lex publica, ante nominationem Electi Regis tempus præſcribit. Arriſit oblata aut ſtudio procurata, Diſsidentibus occaſio, proin ſubnectebant gravamina ſe ſe prementia, quaſiverò in alio Reipub. cardine, nihil magis exorbitari potuiſſet. Ianuſsius ac Boguſlaus Radivilli Patrueles, ille Campidux Lithuaniæ, hic Stabulo

Præfe-

Præfectus, inter ſectæ columina erant; accedebat Gerhardus Dönhoff Pomæraniæ, ac Andreas Leſzczynius Derpatenſis Palatini, tum & Zbigneus Gorayſcius Caſtellanus Chelmenſis, qui doctrinâ & dicendi arte præſtans, pro cauſa diſſeruit, etſi modeſto exordio, diſparem ſubiungeret epitaſim. Namq; exaggerata maiorum prudentia, quod ex cauſa Religionis, vndantia Civili ſanguine Regna haud æmulati, Evangelicæ Confeſsioni Edicto Confœderationis caverint; permiſſa nimirùm arbitrij libertate colendi Deum, quo quisq; ritu vellet; ac ſtetiſſe ampliùs quam ſæculi intervallo mutua pactione vtrosq;. Et quamvis non ſine iniuria ſuiſcùm, contra mentem expreſſæ legis agitatum foret: attamen amore pacis, boniq; publici, ſilentio tranſmiſſa ea, quæ inter Concives, ex inordinato Zelo emergebant. Aſt nunc terminos tranſgreſſam audaciam, palam convulſo quo explicitè cautum ſecuritati Diſsidentium, diplomate. Patientiâ interim ſuâ irritari inimicos, per intervalla temporum atrociores: vim publicæ tranquillitati illatam, oppreſſos Decretis Tribunalitijs indemnes, nullo crimine, niſi quod diverſæ in ſacris opinionis fuerint. Arceri Niemierycium vetuſtæ ſtirpis, & pleno in Rempublicam merito, Succamerariatûs Kijovienſis munere; interdictum noviter Palatinæ Derpatenſis publicum funus; Lublini honeſti Civis cadaver, inhumanè à *Scholaribus* tractatũ, Ereptos naturali tutellæ Zbaſcij nepotes; exuſta flammis templa: malè mulctatos Verbi Miniſtros; prout non ita pridem factum Cracoviæ; ſub ſtudentium nomine, dum Lucæ Sznukij, ac Servacij Cypſeri, hoſtilem pænè in modum direptæ domus, ac pergulæ; interfectus Michael Kaſay in Villa ad latus amici, non quod nocens eſſet, ſed quod Hæreticus diceretur. Et capita tantùm hæc, per compendium memorari, vbi ſingula recenſentur, tædioſam ſynopſim fore. Quæ quid aliud quam præiudicioſæ tolerantiæ & convulſæ legis documentum? Concludebat; evidenter fractã legem, ac eo in cardine nimiſquàm exorbitatum: tum niſi

1648. Gorayſki Caſtellanꝰ Chelm.

I 2 medel-

1648. medella malo quantociùs apponitur, optari quidem, aſt ſperari optatum Electionis ſucceſſum vix poſſe. Hæc pro ſequacibus Chelmenſis. Cæterùm de *Confœderatione*, ad quam velut ad Iovis Triphilij turrim refugiunt Sectarij, adnotare lubet. Regnum Poloniæ, recepta primitùs Apoſtolicæ inſtitutionis dogmata, cõſtantiſsimè retinuit ſemper, manſitq; cæleſte ſemen, in armis gentis funditùs radicatum; donec halitu venenato novatorum, afflatu Europa, Etiam Sarmatæ ſimplices olim, & novitatũ oſores, luis eius contagio inficerentur. Quod facilè Zizania irrepſerit pullulâritq;; pleriq; ad Sigiſmundi Auguſti Regis lenitatẽ; alij, ad Spiritualium eius temporis remiſſum Zelum; cauſas referant. Neutris adſtipulor ego, iam quod periculoſa Regum, etiam poſt fata redargutio; iam, quod minùs vero conſentanea, in Præſides Cleri expoſtulatio; quorum extra iuriſdictionem in temporalibus Nobilitas, dum veneratur vt Paſtores, non agnoſcit vt Iudices. Temporum culpam, vel ex libertate vitium crediderim: dum namq; iuventus noſtra, exteros peragrat, literarum morumque præcepta hauriens, ætatis licentiâ, cui plerumq; nova placent, exoticas religiones afferebat. Ac quod, maiorum imaginibus clari, & multæ inter ſuos exiſtimationis, erroneum dogma primi amplexarentur, inde nomen ex ſe, opinionemq; ſectæ circumdedêre. Iſtis aggregati plures, quibus nova volentibus, vel in exoticis guſtus, plerisq; arridentia palato commenta, & ſolo novitatis impetu commendata, ab Eccleſia Romana deſciſcendi, cauſam dabant. Nunquam commodiùs, quàm in turbido piſcari aiunt, etiam ſuccreſcens ſecta, ſub interregno poſt Auguſtum, ſciſsis in partes Ordinũ ſtudijs, lege publicâ ſecuritati ſuæ caveri extorſerat, ac tum primum nomen Confœderationis audire cœpit, elaboratæ in ſpeciem modeſtiæ *Diſſidentium* conceſſum. Equidem ſegne nec irritans remedium malo credi potuit; ſi certis regulis, & quod tolerabiliùs inſaniret dogmatum genus, eo circumſcriberetur. Verùm, fecundiore Hæreſeos quàm

parri-

parricis nido, ſub pallium illud Confœderationis, ſeu ob bo- 1648.
num pacis condeſcenſionis Catholicorum, ingeſta ſunt, veterum portenta Atheorum: damnata Anabaptiſtarum deliria: Orco ſepultæ Arrij blaſphemiæ: aliaq; impiorum commenta receptata. Hanc itaq; ex temporum neceſsitate fabricatam machinam, *Confœderationem* inquam, tum violatam, querebatur Chelmenſis, multâ verborum acrimoniâ. Commovit Ordines gravior expoſtulatio, multi ex Senatu ſuadebant mitiora, indignabantur præcipuè Mazovij, veteſto incolarum eius Provinciæ erga fidem Catholicam zelo. Cum primis Balthaſare Sarbievio Terræ Ciechanovienſis Iudice excipiente. *Temere incuſari à Diſſidentibus Sacroſancta Tribunalis Decreta, cùm interim ab ijſdem fundamentales Ducatus Mazoviæ Leges, ſubvertantur. Frequentari in Vrbis pomerio Radivilli ædes, publicis conventiculis, vicinæ Eccleſiæ clamore convenarum obſtrependo, & detonãtibus Verbi præconibus, ſpargi in* Deum *blaſphema, in Catholicos convitioſa.* Hinc initiũ contendendi, eggreſſusq; fervor erat, civilem diſceptandi modum, adeò, vt pleriq; velut ad conflictum arma expedirent, vi reprimendæ. Si qui, cõponendis animis loqui inſtitêre, acclamationibus obruebantur, nec cuiuſquam induſtriâ ſedata tempeſtas fuit, niſi dum cuncti in diſſonas voces prorumpunt, mox omnes velut ex condicto in ſilentium conſentiebant. Vbi patuit, quòd audire vellent, Stephanus Korycinius Oſwiecimenſis Præfectus, poſtquam illata gravamina prudentiſsimè diſpunxerat, præſenti materiæ congruentia intulit. Nempè. *Hûc calamitoſæ Poloniæ recidiſſe ſtatum, vt ſuum miſerando Iſraëli ex ſe acceleretur exitium. Imminere hoſtem deforis; intus urgeri diſcordiâ, vtriq; malo, à præpoſtero Civium zelo, fomitem eſſe. &c. Diſſidentium ſecuritati antiquâ Lege abundè proviſum, cur novam velint, diffiſi veteri? nunquid obliti, à bonis Civibus fruſtra iteratam ſponſionem exigi, quorſum enim repeteretur, ſi ſemel tuta eſſet? Si vim paſſi, aut publica tranquillitas in ijs violari potuit, præſtò Tribunalia, quæ ius dicant?*

1648. *Hic non forum accuſatorium, ſed campum eligendi Regis eſſe. Capeſſerent proin Remp: vnito cum Catholicis voto, cuius bona malavè pariter ad omnes ſint derivatura. Dicturos interim Ordines de ijs quibus gravari ſe aiunt, in vim præparamenti; Electum Regem poſtulationem pactis firmaturum, ſi iuſta eſt.* Non tamen ſubſidebat motus. Niemierycio namq; vehementiùs incuſante, quod Kijoviæ Succamerarius, ab exercenda iuriſdictione ſua, quâ finium arbiter eſt, excluderetur; reponebat Tyſzkievicius Palatinus, ad Edictum Confœderationis, ſolummet Auguſtanam Confeſsionem referri debere; Excludendos eo ſyncretiſmo, peſtifera Arrij labe infectos, neq; ſe cum illis vnâ Patriâ gaudere velle, qui inconſutilem Vnigeniti Dei veſtem, impiè ac blaſphemè lacerarent. Ideo Niemiriciũ arceri Succamerariatu Kijovienſi, quòd Provinciæ illius dignitatum, nemo per legem capax ſit; niſi qui Catholico Romanæ, aut Orientalis Græcæ Eccleſiarum ritus, profiteretur. Adhæc Niemiricio ſequacem ſe Arrij negat, verùm Symbolo Athanaſij prolato, vt profiteri receptam Eccleſiæ doctrinam vellet, indignabundus renuit; Comitijs ſe non Synodo, aut diſputationi de fide, intereſſe reſpondens. Etiam Diſſidentes requiſiti, an Sectæ pro membro agnoſcerent eos, qui Arriani vocarentur? dum Ius Civitatis tribuere pudet, & excludere dolet, diſtinctione vtebantur. *Non qui de religione, ſed qui in religione diſſiderent, pro ſuis agnoſcendos.* Sed veniet Arrij ſequacibus ſua dies, dum non in Cælium montem, ſed in Plutonis vallem migrandum erit, & eo perditorum grege, tandem Polonia levabitur. Ita ſciſsis, partim ſtudijs, inter vtrosq; ſuſpicionibus laboratum, vi extorquenda eſſe, quæ precibus impetrari nequirent Accidit enimverò, vt Præfectus Stipatorum, ita iubente Primate, arcendis ob tumultum ſervitijs, frequentiores Peditum ordines, ad portas valli conglobaret. Ac tum Vexillifer Regni Koniecpolius, numeroſo amicorum Clientiumq; ſeptus comitatu, Circum intrabat; cum ingreſſo Hero, recluſi poſtea extre-

extremam ſequacium turbam, aditu prohibebant. Relatâ iſti ad iniuriam excluſione, aditum vi moliuntur; repugnant Centuriones, milesq; velut in hoſtem ferro obnititur, donec duobus è Satellitio cæſis, etiam Zołkievius, vetus militiæ, haſtili Decurionis tranſverſim actus, enormi vulnere, quanquam medentis peritiâ, non letali. 1648. Zołkiewſki.

Evoluto Octobri cùm vndiq; hoſtis, armis Viſtulæ ripas quateret. ab Exercitu miſsi aderant, Hieronymus Radzieiouius Łomzenſis Præfectus, cum alijs: qui dum obſeſſam Leopolim, irritosq; Wiſniovecij Ducis, in reprimendo hoſte conatus, referunt; tanquam formidinem augentes, minus gratè accepti fuêre. Adeò nimis ſecurè agebatur, cũ tamen continua incendia, ſpeciẽ coloremq; inimici ignis, in everberato fulgoribus cælo, de nocte paſsim monſtrarent. Neq; interim omisêre Principes Regij perfamiliares, colloquijs, ac literis inter ſe agere; quarum à Caſimiro ad Carolum is tenor.

Sereniſsime Princeps
Domine Frater Colendiſsime.

INſperatum penitùs accidit, quod Sereniſſima Maieſtas ſibi non ſolùm vti Fratri Maiori, ſed communis Domûs dignitati, eo Regni ambitu gravis immineat. Siccinè verò amor innatus exponi debet, non indigenarum modo admirationi, ſed & cenſuræ externorum? Per Deum, duo nonniſi ſuperſtites, nec concordes agere poſſumus. Mihi (quod obſtrictâ iureiurando fide ſcripſerim) ſi per naturæ ordinem iuniorem naſci contigiſſet, non modo ex ſe nulla regalis faſtigij, à Fratre aſſequendi remora foret: ſed omni conatu, incremento eius inſiſterem. Sperans omnino Fratris fortunam, venturam in partem Sortis meæ, decoris, & Solatij. Nunc paſſim liquet, non amorem modò debitũ eo progreſſu titubare; ſed ipſum hoc inclytum Regnum confundi. Enixè itaq; à ſua Maieſtate petere, vt vtroq;, maturi iudicij trutinâ perpenſo, vtriq; conſulere velit, ſermonibus anſam Reip.

conſu-

1648. *confusioni subtrahendo materiem. Enixurum se, vt abolita præsentis temporis necessitate, non Fratris modò, sed Filij loco, suam Maiestatem habeat, omnem fortunam, in sinceri affectûs cõtestationem profusurus. Quod si Clientium res agi videatur, quid ni commodis suis adversari me metuent? quorum constantiam animitùs probo; eo loci favoris, gratiæq; futuri, quo me ipsum secuti. & certo certiùs eandem, quam nunc Suæ Maiestati contestor, propensionem experturi. Datum Neporentij die 6. Novembris An. 1648.*

Regiæ Maiestatis Vestræ ex Corde amans Frater,
IOANNES CASIMIRUS, Sueciæ REX mp.

Ferebat Epistolium Iacobus Michałovius Tribunus Lublinensis, Aulæ & Genij Principis, ad quem mittebatur nõ rudis, idemq; super virtutis opinionem suadendi promptꝰ. Hic multa semotis arbitris, ex cõmisso Casimiri differens, eo tenore responsum tulit.

Iacobus Michałowski Tribun. Lublinensis.

Serenissime REX
Domine Frater Colendissime.

NOn intensior cuiusquam cura mihi, quàm amoris Fraterni cùm Sua Maiestate constantissimè retinendi; non tamen, quo modo communis Domûs honor violatus à me, probè dispicere posse: nec item assequi, vnde materia promanet, publico livori, & obtrectationi. Avertat DEUS, *remorari à se Fortunam Suæ Maiestatis: sed neq; in levi habendam eam sortem, quæ etiam mihi sperari & evenire possit; præsertim, cùm fastigium Throni Sarmatici, ex Ordinatione Altissimi & liberæ Gentis suffragijs, vnicè dependeat. Constiturum se in qualicũq; Fortunæ gradu, & Fratrem meminisse, quod idem vt Sua Maiestas præstare dignetur, animitùs petere. Sui sequacium, ab vtrinq; non immemores. Datum Iablonnæ die 7. Nouembris Anno 1648.*

Sacræ Regiæ Maiestatis Vestræ Frater & Servitor,
CAROLUS FERDINANDUS mp.

Talia

Talia privatim; mox publicè ad Ordines Regni Legationes aderant. A Casimiro Georgius Tyszkievicius Episcopus Samogitiæ, Stanislaus Warszycius Mazoviorum, Christophorus Koniecpolscius Belzensis Palatini. Lubomiriꝰ item Stabuli Præfectus, Koniecpolius Vexillifer Regni, Sieniavius Leopolienſis Capitaneus: ac, cum Naruszevicio M. D. L. Referendario, Łubienius Primatis ex Fratre Nepos. Qui frequenti Ordinum confessu, multa de orbitate Reip: & afflicto in præsens statu, proloquente Tyszkievicio intulêre; concludendo, omnia in Casimiro qui seipsum Vniversis daret reperturos. Quibus tum rationibus dicto & scripto vulgatis, pro Rege Sueciæ certatum, strictim subnecto.

1648. Georgiꝰ Tyszkiewicz. Stanisłaus Warszycki. Chrysto phorus Koniecpolski. Lubomirski. Sieniawski. Narusze wicz. Łubinski.

Ex stirpe Regia Polonis Regem eligendum.

I. *Ex perpetuo tenore, & more maiorum, ex Linea regnatrice Reges sumentium; hinc tot interregna eluctatam feliciter Poloniam; quòd successor ex stirpe Regia eligendus, non in incerto esset.* II. *Ex debito gratitudinis, cum vita functi Reges, de constanti Civium benevolentia persuasi, curas labores q; Regendi, acsi debitum quoddam posthuma gratitudine exoluendũ, subditis reliquerint, certi thesaurizare successori, quæ in commune conferebant.* III. *Quod nostrates, ad idioma, leges, mores Poloniæ formati, gentem amicam fastidire non possunt.* IV. *Legibus devinctum Principatum scientes, sub lege habebũt, diversa ratione illorum, qui in Dominatu nati & educati, pro inexpugnabili argumento tenent, Leges infra Reges esse.* V. *Subduci fomitem molimini, practicandæ in electivo Regno, Regum potentiæ, vbi confidunt successorem sanguinis, à paterno solio haud excludendum.* VI. *Ex speciali respectu Domus Regiæ, cui, ex causa nostri, hereditarium Sueciæ Regnum decessit. Non deserendos proin, qui à fortuna & regali patrimonio de-*

1648. *ſerti ſunt.* VII. *Non alia ingruentium periculorum certior averſio, quàm Regem è domo ſumere, quem inconſultè peregre quæſieris.*

Vter igitur eligendus?

I. *Non teneri quidem gentem liberam, vllo reſpectu ſucceſſionis aut hereditatis; verùm dignitati Reip: conſentaneum, maiorem Fratrem præferre; cùm id, naturæ Ordo, mos gentium, prærogativa naſcendi poſcere videatur.* II. *Naturæ bonitatem, ac affectuum moderationem ſpectandã, vt qui maturus annis, ſpectatus bello, & ſubacto per experientiam ſit iudicio.* III. *Si fortuita in commendationem valent, maieſtas oris, membrorum firma compages, & totius corporis, digna viro Rege Symmetria, pro eo agunt.* IV. *Reip: præſagium, quæ Principi Caſimiro non circumſcripſerit ſubſequentem Fortunam, (*Proviſio vocatur*) Quaſi Fatum oſtenderet ac deſtinaret, ſuo tempore ad Regium culmen ſublimandum.* V. *Parentum iudicium, qui amore pari omnes liberos proſecuti, Caſimirum nihilominùs Regno natum, ex qualitatum excellentia iudicarunt.* VI. *Vſus rerum, ac vtriuſq; fortunæ capax animus, nec proſperis elatus, nec ſuccumbens adverſis, quæ vtraq; multum ad Civilem prudentiam conferunt.* VII. *Cum Sueciis pacta fœderum elabi; quæ, nec retineri, nec in poſterùm ſtabiliri, queunt; ſine Regis Sueciæ aſſenſu ſingulari. Recuperandã non alio pretio Æſtoniam, niſi tituli Regni Sueciæ abdicatione, quod vtrumq; in poteſtate ſuæ Maieſtatis.* VIII. *Meritorũ memoria, ab iſto Moſchovitico bello ad Smolenſcum, fortiſſimã legionem ſubmiſſam, ac valido illi propugnaculo, vt ſuccurreret, in perſona adfuiſſe, ingenti vitæ diſcrimine, nec minore virtutis encomio.* IX. *Peregrinationum eventus, non ſine, ſed intentione iudicandos. Ergo cordato Principi inter Gynæcei illecebras, delitescendum? aut inter Sorices palatij, competentius otio hebeſcere? Si quid fortuna adverſi obiecit, exſuxiſſe Regiã apem, firmitudinem animi, ex carduo tribulationis.* X. *Amo-*

ris &

ris & obſervantiæ indiciũ, quod Vladiſlao Fratri, in cõpetitione Regni, non ſolùm mitis æmulus, ſed in deducenda Cæcilia Auſtriaca conſorte, obſequentiſſimus extiterit Paranymphus. XI. *Provida frugalitas, ſimul heroica munificentia, nunquam Patriæ per prodigalitatem gravis, quæ quandoq; Regia virtus cẽſetur.* XII. *Mutatam vitæ regulam, nihil ad Remp: facere? Quidni ambitu omni ſepoſito, Fratre Rege certo ſucceſſoris, religioſæ tranquillitati applicaret animum, vbi inturbidè quod reliquum ævi tranſigeret.* XIII. *Independentem eum, à ſcrupuloſa vnius manuductione; nec impotenter per aliena arbitria trahendum. Habituros Cives promptum aditum, ac facilem audientiam, apud eum Regem, qui naturâ, praxi, & contemplatione, rationes Status Regnorum, in tota planè Europa introſpexerit.* XIV. *Certum ex nomine omen, vt quemadmodum Vladiſlaus IV. omnes antecedentium Regum Virtutes, in ſe traxerit; præſtiturum eademmet Caſimirum. Et cum præceſſor potens laude diceretur, ſuccedaneum pacis iuſſorem futurum.* Hæc vt quisq; in ſpem imminentis fortunæ adrepens, vulgabantur. 1648.

Olbrachtus Czerſki Caſtell: Chełmi nenſis. Andreas Ruſzkowſki Caſtellanus Inowrocł: Potocki Leſzczyński. Niſzczycki.

Seriùs aliquantò Caroliani adfuêre. Quia temperato affectu, nec efflictim ambiens auctor, ita REX fieri voluit, ne Fratrem exueret. Princeps Legationis erat, Staniſlaus Zaręmba Kijovïenſis Antiſtes, Adamus Sanguſcus Wołhyniæ Palatinus, Olbrachtus Czerſcius Chełminenſis, Andreas Ruſzkovius Inowrocławienſis, Caſtellani. Tum Theodoricus Potocius Halicienſis Succamerarius, Venceſlaus Leſzczynius Wyſocenſis Præfectus, & cum Stephano Niſzczycio Bełzenſe Vexillifero, Iſidorus Dux Zaſławiæ. In publico iſti, paria vt priores memorabant, niſi, quod conſultò moderati encomia, plura ex vſu præſenti addidêre. Nempè Decem Mill: armatorum, ex privato Principis ærario, autoranda, ſuſtentandaq;. Ceſſuras frugalitate eius partas opes, in publicæ inopiæ levamen, ac exinaniti Fiſci ſubſidium. Quidni verò (conficiebant) Electus in Regem Carolus, Paſtorem & Patrem afflicti in præſens populi egerit?

rit? qui nunc Exulibus Vkraynæ, regalis menſæ dapes, in
1648. alimentum elargiatur. Satis pro cauſa erat, autore ſupra
Valerianus Potrykowſki. commendationem poſito; niſi quòd Potrykovius Rozanenſis Succamerarius, dum opes Principis, anguſtijs Fiſci ſubventuras, & vacantis Epiſcopatus Płocenſis ditiones, in reclinatorium Vkraynenſi Nobilitati, multa adſeveratione diſpertit, indignanter à plerisq; audiebatur; quòd venale Regnum velut ſub haſtam trahens, etiam patrimonium Eccleſiæ, ne illis quibus addicebatur probantibus, Laicorum vſui deſtinaret; homo inconſultè largꝰ. Annotabant curioſi, neminem inter Caroli delegatos ex Lithuanis fuiſſe: cum valídum id pro cauſa, ſi vtriq; genti Oratores ſuos recognoſcenti, delectus placeret. Aliter Lithuanos neglectum ſui, negatis ſuffragijs vindicaturos. Demum potito rerum Caſimiro; id, in meriti iactantiam vulgatum. Ijſdem fermè diebus affertur, Stephanum Ragocium Tranſilvaniæ Palatinum, mortalitatem explêſſe, quòd non incommodè rebus noſtris accidiſſe creditum. Etenim inſolens otio Satrapes, & non niſi Carpatiorum montiũ interiectu Regno affinis, quàm non ex fide nobiſcum egerat, oſtendit. Quippè legatione muneribusq;, ſurgentem Chmielnicij rebellionem dignatus, efflagitando à porta Ottomanica pro Coſacis patrocinio, haud diſsimulanter inſtiterat. etiam tacitam cum plerisq; factionem aluit, Regni per arma invadẽdi. Quæ detecta eo modo fuit. Venerat nuper Cracoviam, Richterus quidam, gente Allobrox, (Sabaudos dicimꝰ) haud obſcuris Apoſtaſiæ indicijs, quæ tamen in ſpeciem Alcumiſticæ artis profeſsione velaret. Hic, ſub Interregno, ſervum fidum diu expertus, in Tranſilvaniam ablegat, quibus Metropolim noſtram raro præſidio firmam, Nobilitatem ad Comitia Electionis abire, Coſacos nullo reprimẽte graſſari, aliaq; nuntiabat: addito, ſi quantæcunq; copiæ admoverentur, iam ferro, iam auro, Regnum facilè fore occupanti. Ignorabat contenta literarum lator, liberali in Viaticum ſtipe oneratus, cum ſubijt metus, ne ſi quid Herus

rus moliretur exitioſum, deprehenſus ipſe, alieni ſceleris
1648. pænas lueret. Redit itaq;, & latorem ſe literarum ad Tranſilvanum coram Iudicio Capturali Cracoviæ fatetur, exhibetq; quas inſutas, interulæ gerebat. Lectis, palam eſt, proditorem intra viſcera vrbis eſſe. Inijcitur proin manus in autorem, qui datus in vincula non abnuebat manum & crimen, multos in conſcientiam tanti auſus vocans: aſt tunc carceri mancipatus; poſt, ſub Coronationem, veniam criminis ac libertatem recuperavit.

Iam omnes externorum Legati, amicos luctus ſtudiaq; in Polonos ſua, prolixè expoſuerant. (fuêre à Summo Pontifice, Imperatore Romano, Galliæ, ac Daniæ Regibus, Sueciæ Regina, vno fermè omnes, ex compaſsione orbitatis noſtræ ſenſu.) Cum ſubinde Fato ſubmovente obices, Staniſlaus Rakowſki. aderat à Carolo Principe cum codicillis, Staniſlaus Rakovius Puſtovienſis Præpoſitus, ad Ordines miſſus. Quibus non obſtinatus competitor, aſſequendi Diadematis ambitum, boni publici ergo exuere profeſſus, valida pro Fratre Caſimiro recommendatione nitebatur. Adeò facilè abdicatæ cupiditatis regnandi (qui tamen affectus cunctis alijs flagrantior eſt) in abdito tum cauſæ fuêre. Alij quod Princeps naturâ mitis, & pacatis moribus; tranquilliori vitæ addici mallet: alij fraterno amori conſervando præpoſteras curas exuiſſe credebant; repertis qui vulgarent, cum omnis aſſequendi Diadematis vis ac moles, in primoribus militiæ Pilavecianæ ei collocata foret, & iſti reddendis perperàm adminiſtrati belli rationibus exagitati, in aſſerendis partibus torpent; antevertiſſe conſequentiam, ac infallibili cum bono publico laudi, quàm evanidis Sceptro potiundi ſpebus, inſtitiſſe. Vbi lectæ pleno Comitio literæ, res diu deſiderata, multo cum honore Verborum, & plauſu accipitur. Omnes extollebant æquanimitatem, ac modeſtiam, Virtutes Iagiellonicæ ſtirpi connatas, quæq; alia honorifica in Principem, aut congruentia laudibus. Ordinum nomine actæ palam gratiæ, per Nicolaũ Gniewoſz

1648. wosz gente Ravicium Cuiavienſem Epiſcopum. Quod reſtincto æmulationis fomite; quod amoris fraterni ac Reip: causâ, Filium Patriæ Princeps Carolus, quàm Regem agere malit, rem gratiſsimam, & non niſi divinæ gratiæ adſcribendam accidiſſe. Regium prorſus facinus, ac omnes antiquitatis ſuperans panegyres, magis ſe dignum avorũ ſolio, quàm ambientem oſtendere. Cuius Heroici facti memoriam, non in faſtis modo, ſed in cordibus Polonorũ perpetuò manſuram. Adeſſe Iovi adamantinas Fati tabulas, in quib⁹ (prout olim Caſimiro Iuſto inter Fratres quintogenito contigit) futuram Principum fortunam deſcribat. Etiam Carolo, ex Providentiæ divinæ lege, quo nunc vltro decedat Regno; Regna ſuperfutura, vel ſi Heroicæ virtuti, ex Regno minus adæquatum eſt præmium, in animos Polonorum perpetuò Ius eſſe. Efficax abſolvendis Comitijs medium, confeſtim diſcriminoſam illam animorum tempeſtatem, in malatiam compoſuit. Nam ſequenti luce, concluſionem Actus auſpicatò proſequentes; vbi primùm promiſcua Vocum Harmonia, VENI SANCTE SPIRITUS occinuerant, ad nominationem Regnaturi acceſsêre. Antiſtites primò, tum per cõſequens è Senatu, dein ex Ordine Equeſtri viritim ſuffragium poſtulati; vniverſi IOANNEM CASIMIRUM, in Regem Poloniæ ſublimari petebant. Adſunt è veſtigio Provinciarum Succamerarij, (Principes ij Nobilitatis qui & finium arbitri) apud quos profitentur nomina Electores, Iuriq; ſuffragij tuendo, inſcribuntur volumini legum ſpecificè ſinguli, monumentum avitæ libertati ære perenniùs. Abſolutis ſuffragijs exurgit Primas, ac multa canitie Venerabile caput detegens, imperato per Mareſchallos ſilentio, Electum nominat promulgatq;: Nominationi, vt quàm diutiſsimè Regnet, ac vivat, vota ſubiungens. Excipiunt vocem VIVAT, quotquot in Circo cõſeſſores: extra vallum dehinc vocali applauſu perlato, toto it clamor cælo; donec machinis creberrimè detonantib⁹, humanæ voces, artificiali fragore, ſupprimerentur. Etiã

Cromerus.

his

his ex imperato deſinentibus, iterùm Vniverſi in oppletam nive humum, in genua procumbunt, ac agendis DEO Ter: Max: gratijs, *Te Deum laudamus* modulantur. Odio nuper, prætextu, diffidentijs, reſpectu, in partes acti, nunc vniverſali Sympathia, iunctim DEO acceptum ferunt beneficium, ſibi concordiam gratulantur. Mirâre, qui voles! Regum tactu ſtrumoſos curari: maioris vim prodigij obtinet, regnandi libidinem ſtudio pacis exui, nuper diſcordes infenſosq;, conformibus vniverſorum placitis vniri: deniq;, religione, idiomate, moribus, habitu, diverſos Cives concordare, ſupra miraculum eſſe, vt certè in Electionibus Regum Poloniæ, digitum Virtutis DEI extendi, nemo negaverit? 1648.

Dum deproperant, vt quisq; celeriùs, in occurſum Electo Regi; inter cæteram ſalutantium turbam aderat, Sigiſmundus Skarſzevius, olim Vladiſlai Aulicus & Miles. Notum Caſimiro viri ingenium; & quamvis ad ſeria non ineptum, aulicâ tamen elegantiâ, per argutè ſparſos iocos celebratius. Hic, dum per viam Caſimirum, iam vt Regẽ veneratur, quæſitus à Principe, Ecquis in circo Rex deſtinaretur? reſpondit. *Quod Polonia diſordine ſtare dicatur, exinde ſibi faſtigiũ illud omnino debitũ, ſi modo nomẽ inter candidatos profiteri voluiſſet. Non alio quippe quàm ſe ſummam rerum tenente, maiorem Atakiam ſeu perturbationem Ordinis futuram, vt qui detrimentoſo aleæ ludo diſtentus, opimæ devolutionis litem, per non attendentiam foro, indiſcretus luſor perdiderit.* Arriſit Princeps ioci energiâ delectatus, cum eò peterentur cavillo, Electionis Comitia, per morarum ambages protelata, rebellib⁹ interim hoſtilia exequẽtib⁹. Regem Senatorio vico in Arcem Varſavienſem, digredientẽ; illinc in Divi Ioannis Baſilicam, Præſules immediatè præcedebant, Carolo Principe, ac Sedis Apoſtolicæ Nuntio, vtrumq; latus ſtipantibus. Sequebantur Regni Senatores: ac, qui intimioris admiſsionis officia ſibi vendicant; circumfuſa dein Nobilitas, ac Curienſium turba paſsim ibat; Skarſzewſki.

vt non

1648. vt non compleri modo templi ambitus, ſed obrui populo, & recluſis foribus, vrgens frequentia arceri à Prætorianis debuerit. Rege in ſolio recumbente, Pontificalibus indutus Primas, ſolemne orditur Sacrificium; in quo, vbi ſalvificæ Hoſtiæ, in Verum Christi Corpus ſit transſubſtantiatio, commovet ſe trono temporalis poteſtas, ac cernuus poplite ad ſcabellum aræ Rex, agnoſcit Factorem ſuum, recipitq; in Sacra Synaxi eum, qui habet tenetq; omnia. Peracto Sacro, traditur ei authenticum Electionis diploma, iterante nominationem Primate; ac excipiente Equeſtris Ordinis Mareſchallo. Et Primati quidem Regia brevitate per ſe reſpondit. Prolixius Ordinibus delati Sceptri gratam mentem aperit, vicario ſermone vſus, Leſzczynij Maioris Poloniæ Generalis, Cancellario Magno ob valetudinem abſente. Ac, quo firmiùs cooptatum corpori ſuo Capût adhæreſcat, arterijs venisq; circumducitur. *Pacta Conventa*, dicimus, inter Regem ac Ordines, quæ Legati eius fiduciaria poteſtate, de toto & in ſolidum implenda, interpoſito ſponſioni Iuramento, promiſerant. Et hic eſt apud nos murus ille Spartanus, inter Regnantem ac ſubditos: hoc veterrimum liberæ gentis arcanum. *Poſſe Polonos ſub Regibus eſſe, non poſſe ſine Legibꝰ.* E Templo in Arcem digreſsis ab Electo primum Regias curas inchoante, promulgatur Edictum Comitiorū Coronationis, ad XVI. Idꝰ Ianuarij indictionem continens. Exulibus Ruſsiæ omnē moram deprecantibꝰ, ac (vt imaginatrix in ærumnis mens humana eſt) properum ad penates reditum, cum Rege inaugurato ſperantibus. Regredior ad bellica.

Re ad Pilawcios tranſacta, Hieremias Wiſniovecius diu ſua ſponte & animo, mox placito Ordinum delatum Exercitus Regimen obtinens; quantum licuit arctis rebus, reſiſtere velle, hoſtium inſultibus oſtenderat. Ac, in primo limine, gratus vtcunq; militi; aſt, dum æs militare non ſuppetit, obſequium brevi deſiturum ſuſtentans; idemq; miles ſpe evanida ſtipendij dilabitur, Leopoli in defenſionem

animata, etiam ipſe ad Comitia Varſaviam iverat. Vnde 1648.
amoto eo, intima Ruſsiæ imò viſcera Poloniæ pervaſtare, Rebellibus facilè fuit. Diſceptatum inter eos aliquamdiu, an poſt Pilavcios promotis armis, in noviſsimum agonem exagitare Polonos? an ſaturatis pingui offâ, regredi, & partis frui ſatiùs foret? Chmielnicius vim Ducis & auctoritatem complexus, adhuc dum titulo parcebat; Seniorem ſe Exercitus Zaporoſcenſis inſcribendo: auctorandis edictis vſus Sigillo, virum cum appoſito genæ ſclopo referente. Eraſmus Czarnota nihil non auſurus, & ipſi Chmielnicio donec perderet formidatus Caſtrorum; Krzywonoſsiꝰ Prædatorum, Kalina Excubiarum curam obtinebant. Euſtachius, Woronczenko, Łoboda, Burłaius, ex veteribus Tribunis erant. Sed vis agendi penes Ioannem Wyhovium, qui Bohdano ab Epiſtolis, multa vel in ipſum Ducem efficaci ſuaſu, aut conſiliorum ſucceſſu poterat, tantæ moli curarum imparem, vel per temulentiam diſtentum. Is, genere nobilis, religione Græcus, olim *formularius* in Caſtro Kijovienſi, ob adulterata publica Acta capitali pœnæ addictus, deprecatione Procerum meritū ſupplicium evaſerat. A forenſi dein praxi, pæna prævaricationis abſterritus, ad ſtudia belli tranſtulit animum; Zołtowodenſi clade captus, ac liberatus intuitu communium Sacrorum, tum vigore ſolertis in quæq; ingenij, Bohdano ſe ſe innuaverat. Eo autore, vt creditum Coſacorum Tribuni dictis ſententijs, omnino invadendum Poloniam cenſuêre; nec quiſquam è tumultuoſa concione repertus (Czern nuncupatur militaris multitudo) qui non ad exitiū perſequendos *Lachos* turbulentis vocibus conclamaret. Chmielnicius ipſe quamvis feſso militi reſpirium concedere optâſset, ne tamen cōſenſum multitudinis fruſtrari videretur, in Leopolim oppugnandam, conſenſit. Wyhowſki.

Metropolis ea rubræ Ruſsiæ, olim Regum gentis, Leone conditore ſedes, nunc Archiepiſcopi ritus Romani Cathedra celebris. In hanc turbulentis rebus, multa cum pigno-

1648. ribus Nobilitas, etiam frequentes ex circumiecta ora aggreſtes, qui germine & ſacris cum hoſte ijdem, intro ſe receperant. Excitabat in defenſionem incluſorum animos Chriſtophorus Arciſzevius per externæ militiæ munia egregiè verſatus. Tum Wiſniovecij ſuccurſum pollicentis hortatus, hyemis iniuriæ, nec vltra Electionem Regis tentaturi hoſtilia rebelles, erigebant incolas, in ſuſtinendum obſidium. Primus Głowacki Equeſtri in Polonia loco natus, cum præcurſorũ agmine, ſigna pomerijs intulit. Subſequebatur tractu Glinianenſi Chmielnicius; metatisque ſecundo ab Vrbe lapide caſtris, tentamenta amicitiæ præmiſerat, ſcriptis ad Magiſtratum literis eo ſenſu. *Liberatorem ſe Ruſſiæ ad Metropolim gentis, cum Exercitu Zaporoviano venire; & planè conſentientibus ſecum Civibus, ſocietatem ſuam, gloriæ commodiq; illorum ceſſurã. CC. Mill: armatorum militare ſibi, præter Scytharum immenſum numerum, non cuiusquam iniuriæ, contractum Exercitum, ſed terrori externorum. Egregiè proin, ſimulq; opportunè inclytam Vrbem rebus ſuis conſulturam; ſi tanquam omnis fortunæ particeps, & religionis vinculo propior, ſibi adhærere velit. Quod ſi Proceres Polonos, à Pilawcijs profugos, qui intrò habeantur dedit, eo auctoramento ſtrictiùs ſe à Leopolienſibus obligatum iri. In id rei mutuo iuramento, fidem aſtringendam. Cæterum ſpretam amicitiam, detrimento fore.* Lectâ epiſtolâ animoſiores indignatione rudem aſtum explodebant; petiêre Cives concedi ſibi reſpondendi officium, ne omiſſa humanitate irritatus, in circumiacentia ſæviret. Reſcripti ſumma fuit. *Mirari Leopolim, quod à Duce Zaporoviano literas amicitiæ indices legat, interim à milite ſuo hoſtilia patiatur. Cæterùm, nec amicitiam ſi modo ea vſui eſt reijcere, neq; ſocietatem amplecti poſſe, vtraq; mox tranſacta Regis Electione firmaturi. Nunc benevolentiam ſperare eorum quos nunquam offendiſſet. Proceres Regni, per tranſennam nuper inviſa vrbe, Varſaviam ad Comitia profectos; Cives tantùm incolasq; pomeriorum, includi mœnijs, arces vtrasq; præſidijs militaribus inſide-*

rí, in hos Præfectis imperium, etiam in Vrbem ius eſſe. Vt 1648.
benè interim Dux valeret, animitùs cupere. Vrbem eam aſperi circum colles ambiunt: qui cæteris præminet, *Calvus* dicitur, ex arenarum è longinquo albeſcentium congerie. Huius iugo veteros, Ruſſorum Monarchæ, ſuperſtruxerant Arcem, in apparentiam magis quam vſum; anguſta intercapedine, tum rarâ puteanæ aquæ, & inſalubri copiâ. Temporum neglectu, quòd per altæ pacis otia, hæc munimina neglectim habentur, ſine cura *arcetum* illud ſtetit; ſupernè Vrbi imminens: vt exinde, cuncta in foro diſpici poſſent. Illinc, prima Coſacis tentamenta, comperto imbellẽ turbam intro agere, cum tamen LXX peditum præſidium, cum Burgrabio ineſſet: præterea, è vicinis mappalibus aggreſtes, crepidini collis ſuperſtantes; falcibus, ſaxis, & quæ alia arma caſus miniſtrat, nitentes in ſumitatem Coſacos, arcebant: ac, in præceps provoluebant. qui demum, à iugo montis protruſi, fiſtularum globis ex mœnibus petebantur. Superventu Scytharũ (die 6. 8bris.) Arciſzevius futuri providus, haud ægrè Givibus perſuaſit, quominus ſuburbia mœnijs contigua cremarentur, ne hoſti ſuffugio, aut Vrbi nocumento forent. Factum incunctanter, ignisq; vel poſſeſſorum manu ſubiectus, peramplas, quà ſacras quà profanas ædes exuſsit. Conduxit dehinc inſtructum in oppugnationem agmen Chmielnicius; ac, quà in Figulorum platea, Carmelitarum veteris obſervantiæ cænobium eſt, (nam Diſcalceati alia vrbis regione degunt) excitatis tormentarijs ſuggeſtibus, toto biduo fulminavit. Demum quantùm è veteranis roboris erat, id omne è regione Portæ Halicienſis, in muros immiſit: alijs ſuorum agminibus, circumquaq; vrbem quatere iuſsis. Adequitabat ipſe primæ inſiſtens impreſsioni; vrgebant & Tribuni pedeſtria agmina, ſubeundis mœnijs deſtinata, præ cæteris Euſtachio ac Głowacio, ordinem impreſsionis diſponentibus. E contra in Vrbe Arciſzevius, ad omnia vigil ac interritus; animoſa Nobilitas; Cives in obſequia prompti; niſi, quòd ine-

1648. rat aliquis à municipibus metus, qui Græco-Ruſsis ſacris hoſti obſtricti, tentata ſecretò aut convulſa fide, proni in turbas timebantur. Siquidem, & *Wtadyka* loci, datis nuper ac interceptis ad rebelles literis, non extra ſuſpicionem inclinati in partes animi arguebatur: & Georgius quidam ê Civibus mercator opulentus, ſub ſpecie venundandi ferri plumbiq; , multo apparatu bellico hoſtem inſtruebat: qui tamen deprehenſus eius facinoris, exemplari ſupplicio pœnas luiſſet. Itaq; , evitandæ proditioni, per decurias Armenij, Ruſsique, mixtim inter Catholicos diſpertiti, demum præciſa facultate nocendi, iuvare oſtendebant. Itum enimverò ab hoſte magno impetu, in oppugnandam vrbem: etſi tardius ligneæ moles ſeu opercula, adverſus ictus è muris continuos prætenſa, per exuſtarum domuũ maceries, ac hiatus celariorum, promoverentur. Acerrimè tamen excurrebant à cœnobio Baſiliſsarum Virginum, ad Bernardinos: & quidquid mœniorum portæ Halicienſi interiacet, ſupra ſtridentib⁹ telis, ſubtus nitentib⁹ cuneis invadẽdo: ac, quò vociferatione impet⁹ geminaretur, protervè minas & improperia addebant. Verùm mox, repreſſa irruẽtium violentia fuit; vbi excuſſa à muris tormenta, evidente noxa in confertos librata, tum & manualium Scloporum explosio certa deſtinatione mitteretur; ac nulla eſſet per opacitatem fumi, declinandi ictus providentia. Quinimo, Chmielnicius ipſe, ex albo Equo & militari ſigno notior, dum muros obequitat, tormentariâ pilâ petitus, equum nõ ſine diſcrimine vitæ amiſit. Sub hæc, à præſidiarijs aversâ templo Ieſuitico portulâ eruptio inſtituitur: quòd eo loci infirmior murus; ac foſſa, multa quiſquiliarum illuvie oppleta, indeque non ſine periculo tentari latus Vrbis, apparebat. Eadem alia parte exequuti Cives, conatu vt ſtrenuo, ita non improſpero; nam, dum pellendo vagos iſthàc vociferatio ac armorum fragor invaleſcit, interim, ad Halicienſem portam oppugnatio flacceſcebat; adeoque noſtris creverant animi, vt tranſcenſo vallo in abſcedentes illati, hinc inde ſternerent obvios, vltra bis

mille Coſacorum iactura; Chmielnicio conſtante eius diei 1648.
experimento. Sub veſperam oppugnatorum agmina receſsêre, nihil vltra memoratu dignum agitando; imò, acſi ſuſceptæ oppugnationis ſuppuderet, mitioris animi ſigna oſtendebant: identidem captivos remittendo, quo ſuos reciperent. Quippe, dum multitudo mœnia ſubit, plurimi in ſubterraneas ſpecus delapſi, à Leopolienſibus capti abducti, ſunt. Atterebantur præterea iniuriâ cæli, per adultum autumnum invaleſcente; morbis quoq; ac inediâ, quâ ipſi populationibus exitioſis, cauſaverant. Vnde Dux, faciliorem annonæ rationem arbitratus, ſi diſpertitis agminibus bellum circumferret; vt quemq; in prædas promptiorem, vaſtandis Provincijs dimiſit. A quibus immani fævitia iterum, in ſubiectas Viſtulæ oras, debacchatum fuit, nec in mortales tantum, ſed quidquid manu factum, miſerabile incendium, aut evaſtatio abſumpſit.

Chmielnicius cœpti irritus, ac modos reparandæ contumeliæ circumſpiciens, quatiebat iugi è tormentis verberatione muros; ſtrues lignorum fabricandis operculis comportabat; vineas erigebat; etiam tranſverſalem foſſam adverſùs eruptiones obſeſſorum, molitus. Cùm Głowacius, Głowacki.
ex frequentibus colloquijs Civibus notus, data ſuggrediendi fide, ductario in Vrbem fune tractus, vbi diſpoſitas ſtationes, & plena propugnatoribus mœnia videt. *Non amplius* (inquit) *armis opus; capto viciſſim experimento, vtrinq; viros ſtare, & hinc atq; illinc mortales eſſe. Aſt, ſi tranquillè agere, & pignora in tuto habere cordi eſt, honorarium æs devinciendis Zaporoſcenſibus date.* Cui, nonnemo ex ijs quibus deducendi officium, ferro non auro tueri ſalutem decretum nobis, repoſuit. Poſt, vbi apertis inſtitorum tabernis, venales merces, præcipuè victualium videt, intento digito. Cur non mitterentur ea Coſacis, validum conciliandæ amicitiæ munus? Reſponſum fuit. Mitti poſſe ſi amicos agunt; ſi hoſtes, ijs quibus nuper ferculis tractandos. Vbi patuit hoſtem mitiora velle, eademq; Vrbi validæ, ſed im-

paratæ expedire ; brevi deliberatione placuit, oblatâ tan-
1648. tiſper offâ, canem avertere. Iam quippe evoluto Octobre, Arx ſuperior in manus hoſtium venerat, ac nimia convenarum frequentia conſtrictæ Vrbi, vnde fames & morbi invaleſcerent, aliquo medio conſulendum videbatur. Collatis itaq; cum Præfecto præſidij rationibus, placitum requiſito tutè adeundi commeatu, ſuper liberanda Vrbe Chmielnicium pertentare. Subſiſtebant Coſaci ad Lupinum mõtem, Dux ipſe in viciniori pago Leſienicijs ſtationem cum Scythis fixerat, cum quo delegati (inter alios erat Samuel Kuſzewicz Syndicus Vrbis) multa in ſpeciem ſubmiſsione collocuti: tandem impulêre, vt velut fortunæ obſeſſorum miſertus, exercitum abducendum promitteret: ſi in anteceſſum honorarium æs, conciliandis in abitum Scythis exolveretur. Poſtridie Chmielnicius ipſe Vrbem propè ſuggreſſus, pileo protenſo ſignum dedit, ceſſandæ vtrinq; hoſtilitati; ſimulq; Głowacius cum Pir Aga Tartaro, recipiendo lytro vrbem introiêre. Corraſa itaq; ex publicò ac privatorum peculijs C. Mill: Imperialium, præter varias pannorum ſericorumq; merces, (famam de numero pecuniæ ſecutus trado) rapacitatem hoſtis ſatiavêre. Qui Zacharia Chmielnicio patruele, cum decem alijs Coſacis, manu tenendæ tranſactioni relictis obſidibus, multo tormentorum fragore ab Vrbe diſceſsit. Providum à fine conſilium, modico æris hoſtimento, à cervicibus inclytæ Vrbis impendens diſcrimen avertiſſe.

A Leopoli, in Vkraynam regreſſurum ſpes erat, cum impulſu multitudinis in obſidionem Zamoſcij abripitur. Etenim prædatorum anteſignani, haud tutò rapinas acturi, retrovertendi ſugillabant mentionem, plebem in vrgendã plus vltra fortunam exſtimulando. Præcarium Duci in multitudinem regimen, ac in ſpeciem poteſtas eſt; quæ nollet laudat, quæ vellet occultat: &, vt quisq; turbidiora obtrudit; mancipato ex metu obſequio, quæ placita vulgo, approbare cogitur. Igitur, hinc motis ſignis, quo impenſe, curam

curam belli promovendi oſtenderet, Varſaviam iter edicit; 1648.
Zamoſciũ interim per viam aggrediendum deſtinans. Situm eſt illud, in Chełmenſi tractu; mox, vt cum tempore etiam cognominum nomenclatura mutatur, Familiæ Ielitorum trinas haſtas pro Stemmate deferenti, ex ſe nomen dedit. Manſitq; fidele hæredium in manibus Zamoſciorum, haud interrupto dominij titulo; donec Ioannes Exercituum Regni Generalis Præfectus, in validum & regulatũ munimentum erexerit. Tot in hanc diem irriti aſſultus, ac fortiter toleratæ obſidiones, aſſerunt inclytam Civitatis, ſimul & autoris gloriam; iuſtius fortaſſe quàm Magdeburgum ſui incolæ, *Intactam Virginem*, appellandum. Cæterum, æquabili planicie ſitum obtinet, circumfuſis adulto opere mœnibus: quæ, in varios hæmiciclos, propugnacula, ac reductus militares, ſinuantur. Introrſum, implet muri altitudinem humus, cui exinde adverſus tormentarios ictus, inconcuſſa firmitudo. Subiacet perampla foſſa; & quæ alia reprimendo hoſti ex arte, aut propugnantibus ex vſu, præſentis ſæculi militaris architectura reperit, cunctis egregiè permunita manet. Vladiſlaus Marchio Myſzkovius Grodecenſis Præfectus ab Wiſniovecio hoſtium incurſiones cohibere iuſſus, dum tantæ potentiæ campo impar eſt, intra Zamoſcij mœnia cum CCCC. Equitum ala ſe ſe receperat. Aderat Ludovicus Weyherus Caſtellanus Elbingenſis, cum legione peditum: Stephanus Oborſcius Capitaneus Livenſis, ac Bar deſultorium *Colonellus* ter CCC. Sclopigeros equitantes induxerant: quibus demum Wiſniovecij peditum phalanx in præſidium acceſsit. Egregium præterea Ioannis Zamoſcij, loci Domini ſtudium enituit, qui octingentos milites proprio ære lectos, & apertũ multa ſupellectile Martia armamentarium, vſui Patriæ devoverat. Vnde præter Cives & frequentem Nobilitatem, ad ter mille & quingentos præſidium reduci poterit. Aderat tempeſtivè proviſa annona, tormenta, pyrij pulveris copia, libratores, aliaq; defendendo aut lædendo requiſita; ac in-

Myſzkowſki Marchio. Weyherus Caſtell. Elbin. Oborſki Zamoyſki Præf. Caluſiæ.

1648. ac insuper mutuus imperantis parentiumq; inter se consensus. Ita privatorum arces ac oppida, faciliùs defendi ac retineri patet, efficaciore semper vnius curâ: cùm, quæ multi curant, nemo cùret.

Ferunt Hyænam humanas imitari voces, dum vorax, est; & lupum cauda blandiri, vbi gregi insidiatur: ea planè rebellis genij indoles, præmeditatæ versutiæ obtendere fidē modestiamq;. Chmielnicius vrbe potiundi exspes, sufficiēs operæ prætium rebatur, si mulctato extorsione lytri Zamoscio, suspensa arma, quasi in gratiam Electi Regis ostenderet. In quem finem, præmiserat Niebabam è suis, in primo limine tentandis obsessorum animis; verùm, huic in conspectum venienti, occurrebat ab vrbe tubicen, hominē è conspectu facessere iubens; Præfectis ex dignitate, Civibus ex interdicto, colloqui abnuentibus. Ita, non prospe acceptus, dum portas velut in altissimo otio patentes, & raros in muro vigiles advertit, incuriâ defensorum, vel contemptu suorum fieri autumans, Chmielnicio in oppugnādam omni conatu Vrbem autor est. Tum vero sub oculis vrbis circumductis Legionibus, quo dispecta multitudo terrori esset castris vndiq; consedit. Vltra LXXX. Mill: suorum cōputabat, præter conductos sub Ali-Murza Scythas, Valachosque. Ast, velitando tantùm, aut fossas excitanda multitudo desidebat, Bohdano ad Villam Łabonki, consilia oppugnationis remissius agitante; interea fervidioribus è Tribunis adusq; contumeliam temulentum otium, & abiectum pavorem Duci exprobrantibus. Maximè Czarnota convitiabatur; post captivatos Duces, Exercitus deletos. Leopolim deditam, Zamoscium privati patrimonium, minimè restiturum; nisi, quòd hostis Polonus non oppugnandum, idem quoq; Cosacorum Dux velit. Invisa hæc, simul suspecta Chmielnicio, ex ratione autoris; qui non in Polonos tantum insanè ferox, verùm & ipsi formidolosus erat. Ast vana obtendebantur; iam quòd inceptus November (4. eius die in conspectum Zamoscij ventum) rigente

gente passim gelu ac turbido cælo gravis, excitandis operis incommodaret; tum, quòd sparsus rumor incesserat, à Zamoscianis arripi consilia lytro avertendæ obsidionis, modò Cosaci à vi temperarent. Vt magis crederent, missitandò nuncios Chmielnicius faciebat; sub simulato literarum officio, statum vrbis animorumq; exploraturus. Primò Marchionem Myszkovium, velut civili salutatione dignabatur; dein Nobilitatem, vt quisq; notior, scripto conveniebat; etiam Weyherum respiciens, quem externum ratus, in amicitiam societatemq; non erubuit invitare. Ast hic, generosè pro causa & indole sua. *Eum se esse Weyherum* (respondit) *qui, non modò Civis Polonus, sed idem Senator Regni Castellanus Elbingensis, eo loci pedem fixisset; vbi, fide & fortitudine avitam virtutem æmulari; non perfidiæ labe Maiorum decora temerare fas credat. Esse sibi supra tria peditum millia, qui omnes, etsi ad Germanicam militiæ regulam stipendia Reip: mereant; nihilominus ex Borussis, Pomeranis, Cassubis, Livonibus, Curlandis, alijsq; Regno annexis Provincijs collecti; ut vivere cū side, ita mori ante perfidiā destinaverint. Sin ab hostilitate desistunt Cosaci, idem se præstiturum. Tum mox vno sub Rege vbi eligitur, vtriq; commodiùs arma & animos in hostes Regni sociaturi.*

Quæ inter, nè nihil agere videretur, in curas oppugnationis se accingit; ac pluteis tabulatisq; adversùs machinarum ictus paratis, virgultis, stramentis, & quæ alia excitando igni faciunt comportatis, manipulatim exhibebat vini adusti dolia: Argyraspidas suos, quô in prælium ardescerēt, more gentis tractando. Præbibunt isti sospiti Duci, ac Trasones, ante discrimen Hectoras mentiuntur. Tum verò acies ad impressionem disponitur. Præseagit plebs è crassis arboribus opercula, quibus à fronte latitans, à tergo oblongis perticis sudibusq; clauditur, ne in effugium spes aut modus esset. Consilium illuc respiciebat, vt primis obsessorum ictibus, in vilia ipsi multitudinis capita absumptis, istorum obiectu, acies prætoria tegeretur. Tum demum

 veteranum

1648. veterani inſtitêre: ſuſtinentibus latera Equitum turmis, ſi vis deforis ingrueret. Verùm, vt machinæ horribili boatu ſignum irruptioni dederant, tardius moliebatur gradum multitudo; ante ſe hoſtes, poſt ſe non amicos metuendo: quippè, vt quisque in aſſultum ſegnior, ferro & vulneribus vrgebatur. Notavêre præſentes, continuò infeſtam vtrinqué exploſionem adeò extitiſſe, vt per nebulam ac fumum obſcurior arderet dies; acſi, immiſsis è cælo ignibus. Nocentiora tamen ab oppido tela veniebant, cùm Coſaci nullâ aut rarâ hominum noxâ, in muros tantùm fævi, iacularentur. Vnde, prima illa acies ebria ac inermis, reſolvi in abſceſsũ cœpit; & quæ tegere debebat ſequentes, confundebat fugiẽdo: præſertim, vbi ab oppido proruptum, & plurimi inter clauſtra lignea, manuali ferro oppreſsi. Iam Coſſus Humanenſis Centurio vir acer, ac ex collaterali comitatu Ducis ſacricola, globis diſcerpti: cùm Chmielnicius, irâ in autorem oppugnandi vecors, Czarnotam in muros ab Aquilonari latere ire iubet. Ivit ſanè in diſcrimina obſtinatus, iuſſeratq; virgultorum faſces, in concavum valli deijcere: quo explanato acceſſu, murum faciliùs aſcenſione ſuperaret, niſi, anteſignanorum complures, exitiabili audaciâ telis obruti, temerarium ſuggreſſum impoſsibili conatu, & grandi Coſacorum iactura conſtiturum, cæteris monſtrâſſent. Etiam Czarnotæ, glans oppido immiſſa, femur transfixit; vnde, gravitas vulneris ferociam fregerat. Non vltra XVII. ex noſtris ea die perijſſe reperio, cùm cædem hoſtium ingentem fuiſſe; vt qui ad ictus expoſiti credibile fuerit. In veſperum irremiſſa duravit oppugnatio, nox vtrisq; partibus reſpirium dedit. Irrequieta ad hæc Chmielnicio mẽs, vbi potiri vrbe arduum, abſcedere ignominioſum reputat; ſimul & vnius oppidi conſtantiâ, poſt tot ſucceſſus bellorũ, vinci ſe indignabatur. Remiſſâ ergo vi, quam aliquoties irritò tentaret; è vicinis mappalibus aggreſtes induxit: vt tranſfugium mentiti, incenderent Zamoſcium; aut labefactata aliquorum fide, ad defectionem ſolicitarent. Dum neu-

neutrum ſuccedit, exeunte Novembre, aderat amico clangore tubicen, pacati nuncij inſignia ac literas ferens, quibꝰ propè concluſionem vergere Electionis Comitia obſeſsis nunciabat. Quò etiam Coſacos, quâ parte Cives ſunt, valiturum pro Principe Caſimiro traſmiſiſſe ſuffragium. *Venerari Zaporoſcenſes nomen Maieſtatis, (aiebat) vti filios eiuſdem Reip: decet; & donec throno imponitur Electus, vindices Regij nominis ſtare. Aperiret itaq; ſibi Zamoſcium portas, ne vi recludere neceſſum habeat. Si medium inter hæc duo requirit, oſtendere Leopolim, vrbem tanti nominis, modum; vbi, quid Zamoſcenſibus conducat, in aliena prudentia reperturos.* Remittit quandoq; de fervore Mars, & ſua inter bellantes intercedunt vrbanitatis officia. Etiam hi, accepto latore comiter, nec indonato, reſcripſere partium Duci. *Gratiam habere Zamoſcenſes, quòd cùm publicus tabellio neglectim in officium adeſt, aut intercepto commeatu adire nequit, exhibendarum novellarum munus, militaris Tubicen probè exequatur. Renuntiare viciſſim, Ioannem Caſimirum Electum Regem, (iam quippè Electio innotuerat) componendis Regni turbis, in viam ſe dediſſe, mox affuturum. Interea, qui ſibi ex profeſſo agant hoſtes, è contra non amicos ſcirent, deſperata ſympathia inter eos, qui Patriam oppugnant, aut tutantur.* Hæc præſidio Præfecti, cùm interim communicatis familiarem in modum ſermonibus, ab vtrinq; ioci aut probra inter milites, mutuò miſcerentur. Simulq; quatuor vaſa vini generoſi, ab oppidanis Chmielnicio miſſa ſunt, vt inter hoſtilia ferox animus, eo honorario mulceretur.

Hìc aſsidens ille, interim ad Comitia ſcripſerat, coactũ ſe in arma, & quantociùs regreſſurum; ſi iniuriæ, quas à Wiſniovecio & Koniecpolio paſsus, redhiberentur. Heróàs namq; illos, in tantum vbiq; vatiniano proſecutus odio; vt palam iactaret, eliberaturum ſe Duces Regni è Taurica, modo ne regimine Exercitûs à Republica collato, Hieremias potiretur. Mox, ſub ipſum Comitiorum finem, Varſaviam ablegârat Andream Huncel Mokrſcium, ſubacti Mokrski.

1648. per religioſas diſciplinas ingenij; addito ei Zacharia Chmielnicio patruele. Per hos, incuſabat anteacta; excuſabat præſentia: & in mille figuras verſatilis Protheus, credi verbis ſimulatæ modeſtiæ volebat: qui, atrocibus factis, iuratum hoſtem Regno ageret. Adhibito proin ab Electo Rege Senatu, mittitur Iacobus Smiarovius Nobilis Roxolanus: qui indicaret Coſacis, ſummæ rerum impoſitum Caſimirum, eumq; civili remedio vulneribus Reip: proſpectum; redirent modo pacatè ad propria, Regiæ clementiæ confiſi: dum Rex, quæ in hanc diem tranſacta, magis fato & errori omnium, quàm delicto ſingulorum, tribuẽda putet.

Smiarowſki.

His mandatis inſtructus, in Caſtra Coſacorum ad Zamoſcium, ſub initium Decembris (Varſaviâ dimiſſus die 27. 9bris) venit. Non ingratus vtiq; hoſpes, iam per rigidos aquilones aſperato cælo; iam commeatuum inopiâ, in famelica turba temeritatem animorum frangente. Addidit momentum accelerando abitui, ſparſus rumor; Hieremiam Wiſniovecium, Exercitui regundo impoſitum, feſtinatis itineribus in reſcindendum obſidium convolare. Quæ vbi vulgata, habito liberaliter Internuncio Regis. (cui mira vafricie perſuaſum volebat Chmielnicius, receſſum à Zamoſcio novi Principis gratiæ tribui) excuſſis pro militari more tormentis, obſidionem ſolvit. Inhæſêre abeuntis tergo noſtri, quo noviſsimum agmen à populationibus abſterreretur. præcipuâ inter alios Iacobi Regovij dexteritate, qui ſparſim diſiectas rebellium turmas, maximè in traiectu fluminum excutiebat, ſternebatq;, cæſo ex inſignioribus Kalina Tribuno; quem, celeritate præventum, & fiduciâ virium ſecurum, impare manu profligavit. Liberato, abſeſſu hoſtis, Zamoſcio; iam vaſtum hoſtilium Caſtrorum ambitum perluſtrare; & vt ductis per varios anfractus foſsis, ſe ſe circum Vrbis municiones ingeſſerat, contemplari vacavit. Iam in mutuas gratulationes Civibus ac militi effundi, Præſidiariorum invictam virtutẽ oppi-

Regowſki.

oppidi incolis; his rurſus illorum egregiam fidem, & ſocios in pericula auſus, efferentibus. Dignum memoratu Ioannis Zamoſcij Caſtellani Præfecti inſigne erga Remp: ſtudium: dum, præter militem proprio ære conductum, etiam præſidio intrò recepto, de commeatu, ac re armamentaria, omniq; requiſitorum genere providerit: profusâ, & vltra privati ſumptum, largitione. At enim, privato detrahit, quiſquis in publicum parcus eſt; & omnium iacturam pati cogitur, quem, in vſum Patriæ, denarium erogare piget. Singulis partibus totum conſtat, & particulariter omnes eniti debent, in conſervationem vniverſi.

1648.

Zamoyſki Præf. Caſtellanie

ANNAL-

ANNALIUM POLONIÆ REGNANTE IOANNE CASIMIRO LIBER SECVNDVS.

An. CH. M. DC. XL. IX.

Elenchus Contentorum.

REX Electus Czestochouiam pergit. Clari Montis situs, simul brevis Sacri istic Depositi mentio. Inde Cracoviam venit, quâ pompa & plausu acceptus. Arcem intrat. Rupellam visitat. VLADISLAO Magno funus ducitur: eiusdem tumulatio, ac Epigraphe. Novus REX coronatur. In Forum Metropoleos venienti, Magistratus Vrbis fidelitatem iurat: Comitia Coronationis reddendis malè gesti belli rationibus, turbantur. Contentiosam materiam sopit REX, pertinentia ad defensionem Patriæ tantùm tractari volens. Iterum Præfectura armorum Triumviris commissa. Lascij mors. Gallipes ardet. Comitia Concluſa. Post quæ, REX Varsaviam abit, matrimonio Reginæ Ludovicæ iungendus. Vkraynæ iterum status. Descriptio Kijoviæ vetustæ sanè vrbis. Commissarios pacificandis istic rebus Chmielnicius Pereaslaviæ excipit, non pro spe tractat ac indignè expedit. Causæ tam occæcatæ insaniæ. Sub regressum illorum bellum ardescit. Internuncius Regis in aquas præcipitatur. Firleius copias contrahit, Wisniovecij ac Koniecpolij cohortibus augetur. Chmielnicio in aduersos it. Adest mox & Crimensis Hano, quo vterq; numero Exercitus? Ad Zbarazium primum belli præludium, & hostis clades. In Castra Polona è Sexaginta machinis fulminatum. Iterum pugna Equestris, & aliquorum è nostris interitus. Oppugnatio Castrorum Vniversalis. Consilium reducendi à Zbarazio Equitatus, discussum. Eruptio à præcipuis instituta. Chmielnicius dolum, dilata vi tentat. Sieracovius occumbit & alij: Cuniculi aguntur, interim valli contractio. Obsessi

sessi præmuntur fame, etiam dissidijs. Hostis Germanos milites in transfugium solicitat; REX interim Varsaviâ, suis succursurus movet. Lublini de bello gerendo deliberat, ibidem ab obsessis nuntios extremæ necessitatis accipiens. Eius hostem versùs iter, ac ad Zborovum congressus. Primi in regios Scytharum incursus. Regis in prælium animus, & dexteritas. Pugna dein atrox, fortuna anceps, ac vtrorumq; pro retinendo campo certamen. Polona acies fluctuat, quam mira fortitudine restituit REX. Aliud de nocte discrimen, cui item imperterrito animo à Rege obviam itum. De die iterum hostis & prælium. Lixarum non inutilis opera. Cæsorum ea pugna mẽtio. Tractandæ pacis præludia. Literæ ad Regem Hanij. Patrum Patratorum congressus, demum in quas leges pax coaluerit. Zbarascensium in extremis constantia & ex obsidione liberatio. Regis gratâ cælo pietas; qui à Proceribus Zbarascensis militiæ salutatur Leopoli. Ijsdem vacantias dispertit, milite passim quærulo & neglectim se habitum fremente. REX deposito cultu Germanico, vestem Polonam induit, ac Leopoli abit. Etiam in Lithuania rebellio turbat. Radivillus infessa hosti loca recuperat. Hostota stativis Lithuanos proturbat, mox cæsus. Succedit Krzeczovius, identidem certamen instaurans, donec & iste profligatis suis interimeretur. Podobayło huic amne succurrens fugatur. Mors Lubomirij, Palatini Cracovienſis. Item Pauli Piasecij, Præmisliẽsis Episcopi. Comitia extra Ordinẽ Varsaviæ celebrata. Leszczynio confectam pacem Regi gratulatur. Ut eo temporis mordacia scripta seu Pasquilli inualuerant. Pacta Zboroviana per legem approbata. Wisniovecio ac Radivillo Ducibus publica gratitudo. Monetæ externæ depressio, ac de loco Metropolitano Kijoviensi in Senatu Regni assignando discursus.

PRimum novi Regnãtis iter Varsaviâ directum Czestochoviam fuit, visitãdo ex devotione loco; etenim DEI-paræ addictissimus Princeps, regiminis primordia *Regum Reginæ*, solemni voto nuncupare voluit, auspicium & finem fortunata; non faciliùs per quemquam impetraturus, quàm per Matrem à Filio. Locus ille, *Clarus Mons* dicitur, confinia propè Silesiæ situs, cui amœnitatem natura, venerationem Præsidis Virginis cultus, tribuunt. Assurgit media planicie rupes, in montem leni declivitate exporrecta; in cuius iugo, Basilica, & peramplũ Cænobiũ, extructa sunt. Hîc religiosæ Paulinorum Eremitarum familiæ asservatur, Immaculatissimæ Virginis MARIÆ Imago, celebris miraculorum numero, & qualitate, per indigenas, advenasq;. Artificem operis, Divum Lucam Evangelistam perhibent; qui, notos DEI-paræ vultus, adæquatis coloribus ac lineamentis imitatus, grande vertentibus sæculis beneficium reliquit. Sustinen-

1649.

1649. ſtinendæ Iconi, non linum laminavè delecta, ſed ſolidæ tabulæ colores ſuperinducti; quæ eadem, ex cupreſsinis cõpacta aſſeribus, ſpeciem menſæ oſtendit. Hîc Numen, per Almam *Matrem* miranda præſtat; ac, in continuis cæli favoribus, dum Omnipotentiã ſuam mortalibus demonſtrat, non inefficax Genitricis apud ſe, aſſerit patrocinium. Loco in iſto, quæ dextera Eius operatur, ſublimi & ſoli Creatori competenti modo fiunt, qualia triplici nota, velut Lydio lapide, à vanis, Theologi diſtinguunt; nempè magnitudine, fide, & fine. Non hîc, deportatæ in cribro aquæ præſtigiũ, aut diſciſsã novaculâ cotem, & quæ minuta alia tactis ſuperſtitione animis miramur. Sed, dum reviviſcunt mortui, ſanantur ægri, cæci vident, claudi ambulant; tum innumera, quæ per collum iſtud, à Capite Chriſto, in fideles larga manu diffunduntur, pro miraculis accipimꝰ. Hîc, quicunq; cum fide recurrit, in precibus ſuffragium, in ſuffragio beneficium, in beneficio, Deum agnoſcit. Qui per hanc *Theotocon*, quam iure merito *Beatam dicunt omnes generationes. Facit magna, Qui potens eſt.* Inibi Rex, votis ritè conceptis, Numini, à quo, & per quem omnia, ſupplicavit. Probè & ſapienter, ô Dominatores terræ, accepta datori referre; non ignari tollere poſſe qui tribuit, & deprimere qui erexit.

Loco ſacro ſolvens Rex, rigente paſsim bruma, traharũ vectabulo, Cracoviam venit; in ſuburbano Vrbis deſtinatam ingreſſus diem operiens. Quæ, vbi illuxit; Proceres, Equeſtres, plebs, agminatim prodibant; & vniverſa in officium fauſtæ introductionis effundebatur Polonia. Diſtinguebat Ordines, amictus formâ, coloreq;: Præſulibus ſacræ Togæ, Senatoribus Romanum in morem laticlavia; iunioribus prætextæ; aliaq; veſtium vocabula, quas gens noſtra, abuſum propè, excogitat, & mutat. Rex teſtando mærori pulla rectus, vivacibus alacer oculis, inſigni cãtherio, qui & ipſe atricolor erat, vehebatur. Non ignarus is ſeſſoris, exercitato greſſu ad numeros ivit, motu habenarum

rum verſatilis, & tacito inſtinctu Maieſtatem geſtare oſtendens. 1649. In anteceſſum prægrediebatur levioris armaturæ miles, ſub vexillis novem; ſuccedebant ſeptem denſatis Ordinibus peditum phalanges, ſuis quæq; Ducibus, ac ſignis, diſtinctæ. Poſt has XIV Haſtatorum (Huſſar:) cohortes, virorum armorumq; nucleus, nec immeritò Legio fulminatrix dicenda. Tum, vt quiſq; ſplendidior Eques, ante-ambulorum agmini, ſe ſe oſtentandi ergo ingerebat. Vbi ad Divi Floriani, Tutelaris Regni Patroni, Ædem ventum, Vniverſitas Academica: mox, ad cognominem Portam, Cives Vrbis, intróèuntem Regem compta panegyri ſalutavêre. Portæ veſtibulum, eruditi Magiſtratûs polities, in tempus ingenioſis ornaverat picturis; ex ijſdem, à ſex Conſulibꝰ prælata vmbella Regi, ſub quo inviſo aſpecturis involucro, nõ vsq; adeo Maieſtas videri, & aſpici potuit. Tunc mirum dictu, quanto effuſæ in ſpectaculum multitudinis incurſu, oppletæ viæ, iam planè inviæ erant; compita, plateæ, imò tecta, ſub pondere concurrentium laborabant: proiecturæ ædium, compluvia, fumorum emiſſaria infeſſa: eratq; inter curioſos audaci temeritati locus, vt eſſet ſpectaculo. Ad ingreſſum fori, aſſurgebat Arcus triumphalis, multo emblematum acumine, in cuius ſummitate Regina Avium, vetuſtus Sarmatiæ character, inclinato in reverentiam capite pennisq;, intróèuntem Principem adoravit. Vltra, ad Caſtrenſis plateæ orificium, exſtabat alter; in quo itidem præceſſorum Regum effigies, adſcriptis elogijs cernebantur; acſi, redivivi illi, optato ſucceſſoris ingreſſui, adeſſe & applaudere cenſerentur. Iſthàc, in Arcem Arcium itum, in cuiꝰ extimæ Portæ limine, à ſatellitio ſubmouente turbam, præciſa curioſis ſpectandi licentia eſt. Hîc, Arcis Præfectus Georgius Lubomirius, quo nomine Generalis Minoris Poloniæ audit, ſervatum illæſè fidei Depoſitum, authori ſuo conſignat: præ foribus item Cathedralis Baſilicæ, Petrus Gembiciꝰ Antiſtes loci, Clero ſuo circumfuſꝰ, fauſtis cum apprecationibus ſalutat; Demum Rupellam Lubomirſki. Gembicki.

1649. (ſeu Skałkam) celebrem nece D. Staniſlai Martyris locum, viſitavit Rex; viditq́; à Regia manu, innocuè fuſi cruoris Paſtoralis, rubentia in hanc diem veſtigia.

Poſtridiè, VLADISLAO Magno iuſta perſolvuntur. Videre erat miram metamorphoſim, abdicata heſterna ovantium imagine, cunctis pullam veſtem indutis. Quò namq́; charior populis, aut illuſtrior victorijs Princeps, eò magis dolori, tanquam exolvendo debito indulgere libebat. Devecta octijugis vrna, eodem quo pridie populi concurſu, cui perinde læta ac triſtia ſpectandi, eadem curioſitas eſt. Præibant artificũ collegia, poſt, Religioſæ familiæ omnes; tum Academica cum Profeſſoribus iuventus, Antiſtites dein cum Clero, ſupremo omnes in Principem officio fungebantur. Ante feretrum equitabant ſigniferi, quiſq; Provinciæ ſuæ Vexilla deferentes. Mœſtum viſu anteactorum contemplatione, dum victrices Aquilæ, nuper bellantem Regem comitatæ, ad ſui Victoris exequias properarẽt. Vbi verò in Baſilica Arcis, D. Venceſlao Sacra, loculus Sepulchro infertur; confeſtim, vtriusq́; gentis Mareſchalci, virgas moderatrices; Cancellarij, ſigilla; Ærario Præfecti, Claves; officij ſui inſignia, concutiunt: & quæ alia recepta funerandis Regibus ſolennia, peraguntur. Quæ tum ſepulchralis, Regum feliciſsimo Epigraphe, in paginam reſcribo, vindicandæ ab oblivione memoriæ.

VLADISLAVS IV.

Poloniæ Sueciæq́; REX.

Poſt Faſtum Aſiæ depreſſum,
Repreſſam Moſchuæ perfidiam,
Domitam fortunatæ tunc Sueciæ ferociam,
Proſtratam latrocinantis Tauricæ inſolentiam,
Reſtitutam fertilitati Pacis Poloniam.
Poſt
Peracta brevi annorum, armorumq́; compendio
Magno

Magnorum ſæculorum bella
Cùm
Toto in Orbe ſibi feciſſet monumentum
Hîc ſuis cineribus fecit.
Obijt Mereczij Ærâ Chriſtianâ M. DC. XL. VIII.
XIII. Kalendas Iunias.
Ætatis LIII.
Hic iacet occluſus, parva REX Magnus in Vrna,
Olim cui fuerunt, vix tria regna ſatis;
VLADISLAI *Quarti: nomen ſi inſcripſeris, horret*
Moſchus, Turca timet, cætera turba gemit.

1649.

Credunt pleriq́; Phœnicem, ex cineribus cremati Patris renaſci. Nihil Regum Poloniæ inaugurationi ſimilius, dum vno tumulato, in ſolium ſuccedentis alterius, fit ſublimatio. Abdicatur ſtatim cum pulla veſte, omne mæroris veſtigium; & in publicam lætitiam ſummo ſtudio apparatuq́;, vniverſum Regnum ſe ſe componit. Rex, ſacro ſolenni intereſt, regali ornatu conſpicuus; qui, vbi ſolito ritu, Panem & vinum altari intulerat, admoto Evangeliorum volumine fidem aſtringit; in hæc præcipua. Ex præſcripto legum ſe regnaturum; Catholico Romanæ fidei tutelã; adminiſtrandæ Iuſtitiæ curam; omninò, conſervandæ libertati ſtudium; ſacroſanctè ſervaturum adpromittens. Tum operâ Primatis Regni, cui munus coronandi incumbit, Sacro Chriſmate vnctus, ac Diademate redimitus, ſoliũ Regale aſcendit. Hæc vbi peracta, feſtivi plauſus intra Baſilicam perſonant, extra pulſatæ Templorum campanæ, ſimulq́; machinæ explosæ, Regis iam Coronati, vltra Vrbis mœnia nuncios agunt. Finit epulo dies, legatis externorum ex invitatione, Polonis ex debito adeſſe ducentibus.

Poſtridiè deferendæ Civium Metropoleos fidelitati impenſum. Vetus hic comitatis Regum mos, vt cùm Proceribus in Senatu, Equeſtribus in campo, populo quoq́; in foro, Maieſtas ſe oſtendat, communicetq́;. In fronte ampliſsi-

1649. plisimæ *Pannariorum* ædis, theatrum prægrandes sustinebant substructiones, in quod ascensus erat per gradus, pinnis suggestu circumquaq; cancellato. Erecti solij verticẽ, purpurea vmbella multo serico pensilis inumbrabat; cùm omne subtùs pedes tabulatum panno coccineo sterneretur. Adulta die, ab arce descendebat Eques Rex, Coronam Duce Zassaviæ Dominico, Sandomirienſi; Hieremiâ Wisniovecio Rusiæ, pomum; Nicolao Abramovicio Trocẽnſi Palatinis Sceptrum: Alexandro Koniecpolio Vexillum Regni: Micháèle Zebrzydovio, qui sacer est, ensem; ex officio deferentibus. Iterum ea, quæ pridie condensatæ multitudinis pervicacia, occurrebat; non quemquam ætas, non sexus cõtinuit, quominꝰ cuncti oculos, intenderẽt in Maiestatem: multos traxit videndi curiositas; vulgum alliciebant sparsi à Quæstoribus nummi, gratisimum liberali dispensatione xenium. Continebat numisma, imprẽssum seræ characterem, quæ non clavis beneficio, sed reductis per circulos literarum notis, reserari solet, addito lemmate. *Compactum est desuper.* Recumbentem in throno Regem, admissus in conspectum Magistratus humillimè salutavit, in præsens obsequiũ, ac constantem in extrema fidem spondes, aureas in pelui faberrima claves, offerẽdo hierogliphico verba supplebat Dum laudatur constantia, aut in futurum gratia adpromittitur, subrepens nox quò obscurior, eò misilibus ignibus clariùs nictabat; dum sursum iactæ è pyrobolis flammæ, cadentes stellas referunt. Mira hæc talium rudibus, & plerisq; improvidè curiosis intra vestium, aut crumenarum iacturam, stetit spectaculum: siquidem, quo nocturnæ tranquillitati consuleretur, designatæ militum Centuriæ, forum vicosq; circuibant, serâ nocte commeantibus tutum digressum reddituræ. Factum dehinc, vt qui arcessendis spoliatoribus destinati, turbarum ipsi autores forent, & inferrent vim, prohibituri; audaciam obscuro tenebrarum irritante. Fortè sub primum conticinium, minister triclinij, Mareschalci Kazanovij ad hospitium remeabat,

Abramowicz Koniecpolski. Zebrzydowski.

1649. bat, cùm à globo Satellitum interceptus, in prædam rapitur. A natura implicito linguæ vinculo erat, nec immeritum casum deprecari, vel cuiusnam esset effari, aut suppetiatum conclamare, mutus potuit; qui dum discingitur vestibus, (& hæ argento facto variegatæ erant) latrones amplexatus, gypso ad manum apponit spoliantibus notas, designatq; authores prædæ, non nisi in crastinum valituræ. Sequens dies prodidit asterisis notatos, vnde liquidâ probatione, res suas mutus, in integro restitutas habuit. Adeo nihil est, quod de naturæ malignitate queramur; rependit illa ademptam loquellam, intellectûs sagacitate; pensat acumine ingenij, oculorum imbecillitatem, permutat auriũ vitium, æquivalente talento: &, si in aliquo requisito detrahit, eadem provida dispensatrix, extraordinaria qualitate compensat.

Dehinc Comitia cœpêre, vbi primùm de auspicata Regis Coronatione, transmissa sunt per vniversum Regnum denunciatoria programmata. Ordo quin etiam Equestris, nonnihil in deligendo Collegij sui Directore moratus, tãdem in Franciscum Dubravium Præmislienſem Succamerarium consensit, non magis in civilibus prudentem, quàm probum. Proderat, quod vir pacatus, extra curas præsentis belli, se se rationibus militiæ non implicuerat. Altùm quippè impressa manebat ignominia Ordinibus, ex perperam administratâ ad Pilawcos expeditione, cuius reddendas rationes, effictim poscebant multi è Nunciorum Collegio. Acta res, vt nova solent. magno animorum motu, multis vindicandam exemplari pœna infamiam gentis vrgentibus; cùm alij non immemores notabilis in Convocatione controversiæ, instituta lite in causas belli inquirendum censerent. Disidium id propè iacturam Comitiorum erat: nisi ratio temporis, & periculosa in potentes reos severitas; ipse deniq; Rex, magnum habiturus ex clementia ad famam argumentum, vt tali proposito decederent, per submissos suadendo perfeciſſet. Redarguto nimiæ

Dubrawski Succam. Præmisl.

1649. miæ libertatis Radzieiovio Łomzenſe Præfecto; qui, ex Triumviris vni tranſacta excuſanti, adulterinam relationem obiectaverat. Adeo, in hac libertatis arena, temperamento caremus, iam linguæ violentiâ impotentes ad vſq; licentiâ; quandoq; ad ſervilitatis probrum obtorpeſcimus. Ad propoſitum conſultandorum thema, quo pertinentia tantùm, ad defenſionem Patriæ Rex tractari volebat: ægrè compoſitâ animorum procellâ, convenit in ea capita. Quarciana militia, ad antiquum numerum & normam reduceretur; armorum exercitio & diſciplinâ, in ſpecimen tyronibus. Exercitui ad XXX. Mill: reducendo, imperati novi delect⁹; permiſſa provincijs optione; vt quibus inautoratus præſto miles adeſſet, quantocius in Caſtra mitteretur; quæ mallēt, pecuniam ærario ad conducendum inferrent. Quibus in exolutionem ſtipendij copijs, decies terna Fumalis Exactio ſancita. Super hæc, ob caſum, decreta Generalis Expeditio, (Publicam motionem vocant) quæ Regij arbitrij facta eſt. Rex namq; Edicta Evocatoria, *Literas Reſtium* emittit, quibus quotquot prærogativâ ſtatus Equeſtris gaudent, parere neceſſum. Namq; intermiſiſſe militiam Viro Nobili, non probro tantum datur, ſed iure caduco patrimonio cadit, & honore. Præfectura armorum cui committeretur, diu in ſuſpenſo habita. Wiſniovecio traditam ſub Electione memoravi; etiam tum omnium calculo, ex parto celebri per arma nomine, ei muneri deſtinabatur: aſt, pervicere ſimultates, aut veriùs ſummam tenentis Aulici ſuffragium, vt Andreas Firleius Caſtellanus Belzenſis, anteiret; ex ratione ætatis potior habitus: ſeu, quod Cancellario Magno ſanguinis vinculo obnoxius. Additi collegæ, Staniſlaus Landzkoronius Camenecenſis Caſtellanus, ac Nicolaus Oſtrorogius Pocillator Regni; qui, compari prærogativa, Triumviratum regundi exercitus, inter ſe partirentur. Ita rum finita Comitia: in quibus, Samuel Laſcius Excubiarum Regni Præfectus, ingenio in iocos æquè ac ſeria ambidextro, extremum diem obijt. Militiam acriter exercuit, laxius

Radzieiowſki Præfect. Łomzen

Firley Caſtellã Belzenſ.

Landzkoronſki Caſt. Camen.

Oſtrorog Pocillator Regni.

Łaſzcz.

xius vitam, qui alumnorum Martis, familiaris nævus. Multâ ille, etſi tenui patrimonio, circumpedum catervâ ſtipabatur; quandoq; vt profunderet, ex alieno largus. Amœnitatem ingenij erat in quo requireres; memorabili in iocum facto, dum ex ſcriptis Bannorum, in ſe iudicialiter latorum paginis, (*Extractus vocant*) ſubſuta veſte, in conſpectu Regis comparuit; cunctis novitatem inſueti cultûs mirantibus. Extrema vitæ, non ſine ſignis Chriſtianæ pietatis fuêre; tumulum ad Sanctum Stephanum Sortitus Cracoviæ. Subnecto caſum, qui tunc ſub Comitijs acciderat. Adhæret Cracovienſi Regiæ, angulare Palatij auctarium, vnde in ſubiecta proſpectus; Galli-pes, ſeu *Kurza ſtopa*, dictum, ignota vocabuli derivatione. Hìc, ſine curâ habitus ignis, facilem concipiendæ flammæ materiam nactus, ac ſubitò, pro natura elementi per ligneas contignationes evolutus, ſumma ædium corripuerat. Exitiabilis fulgor, longè latèq; per obſcurum noctis reſplendens, atroci horrore ſemiſomnes mortales conſternaverat: ac, vt repentino in diſcrimine fit, etiam qui diſsiti loco, alieno in periculo trepidātibus. Proximo in conclavi, Rex, alto ſe commiſerat ſomno, cum ſubita periculi imagine experrectus, quotquot è Contubernalibus aderant, in reſtinguendum ignem provocavit. Nonniſi tamen abſumpto ædis faſtigio ſæviente flamma; cùm & nox modico vento haud tempeſtuoſa eſſet, ac pervigili Excubitorum accurſu, citius ipſa paventium conſternatione incendium ſopiretur. Hinc, multa Sciolis diſertandi materies, ex acri Elementi naturâ argumentantibus; vt corruptrix flamma, peſſundet omnia; ita, ſimiles eventus portendi, ex natura portēdētis. Caſum, alij, in melius torquebant. Ignem Regis hierogliphicum eſſe, qui vrat hoſtes, amicis ſubditisq; impertiatur calorem: ac, quod nunquam otioſus aut languens ſit viuidum; ac indefeſſum agendi Principem præmonſtrare. Arſiſſe eandem Regiæ partem, ſub natalem VLADISLAI IV. idq; invicti Principis non falſum præſagium fuiſſe; abſumptumq; ſcandulare te.

Piaſecij

re tectum, mox æreis laminis in vſum diuturniorem con-
1649. ſtratum; nunc, ſublato flammâ ære, bracteis è ſolido argẽto integendum.

Inter honeſta ludorum oblectamenta, Rex, Carnispriuij vt vocant reſiduo Cracoviæ tranſacto, Varſaviam properè ivit: Moſchi Legatum illùc, qui ad Comitia venire tardaverat, excepturus. Verior cauſa ſuberat, quo ante inſtans bellum, pridem deſtinato matrimonio Ludovicæ Reginæ iungeretur. Illa quippê valetudine impedita, neq; Vladiſlai funeri, neq; Caſimiri Coronationi, interfuerat: Varſaviæ interim commorata. Vbi Rex venit, non diu laborandum erat, in condicendis eius matrimonij legibus; conciliatore Carolo Fratre, muſſantibus nonnullis, approbantibus cun-
de Torres. ctis. Præſertim, cùm per Ioannem Torreſium Adrinopolitanum Præſulem, Bulla diſpenſatoria ab Innocentio X. Pont: Max: in id rei exhiberetur. Ludovica Maria Gonzagea è ſtirpe, Caroli Niverniæ ac Retellorum Ducis filia, elato ſupremis funeris Vladiſlao marito, dignis regali toro qualitatibus, nec indecora affinitate, ſe ſe monſtrabat. Clarum quippè inter Italos Gallosq;, Gonzagarum nomen, ex multa inter Principes Europæos cognatione, ab aliquot ſæculis manet. Ac, nè quid claritudini deeſſet, Paleologæ ſtirpis, penes quam exacto ſæculo Orientis imperium, ſtemma præferunt. Ad hæc, pares generi, animi dotes, expeditum ingenium, in curas viriles compoſita mens; & dum formâ ac vultu inſignis habetur, nihil præter ſpeciem muliebre. Poſtquam conſtitit Principem ita velle; omnes certatim ſubſcribebant. Votis quippè Regijs accedere viſa, ratio publici, neù exdotatio viduæ, opimas Præfecturarum hypotecæ nomine poſſidentis, affligeret ærarium: neù per potiores Europæ domos, quæſita alia; rationem temporis, ac talamum Principis, officioſa cunctatione moraretur. Diſſerebant Aulici *dato inveniendam? placiturane ea Principi? Probaturanè Reſpublica? præſertim ſi non de pari Regio faſtigio torus, aut diſcordante religionis ſenſu, incongruum diſpliceat*

ceat conſortium. Legationib⁹ interim trahi tempus ac ſumptus; 1649.
intentumq; Hymænei facibus Regem, à curis & meditatione belli avocandum. Mariam Ludovicam, vividâ iuventâ, eorundẽ ſacrorum, ſperatæ fœcunditatis, ac ijſdem in penatibus eſſe; quã tolerabilius ſit Regno habere, quàm quæſijſſe. Aſt, vetita Canonũ reſcriptis in Fratrum vxores coniugia? vetari quidem, ſed quoties regnorum incolumitati, conducit; Vicarij Chriſti autoritate permitti, ac rata haberi. Ita Emanuel Luſitaniæ, Alexandri VI. Pont: Max: permiſſu, defunctæ vxori ſororem germanam: Henricus VIII. Angliæ, Arturi Fratris relictam, Iulio II. approbante ſuperinduxerant. Aut, ſi domeſtico & recẽti exemplo opus; paternum Sigiſmundi III. ſufficit, binas ſorores coniugio ſibi iungentis. Hactenus ſueti diſcurſus. Certabat quisq; placendi artibus; quia nihil in Aula, quàm fingere faciliùs. Ea matrimonij ſtipulatio, vltimis Martij inter contrahentes trãſacta; nuptijs ob ægritudinem Reginæ dilatis, donec adulto Maio, qui hilaritatis menſis eſt copularentur: cum tamen Romæ contrahendis nuptijs Maius, planè inauſpicatus antiquitùs cenſeretur.

At Chmielnicius, Kijoviam veterem Ducum Ruſsiæ ſedem ingreſſus; nihil minus, quàm ad priſtinum ſtatum, & obſequium redire agitavit: hîc aſpici, & frui præſentibus viſum. Ingreſſus fuit, qualis victorum in triumpho ſolet, dum ſuperbo equo vectus, quos ſpiritus in bello geſsiſſet, vultu referebat. Adequitabant Tribuni, multo auro ſplendidi, pretium victoriæ popularibus oſtentando. Circũlata rapta de noſtris ſigna, tormenta, conopæa, aliaq; martia ſupellex; exiſtimationi ſuæ, & opprobrio Polono augẽdis. Exinde latè effuſa plebs, plaudens & ovans, inſolito nimiùm quàm ſpectaculo fruebatur. Prodibant obviam atrata ſacrificulorum agmina, excipiebant Gymnaſiarchæ. (nam hîc iuventus Græcis literis imbuitur) præmeditata panegyri, vt Roxolanæ gentis Moſem, vt aſſertorem religionis, ſalutando. Et craſſa adulatione, congerebantur in rebellem Macchabæorum decora. Ita à popularibus exce-

ptum, inflat ſpe adpromiſsi à Turca patrocinij, Dzedzały
1649. à Porta Ottomanica redux. Diſtendunt typhum, Moſchi, Tranſilvaniq́; Legati, etiam vtriusq́; Daciæ Regulorum, gratantes & in aſſentationem effuſi. Conducibili inter potentes vicinos conſtitutis arcano; vt cuiuſuis exambiant amicitiam, armis prævalentis ſequantur fortunam. Hoc philtro Chmielnicius emotâ mente, non pro Bohdano agebat. Vbi in delubris, per imitamenta pietatis, ante altaria cernuus; Clerum in ſpeciem venerans; in ornatum templorum ſuperflua periſtomata tranſcribens: vbi domi, inter commenſalium greges, ariolos ſuper futuris ſcrutari; ſagarum præſtigijs totum ſe dare; & cuncta bacchanalibus, quàm ſobrijs conſilijs propiora, agere. Commiſereri, indulgere, palinodiam ad vsq́; ementitas lachrymas canere; poſt indignari, furere; &, aut ſævire ipſe, aut atrocia mandare. Prothæo mutabilior, aliquando patens omnibus; nũc auſterus, & conſpectu arcens: modò immodicè blandus, mox pœnitenda præcipiens. Cùm ex omnibus quæcunq́; iuſsiſſet feciſſetvè, plauſus vulgi, & publica lætitia ſequeretur. Hæc, Kijovia prima vidit, & mirata eſt: quæ florentibus Principum Ruſsiæ rebus, Metropolis gentis, ante Leopolim habebatur; proſperis ipſa ſuis, vel cladibus famoſa. Olim vrbis cum præmijs amplitudinem, ſeptem dierum, circuitu conſtitiſſe, Annales tradunt: nunc, maceries tantũ, & rudera, antiquæ magnitudinis veſtigia oſtendunt. Adiacent Cænobio Zophiæ, Dynaſtarum gentis *Sepulchretaq́*; prout quemq́; heroica virtus, vel vitæ integræ actæ opinio, in cultum ſuperſtitioſæ poſteritati inſinuavit. Anguſtum
Pieczary. intra ſpecum veſtibulum ducit; ex quo, in ima progreſſus, declivi gradu. Tetra intùs ſolitudo ſpirantibus auris; ac, qui introeunt, attentè cuſtodiendæ faces ſunt, ne vento extinguantur; nam, ex labiryntho illo, filum Ariadnes non educit. Miranda ſanè cryptoporticus, in flexuoſos anfractus ſinuatur; operis fornicem, ipſa fabricante naturâ: qui multi ævi patiens, nullum vitium, aut ruinam, à tot ſæculis

culis minatur. Illùc videre eſt, per obvios calles recubantia humana cadavera, pleraq́; integro vultu, & nuſquam 1649.
vetuſtate adeſis; niſi fuſcaret nigredo, corporum artubus. Aſcetræ loci monſtrant iſta, & dum ignota miramur, frivolis narrationibus onerant exquirentium credulitatem.

Bellum interea, acſi inſecta, quæ per hyemem intermori ſolent, torpebat. Cùm Smiarovius Regis ad latus Chmielnicij Internuncius, pacem componi poſſe identidem ſcriptitaret; ſimulatione deluſus: aut quia vera promere periculoſum ſibi (prout evenit) arbitraretur. Equidem Rex, haud expectato Coronationis actu, præmiſerat Kiſielium, Bracłavienſem Palatinum, componendis in nomen ſuum Vkraynæ motibus. Ivêre ſimul additi Palatino collegæ, ſub nomine *Commiſſariorum*, Albertus Miaſkovius Leopolienſis Succamerarius; Gregorius Kiſielius Novogrodenſis Miaſkowſki. Vexillifer; ac Iacobus Zelinſki Bracłavienſis Pocillator; qui, Kiſiel. Zelinſki. adulto Ianuario, Kijoviam, locũ colloquio per literas Bohdani deſtinatum, mox Pereaſłaviam evocati perrexêre: primò non inhonorè accepti, & multa grati adventus in ſpeciem teſtificatione. Aſt, dum ſuper enuntiandis quæ adferrẽt, admiſsionem requirunt, locum in publico foro præſcripſit: haud capacia ædium conclavia cauſatus: revera, vt vulgo ſimulq́; externis, dignationem ſuam iactaret. Commoverat magnanimos viros rei indignitas; niſi Palatinus mulcẽdam ferociam dictitans, vix perſuaſibiles Collegas eo inclinaſſet; vt de loco nihil ambigentes, tractando negotio accederent. Offerebantur primo loco dona; Vexillum Regio nomine inſcriptum: Clava, commiſsi Præſidatûs Zaporoviani inſigne; cum diplomate in eam rem authentico: adijciebatur tranſactorum amneſtia; Regis favores; aliaq́; ex vſu præſenti: Palatino, vt erat raræ facundiæ, dona verbis cumulante. Qui dum in rem verba facit, multitudo in concionem vocata, adeo inconditis clamoribus infremuerat, vt nec Oratori finiendi, nec Duci ſuo reſpondendi vices deferre pateretur. Oggerebat maximè Dzedzały. *Quid*

1649. *vos* Lachi (inquit) *ſub hoc crepundiorum fuco, nobis frænum imponere ſatagitis? vt admiſſo inconſideratè iugo, inexcuſſum poſthac ſeſſorem patiamur. Faceſſant iſta melle delibuta dulciaria, armis non verbis agere expedit; habetote Poloniam vobis, Vkrayna Coſacorum eſto!* Egrè dein fremitu ſedato, quæſtus nonnihil Dux præreptam ſibi reſpondendi neceſsitatẽ; de clementia Regis indubitanter; de erratis Coſacorũ modicè ac velut excuſando, pro pace ambiguè diſſeruit: quominus eo in negotio aliquid certi ſtatueret; Tribunorum cauſatus abſentiam: nam, prout pleno Comitio Commiſſarij mitterentur, ita ad ſummam pacis conducere; vt, quæ afferant, vniverſis Coſacorum legionibus exponerent. Reſponſum certè, in rem præſentem atrox, & velut ab inſultante ludibrium. Pœnituit tandem præcipitanter collatorum donorum; magna ſpe vt aſſolet, cum bono eventu, haud congruente. Accedebat indignæ tractationi, quòd Cõmiſſariorum hoſpitia diſtinctim attributa, circumſtarent exploratores, probra ac ſcommata ingerentes: famulitij transfugia, præcipuè Iarmoſovicij cuiuſdam, qui Palatino ab epiſtolis, eoq; arcanorum conſcius, non ſine diſcrimine Herum deſeruerat. Exacto ita ſemeſtri, compellatur Wyhovius ſpecie obſequij rerum arbiter; vt, ſi in pacem leges diſplicerent, ſaltem honeſta miſsio *Commiſſarijs* tribueretur. Diu is nihil agere viſus, quoad tandem vt advaledicendum, Ducem adirent effeciſſet. Vbi congreſsi, hîc Miaſkovius ingenuè. *Quid ita Dux Zaporoſcenſium nullo reſponſo, grandi temporis iacturâ, detineret Reip: Commiſſarios?* (quæſivit,) *ſeu pax diſplicet, ſeu bellum denuntiandum eſt expediendos; vel quòd etiam apud Barbaros nefas, indebito manciparet carceri?* Quâ inſperatâ quæſtione pulſatus, ſtetit immotus diu, & ſilens, donec velut emerſo ab admiratione animo, ſublatam ex menſa ſchædam, Palatino porrigeret, eiuſmodi capitum.

Puncta-

In gratiam Sereniſſimi Regis.

1649.

Nomen, memoria, & veſtigium Vnionis, *qua latè Ruſſia patet, non eſto.*

Romanæ Religionis templa pro tempore exiſtentia ſunto, ſoli PP. Soc: JESV exeſto.

Metropolitanus Kijovienſis, ponè Primatem, in Senatu Regni, locum habeto.

Ruſſiæ dignitates Palatinæ, Caſtellanæ, aliæq;: ritus Græci Terrigenis tribuitor.

Exercitum Zaporoſcenſem, auctâ per omnem Vkraynam militiâ, libertati priſtinæ reſtituitor.

Coſacorum Dux, à ſuprema autoritate, id eſt Sac: Reg: Maieſt. dependentiam habeto.

Gens Iudaica, in omni Ruſſia ne compareto.

Hieremiæ Wiſniovecio regimen Exercitùs, ne mandato.

Quæ ſi acceptata, & ex fide præſtita fuerint, vniverſalem pacem fore; tranſigenda mox circa Pentecoſten Commiſſione, concludendâ. Hæc ille author & arbiter paciſcendi.

Quâ fortunæ ludibria?

Feſſos heri duxit boves,
Dat magnis hodie iura Quiritibus.

Legit contractis humeris Palatinus ſcriptum, ac altum ſuſpirans, Collegis legendum tranſmittit; quibus mutuo ſe reſpectantibus, ad Bohdanum converſus. *Non conſiderare videris futura, Dux Zaporoſcenſis, præſentium obventu, ac tuo, vel noſtro Fato occæcatus, fortunam tantummodo reſpicis? quæ cui ancillatur addictiùs, eo deſerit turpius; vitro perlucido ſimillima, ſed levi caſu frangendo. Crede mihi, ſi tibi militiæq; Zaporoſcenſi conſultum vis, tuæ te felicitatis ſatietas teneat, ne vnius alteriusvè prælij ſucceſſum, bello peſſundes. Deſere ambitioſa, incumbe profuturis. Nec tantiſper annitaris perditum Poloniam ire, quàm ſervare Ruſſiam. Nunquid enim diſſociatis, Polonorũ viribus, eandem quam tueri profiteris religionem, ab inſultu Turcarum, aut Scythica rabie, defendes ſolus? Mi-*

1649. *nimè? erudierunt te anteacta? nosti, quid Ottomanus, quid Scytha meditentur? Cordolium illis, deductas in Bessarabiæ campestribus colonias; oderunt in contiguo viros, & arma; nec, nisi radicitùs exstirpare Russiæ gentis nomen, satagunt. Præstitam illorum sub consociatione armorum operam, nunquid Orientalis Ecclesiæ rituum causa, susceptam reris? nunquid Cosaci nominis amplificandi studio? Fortunæ experimentum faciunt? si Poloni non successerint profligandi; in Cosacos gentem limitaneā, in Roxolanam sobolem, veteribus novisq; odij causis, vim & ferociam exerturi. Nos interim confodimur invicem, Poloni, & Cosaci, Lithuani, & Russi, ac mutuis cadentes vulneribus; vbi cognatum ferrum vtrorumq; vires exhauserit, opprimenti Barbaro faciliores prostamus. Meminisse debes, rem esse tibi cum Rege potentissimo; qui, quò nunc clementius agit, tantò mox acrius in vltionem spretæ Maiestatis insurget. Dum itaq; velut Iris è cælo, prompta erroribus indulgentia Principis, nuntiat fœdus populo suo; cohibe & tu nimiam fiduciam; reiectisq; irâ ac spe, fallacibus bellandi authoribus, oblatâ clementiâ per occasionem vtere! Si temnis, religionis gentisq; Roxolanæ excidium, tibi imputabitur!* Zelo dicentis, aut stimulante conscientiâ, illachrymâsse Chmielnicio fertur; nisi fortè simulatio suberat, eruditis in fletum quando vellet oculis. Præstolantibo dein respondit. *Modo inculpatæ tutellæ à se sumpta arma; retinenda, donec vita cum libertate steterit: aut mors servitutē præoccupet. Fortunam suspectare vt lubrica est, æquitati causæ fidere, quâ prævalet. Quantùm ad Regem, eum vti Dominū venerari: Proceres Nobilesq; odisse, & nusquam amicum semper infensis. Qui tamen, si renuntiant hostilitati sincerè, faciles in pacem leges fore: si implicant, sibi apertum bellum, dolosa tractatione tutius.* Adijciebat, vt Turcæ patrocinio firmus, vt iuratis Scytharum armis invictus, omnem deniq; vicinitatem, pro Cosacis voto, aut palam stare: insuper, OEcumenici Patriarchæ svasu & benedictione, in belli continuationem vrgeri. In eiusmodi tonitrua, modo fusus lachrymarum imber, desinebat. Cæterum, cur tam obstinatè Regiæ

giæ clementiæ illicia spreverit; constitit causam fuisse, quòd redux Constantinopoli Dzedzaly, oblata Turcæ in subiectionem cum tributo Russia pretium legationis tulerat: mandata ab Aula illa, ad Silistriæ Præsidem, vti arma viriq; quando Cosaci indiguerint, submitterentur. Patriarcham quòd attinet, non OEcumenicus ille (quem titulū, Constantinopolitani Patriarchæ perperam vsurpant) sed minor aliquis Præsul, nomine Eudoxus fuit. Qui censuris à sede sua exactus, à Moschis vbi diverterat pro lapide scandali habitus; ad Cosacos demum, talis pastor ad tales oves venerat: dignum patella operculum. Aderant homini, ætas inclinata; versatile ingenium; linguæ promptitudo; & ex characteris reverentia, autoritas. Hic Chmielnicium à Zamoscio reducem, *Illustrissimi Principis* attributo titulo, quo gnaviter concutiendæ incumberet Poloniæ, Patriarchali benedictione stimulavit: rerum ab eo gestarum magnitudinem, ad Constantini Magni encomia, indignissima comparatione extendendo. Humana ingenia sat per se gloriæ avara sunt, quid si suggestio improba, calcar in illicita addat, ac oleum affundat igni: vt fecit impostor iste. Imò suetâ Apostatis audaciâ, divinis in sacra Æde operatus; Chmielnicium, non petentem, neq; pœnitentem, imò nedū edormitâ crapulâ, ab omnibus conscientiæ nævis, patratis, seu patrandis, abusus Sacerdotij clavibus, absolvit: ac, renuenti, panem Mysticum porrexit. Insuper, eundem, cum abducta Czaplicij vxore, etiam tum absente, verbis ritè conceptis, matrimonij vinculo copulavit. Hæc palam Pereaslaviæ, Commissarijs Reip: præsentibus; Moschi Legato, viro gravi, adstante: circumfusis passim Cosacis, & plaudentibus. 1649.

Abituri Commissarij duo in gratiam Regis, à Chmielnicio præstanda requisiêre. Primò quidem, vt describeretur linea, neutri parti ad exercendam hostilitatem transgressibilis; quâ, velut constituto limite, Polonorum æq; ac Cosacorum legiones, immotæ subsisterent. Tum, vt Captivos

ergastu-

1649. ergaſtulis ſolveret; non alio magis ſpecimine, quàm ſi Concives dimittit; fidem ſuam Reipub: probaturus. Ij erant, Koniecpolski. Koniecpolius, Potocki Potocius, Czarnieçki. Czarniecius, Grodzicius, alijque, Grodzicki. quos anteactis prælijs interceptos, ſervili carcere detinebat. Et primum quidem, haud gravatim concedere viſus; pro eliberandis captivis, preces omninô aſpernabatur. Ad quẽ iterum Miaſkovius. *Captivos dimittere, quæ Chriſtianis pietas eſt, ea Barbaris humanitas vocatur; nec vllam adeo efferam gentem reperias, quæ eiuſmodi beneficium neget: vt quandoq; recipiat. Se, in Turcia legato, ab Himbraimo Imperatore captivorum, permultos, non ex triremium ſolummodo tranſtris, ſed, ex ipſis Palatij penetralibus, in gratiam Regis Vladiſlai dimiſſos eduxiſſe: Regem quoq; pari amicitiæ teſſerâ, cum Turcâ certâſſe. Nunc, à ſubdito, eoq; recentibus Regis beneficijs obruto, Cives interceptos detineri; non indignum modò, ſed nefas eſſe. Quos, ſi omnem humanitatis ſenſum pectore excluſit, vel in gratiam Regis dimittendos moretur, lytro ſaltem in anteceſſum exolvendo, liberari patiatur.* Ad quæ ille. Fruſtra diſpendiũ verborum fieri, abitum concedi hoſpitibus, captivis vincula ſubeunda; Commiſsionem deinceps ad Ruſſavã, ita inCzaplicki. ſtituendam, ſi prius Czaplicius deditur ſibi; quo: niſi ſubducto fomite, flammam belli extingui non poſſe. Ita tum Commiſsio illa, primò intuitu facilis, tractatu dura, eventu triſtis, finem propè contumeliam habuit. Reperio in Cõmentarijs, eo vsq; ſolertem Palatinum; vt Eraſmum Czarnotam, in ſpem Præfidatus Zaporoſcenſis erigeret; ſi conſilia belli foventem, & tegentem Chmielnicium, quâ in vulgus valuit popularitate, ſubrueret. Cùm palam eſſet, animo violentum Czarnotam, nec Bohdano in ſummam fidũ, nec Polonis vndecunq; amicum: vndè plus ſpei, illùc animum converſurum. Caruiſſe ſucceſſu molimen, eventq oſtendit; imò quod tentatus Czarnota, conſilium non prodiderat, ſalutare Commiſſarijs fuit. Enimverò, nihil nõ tentatum à Republica procurandæ paci; nihil omiſſum à Rege, quominùs proſpiceret ſanguini ſubditorum. Aſt repudiant

diant illi favores Regis, contemptui habent, immenſum pa- 1649.
candæ Patriæ zelum, rebellionis chorago, depreſſo & humili loco ſe ſtare opinante, niſi ſupra Cives & Remp: temerarium caput extuliſſet. Improbæ temeritatis cauſam, illi plebs imputavit, ille plebi.

Regredientibus Commiſſarijs iam vbiq; claſsicum inſonabat, vniverſa tumultu perſtrepẽte Ruſsia Haraſko. Oſtrogiã invaſam diripuerat; Poleſiam Krzywonoſs9 iunior, populabatur; Podoliam quà ſubmontanus tractus, plebs ſeditioſa ſub varijs ducibus concutiebat. Samuelẽ Coreciũ Dux Korecki. ſui ſubditi, in Fortalitio Korecenſi obſederãt; & niſi maturè convocato, quem alere mos ipſi milite, periculo ſe fortiori manu eripuiſſet ſuccumbendum fuit. Ac, quominùs ipſe Kiſielius Palatinus Huſzczæ oppido proprio ex itinere Vkraynenſi reſpirans, diſcrimini ſe ſubduceret, citis Wyhovij literis admoneri debuit. Additum ab ipſo Chmielnicio præliminare, Internuncio Regis Smiarovio, nullo probabili crimine, aut iuriſdictionis titulo, ne virili quidem morte, Smiarowski. ſubtus glaciem in aquas præcipitato. Cædis cauſa, obſcriptas Zyferarum notis literas, quibus arcana conſilia prodere inſimulatus, nec convictus: vel ſi maximè factum liqueret, incompetente contra ius gentium iudicij, ac ſupplicij forma. Vbi belli reſurgentis rumor Varſaviam perlat9, Rex Firleium citis literis admonitum, attendere rebus iuſſit; vt non vltra deſcriptam lineam inferret, neq; intrà, hoſtilitatem pateretur. Confeſtim ille contractis quæ ſparſim hybernaverant cohortibus, imminentia avertendi, conſilium, agitavit. Tardiùs quidem commeabat miles, mutatione imperij, necdum obſequio, ac diſciplina imbutus, vt ſeverioribus edictis, pœnas in pigros, niſi feſtinarent Duci decernere neceſſum fuerit. Id quippè vetus militaris imperij arcanum, percommodo rigore, aut notabili clementia, regiminis primordia initiâre; cùm remiſſo Duci authoritas decedat, auſtero per omnia obediat miles. Landzkoronius Triumvirorum alter, quidquid turbarum

1649. circa montana Podoliæ impigrè repurgârat, plus vltra aufurus in ſeditioſos, niſi invitatorijs Collegarum literis, ad corpus Exercitûs acciretur. Inter hæc, è re Firleio viſum, populatoribus Horynij amnis traiectu arcendis, Zaſſaviam præſidio Caſtrisq; inſidendam præripere; quam Doniec ac Taborenko rebellium anteſignani, in oculis eius invadere nitebantur. In hos ergò expedierat, donec ipſe ſigna movet, Suchodolſcium Litinenſem Præfectum cum ala Oſtrogiana, qui non longè pervectus, explorato hoſtium itinere, intra proximæ ſylvæ latebras ſuos abdit; ſupervenientes Coſacos, feſſos & imparatos aggreſſurus. Aſt, ſors tulit, vt eandem ſylvam ſtativis in noctem commodam peterent Coſaci, quorum antecurſores, in pugnam provocâtes ratus adeſſe Suchodolſcius, facilè vagos diſpulit, ac diſpallatos ad vsq; carraginem inſecutus. Ea vero ſuperabat vires expugnanda; vnde Firleius requiſitus, per noctem ſubmiſerat auxilio Kłodzinium, Koſſakovium, Rozniatovium, Strzyzovium, turmarum Præfectos, cum DCCC Sclopigeris, qui ſumma vi nec minore periculo diſrupta carragine, etſi rebelles ad meridiem ſe acriter defenderant, quoad pars in fugam pars in cædem impellerentur. Ad vnum omnes deleri potuêre, niſi Sulzence oppidum non intutum fugitivis receptaculum præbuiſſet. Septem è noſtris interempti, Kłodzinius, Leſzczynij, ac Iukovius Witovij Optiones, non leviter ſauciati. Ita diſperſo præcurſorum agmine, afferebant paſsim nuncij Chmielnicium tota virium mole adventare, quem alia atq; alia ſuorum agmina prægrederentur. Hîc in ſtatuta fuit deliberatio; vtrum Camenecum ſubire expediret, quod valido ſui munimento, omnem belli caſum ſuſtinere iudicaret? an Leopolim? vbi accurſu cohortium vires ſupplerentur. Sed obtendebat Firleius mandata Regis, omni conniſu intra Wołhyniam hoſtem ſuſtinere iubentis: pervicitq;, eo maximè intuitu, ne in obliquum latus quò Camenecum eſt, adducto Exercitu, vacuæ defenſore Provinciæ populationibus aperirentur.

Sucho-dolſki.

Kło-dzinſki. Koſſako wſki. Rozniatowſki. Strzyzowſki.

Permo-

1649. Permovebat quin etiam, ſi in meditulium Wolhyniæ deflectunt, Wyſniovecio, Koniecpolioq; (qui Firleiana imperia haud quaquam æquo animo ſubituri credebantur) in ſocietatem belli pertrahendis. Quippè Præfecturâ militaris alteri delata, non æmulum magis quam militem exaſperabat, alium Ducem quam qui pridem meruiſſet, obtrudi indignantem. Firleius præterea quia à dogmatibus Calvini, alienaverat potiores; ex diverſis cauſis contractũ odium, prætextu religionis velantes. Verum orta inter excellentes animos æmulatio, facilè imminentium conſideratione ſopiri potuit: cum Firleius in commodum tantùm Patriæ delato munere vſurus, honorificis nuncijs pertentatos Heröes, in communionem gloriæ laborisq; invitaret, officiosè promittens regimine Exercitus decedere: rurſum alter iudicio Reip:, ac ætatis ratione, dignationem illam recuſaret, moderato animorum certamine diſsidium finiebant; Wiſniovecio ac Koniecpolio cum ter Mill: veteranorum Caſtra ingreſsis.

Aderat è veſtigio *Iſlan-Gereus*, Tauricæ Princeps, immẽſas Tartarorum ſeu Scytharum, (ita namq; in contextu Hiſtoriæ vocabo) copias trahens, quæ vltra C. Mill: tunc cenſa ſunt. Præter Budziakos quippè Perecopitas, Nohajos, ac Dobrucenſes, & quæ alia ſerperaſtra in vaſtis Beſſarabiæ campis ſtabulantur; è ſemota Colchide Piatyhorcios, Czercaſsios; etiam Rumelienſium Turcarum ſex Mill: addiderat Siliſtriæ Præſes; tum licentioſa Karałaſſorum vtriusq; Moldaviæ ſigna, viſebantur. Coſaci dehinc ſupervenêre agmine prorſus innumerabili: quod tamen XVII. legionibus comprehendi cognitum. Ex his prima Czehrynenſis, ipſius Chmielnicij Prætoria. Circaſsienſem ductabat Woronczenko; Pereaſſavienſem Łoboda; Karuovienſem Kuthak; Bracławienſem Neczaius; Białocerkwianũ Hyra; Humanenſem Stepka; Corſunenſem Mrozovicius; Kalnicenſem Euſtachius; Hadziacenſem Burłaius; Mliovienſem, Łochuicenſem, Rumnenſem, Nizinenſem, Oſtren-

Han. Krymſki.

Budziaki. Perecop Nohaie Dobrucze. Piatyhorcy. Czerkieſzowie. Karałaſzy.

P 2 ſem,

1649. ſem, ſui Tribuni: conduxêre; oneroſa nedum campo, ſed & paginæ nomina. Oppidatim illi vicatimq; in turmas, nullo pretio lecti abeunt, vbi accrevit ex promiſcuâ turbâ numerus, legio componitur; cui Dux, Tribunum imponit, *Aſſawułas* id eſt legatos, ac Centuriones, ipſi ſibi ex audacia notos, deligunt. Cohortes millenis contubernalibus & ampliùs conſtant, hoc bello præſertim, quarum ſexdecim quandoq; vna legio recipiebat. Etſi in componendo legionum corpore, manipulorum ac turmarum ordo non ſervetur; quo ex pluribus aggregati, hinc ſuas phalanges æſtimant, dicuntq;. Fidem certè ſuperat numerꝰ tum præſentium, vt vltra CC. Mill: oppugnandæ Poloniæ veniſſe crederentur. Ad vniverſale quippè claſsicum, genus omne Ruthenum ſub ſigna convolaverat: vnde proſtabant exinanita viris oppida, vacua municipia, deſerti penates: carebant mappalia agricolis, artificia operarijs, domꝰ privatæ, præter ſequiorem ſexum habitatoribus; vix quēquam imbellibus annis, aut effæta virium ætate, à bello immunem reddente.

A Zaſſaviâ demum, poſt ſubitaneos congreſſus, Zbaraczium ventum; Marathonem certè, aut Thermopylas Sarmaticas: quod in tractu Woł'hyniæ ſitū, cognomini Zbaziorum familiæ appellationem indidit. Ea, bello ac pace inclyta, aliquot ſæculorum intercurſu viguit, donec in Ianuſsio Cracovienſe Caſtellano, ac Chryſtophoro Comeſtabili Regni, improvido vtriusque Fratrum cælibatu, lineæ ramus deficeret penitùs. Etſi Zbarazij hæreditas, iterum in agnatos Wiſniovecios devoluta, Dominos loci, Korybutos, in hanc diem agnoſcat. Orientem versùs, monticello Arx ſuperſtat; infernè oppidum ſitum iacet; foſſa & ligneo ſepimento circumductum. Hîc Caſtra meridiem versùs metata ſunt, ex dimenſo Chriſtophori Przyiemſcij, ob militaris OEconomiæ peritiam, armamentario Regni Præfecti. Non ſinam præcipuos legionū Turmarumq; Ductores, ea obſidione præſentes, innominatos

Zbarazki.

Przyiemſki Arm. Præfect

tos abire; quò recenſitis nominibus, excellentiſsimi argumenti ſcœna, fidem pleniùs mereatur ad poſteros: vel ſaltem irrepræmiatæ virtuti, ex perennitate famæ maneat ſolatium. Exercitus is, in quinquepartitum agmen diſtinguebatur. Primum erat Andreæ Firley Caſtellani Beł'zenſis, Trium-virorū potioris. Sub hoc merebant ipſius Prætoria, Andreas Sieracovius Campeſtris Regni Notarius, Caroli Ducis Corecij ſub Dougierdo, Marchionis Myſzkovij ſub Trzebinio, Radzieiovij Łomzenſis Præfecti N. Optionibus, Haſtatorū cohortes. Poſt hos Arquebuſeri dicti, nempè Kłodzinij, Dębinij, Pogorſcij, Pigłowſcij, Kobierzyccij, Iaſtrzebſcij, Mycielſcij, Tomicij, Skorzewſcij, ac Vnuſko, ſigna. Loricatorum turmas (alias *Panczerne Roty*) ducebant. Piaſoczynij duo, Succamerarius, ac Præfectus Nowogrodenſiū, Koſſakovi Subiudex Bracławienſis, Hulevicius Zwinogrodenſis Præfectus, Czetwertynius, Rożniatovius, Strzyzovius, ac Hołubus: claudebant Deſultoriorum manipuli novem, ducentibus Stephano Oborſcio, ac Smoguleccio. Alterum agmen Landzkoronij Camenecenſis Caſtellani, in quo præibant Regium Vexillum ſub Kłobukovio Pro-Tribuno, Landzkoronij ipſius ſub Myſliſzevio, Lubomirij Minoris Poloniæ Generalis ſub Niepokuczycio, Lubomirij item Sadecenſis Præfecti ſub Raieccio, Kalinovij Metatoris Regni ſub Sokolnicio, cohortum Vice-Præfectis. Loricatorum deinde Ductores, Alexander Zamoſcius Supremus Excubiarum Præfectus, Georgiꝰ Kiſielius Novogrodenſis Vexillifer, Koniecpolius, Melleſcus, Duſzynſcius, Vieyſcius, Falbovius, Raieccius, & Wiazievicius, ac cum Suchodolſcio quatuor Oſtrogienſium *Ordinatorum* ſigna. Ad hos pertinebant Corffij Germani Equites (Raytrovie,) tum & Deſultorij ſub octo ſignis; binæ item peditum legiones, ſub cura Przyiemſcij armamētario Præfecti. Tertium Oſtrorogæi Pocillatoris Regni, quinq; haſtatorum ſignis componebatur. Eidem Adamꝰ Sieniavius Leopolienſis, ac Marcus Sobieſcius Craſnoſtavienſis

1649.

I. Firley. Sierakowſki. Dougierd. Trzebinſki. Kłodzinſki. Dębiuſki. Pogorſki. Pigłowſki. Kobierzycki. Iaſtrzębſki. Myćielſki. Tomicki. Skorzewſki. Vnuſzko.

Piaſoczynſcy. Koſſakowſki. Rozniatowſki. Strzyzowſki. Hołubus. Oborſki. Smoguleccki.

II. Landzkoronſci. Kłobukowſki. Myſliſzewſki. Niepokaczycki.

1649. Raiecki. Sokolnicki.

ensis Præfecti, inclyti Heroës iuncti, præter cohortes hastatas, sexcentorum Militum manum proprio ære, auctoratam ductabant. Lubomirij item Comestabilis Regni sub Puzovio, ac Brestensis Præfecti, Szczavinij sub Chomentovio Optionibꝰ. Iungebantur Loricati. Hieronymꝰ Zbroscius Prasnysensis Capitaneus, Carolus Potocius, Ioannes Sokolus, Ioannes & Gabriel Axakovie, Comorovius, Poniatoviꝰ, alijq; præsignes viri. Septem præterea Denhoffij Desultoriorum manipuli, & tria Hungarici peditatûs Vexilla comprehendebat. Quartum Hieremiæ Ducis Terrarum Rusiæ Palatini, cui aderant, Nepos ex Fratre Demetrius Wisniovecius. Prætoria Hieremiæ sub Baranovio, Zamoscij Calusiensis Præfecti sub Serebryscio, Demetrij sub Libiszovio ad Mill: præterea selecti militis sub diversis ductoribus, secum in Castra conduxerat. Etsi tum maximè exutus per bellum facultatibus. Quintum Alexander Koniecpolius Vexillifer Regni duxit. In quo præter primipilarẽ sub Wyzycio cohortem, septem *Quarcianorum* numerata levioris armaturæ signa; sub ductoribus Zachwilichovio, Ielcio, Kalinio, Dziko, Ratovio, Cetnero Golinscio. Insuper Aulicus eiusdem Comitatus, ad trecentos ex fortissimis Iuvenum constabat, cum CCCC Desultorijs, ac gemino Hungarorum peditum Vexillo. Quibus ex privato peculio stipendium, in publicum vsus. Hactenus innotuit nomenclatura ad Zbaraziũ obsessorum, quorum virtuti præmium æternitas. Certè numerus bellatorum ad novem Mill: vix extendi poterat, cum XII. Mill: in apparentiam censeretur: sueto militiæ more, prægnantes Matriculas ærario obtrudere, raro apud sterilia signa milite, & depascendis hybernis, quam condensandis Ordinibus frequentiore.

Zamoyski Excubiarum Præfect Kisiel. Mellesźko. Dusźynski. Vieysķi. Falbowski. Raiecki. Wiazie-wicz.

III. Ostroro gi. Sieniawski. Sobieski.

Puzowski. Chomẽtowski Optiones.

Ineunte Iulio Sierakovius Campestris Notarius, adventui hostium explorando præmissus ab involantibus Scythis funditur, ad ipsa propè valla Castrorum reiectus; adeò violenter, vt in conspectu aliquot è nostris obtruncarentur. Hinc præsagium mali ominis. Etiam Firley pedestre Vexillum,

Zbroski Potocki Sokol. Axakowie. Komorowski. Poniatowski.

IV. Wisnio vecij P. Demetrij Dux.

Barano wski. Serebryski.

1649.

xillum, in ipso Prætorij vestibulo hærens, fulmine tactum fuit, contusi manubrij fragmento proximo excubitore examinato. Sed perversum vatem metus agit, & ab erectis animis temni talia, aut non adverti debent; non raro inania, sæpiùs falsa. Itaq;, qui vnus modus salutis superfuerat, ad datum tubâ signum, omnes certatim muniendis Castris concurrebant: pedite in primos labores vocato, mox Eques, non modo obire vigilias, insistere campo, exploratum ire: verùm etiam excubare pro vallo: deniq; rutris dolabrisque admota manu fossam & aggeres, quasi non nova & mirabili egerebat. Surgentibus ad regulam operis, distribuuntur stationes *(Quarteræ)* Tribunis, vt designatio tulit tuendæ.

Libiszowski. Chołoniewski. Zuk.

V. Koniecpolij.

Zacwilichowski Ielec, Kalinski Dzik. Ratowski. Golinski Cetner. Wyzycki.

Hoste vbi adest conspecto Poloni, á vallo & Castris, in campum & equestre certamen sese expediunt. Vidisses pusillum Davidem contra Goliam fundam aptare; aut Trecẽtos Lacones quos miratur antiquitas, adversùs Persicas Xerxis myriades, accingi. Fortè legionis Wisniovecianæ currus, at vetꝰ Zbaraziũ hæserant; in hos recenti, sed qui acerrimus esse solet impetu, Scythæ incurrêre: non modo præda, sed & sanguine, in primo belli præludio, *(*vnde illis in eventum, vaticinium ducitur*)* imbuendi. Ibant nostri composita Carragine, cui ducenti pedites, & bina signa Equestria præsidio errant; spreto asilientium conamine, militari via, ad suos tendentes. Cùm Hieremias, necessitatem suppetias ferendi impositam ratus, in diggressum obstruentes Barbaros movet, quem mox & Koniecpolius sequitur. In rem fuit concitato gradu, innoxios reddidisse hostilium sagittarum ictus. Collisi vtrinq; certant acriter Scythæ truci clamore ac missilium procella: nostris vicissim exerto ferro, & brevioribus sclopis è vestigio hunc submoventibus. Ast exiles Polonorum globos, velut Eurypus aquas, hinc indè supervenientes Barbari multitudine sua hauriebant. Nam, etsi in conspectu nostrorum præliantium ardor: præsenti tamen auxilio erigere promptũ

non

1649. non erat, ne immensæ hostium copiæ, tenuē aciem in succursum distractam, circumgrederentur. Attamen Zamosciana ac Lubomirsciorum duæ cohortes, in latus pugnantium obliquè immissæ, nonnihil submoverant prævalentes, vt tandem Wisnioveciani animo ac impetu resumptis, eâ se indagine expedirent. Etiam à Castris in confertos machinarum displosio instituta est, efficaci incidentium pilarum successu, vt hostis celeriter dispersus, cadente Casnederio Hani quæstore, desperatæ Carragini viam recedens aperuerit. Desiderati ex Koniecpolianis Ratovius turmæ ductor, Ossovius, Czarnovius, Bromirscius, &c. Ex Wisnioveci-
Ratowski. Ossowski. Czarnowski. Bromirski. anis Rakovius, Omielinscius, ac viginti alij commilitones præter gregarios. Hìc primus Bellonæ fœtus; ita Mars fortissimum quemq; pignerare solet.

Rakowski. Omielinski. Postridie, Chmielnicius sub diluculum, oppugnandis Castris se accingit, ac primò minarum prodigus, Scythis circumquaq; adequitans, oppiparum in Castris Polonorum epulum, mox se exhibiturum spondet. Nec mora, sequitur verba conatus, datur impressioni, è quadraginta maioris modi Tormentis signum; (septuaginta omnino habuit) quibus commodius librandis, eminentes suggestus, circūposuerat. Claudebant accessus, ac vias militares, vndique disposita agmina, in coronam Castra ambientia; terribili oppugnationis apparatu, cum ex machinis fragor & telа, ab hominibus, non nisi clamor, & minæ iacerentur. Apud Polonos ante discrimen silentium, vel quod decretorij actꝰ. (occasiones militariter dicti) anxias mentes distineant: aut strenuitatis iudex modestia, omnem fervorem in futurum certamen differat. Non tamen Duces accedendæ militum alacritati defuêre; ordinando vel excitando, verbis, exemplovè. Scilicet. *Vt pondus in lance, ita causam in bello prævalere; illo ius & æquum propugnante, qui* Devs *Exercituum est. Quò maiori perfungimur discrimine, eò ampliorem gloria, præmiaq; speranda. Ex contemptu periculi, & nusquā succumbentis animi magnitudine, militem vel ab hoste æstimari;*

qui

qui, vt nūc odit strenuos, ita mox, erit præco indomitæ virtuti. 1649.
Ergone tantùm Poloni, in equis viros agunt, quadrupedis latoris pedibus, non suæ virtuti confisi? vtiq;, & campum, & vallū, eiusdem generis glebam esse. Cur ad æternum obsidionalis coronæ decus, non ruerent ambidextri? Non quippè insolitum genti munimina tueri, Moschua, cor Septemtrionis demonstrat; à Polonis insessa ac possessa, biennio dein propugnata. Quod verò pro retinendo alieno factum; id pro gloria gentis, & tuenda quæ etiam ignavis cordi est salute, facilius videri posse. Properat enimverò Rex, concurrit Patria liberandis; si modò viriliter, brevi desituram procellam sustinent. Si degenerant, quâ fronte adventanti in auxilium Maiestati occursuri? quale à submissis in suppetias legionibus amicum salve recepturi? vbi inglorij agunt, & postquam Pilavecianum probrum impunè abijt, more Romano decumandi. Contra insistentibus, servatæ Patriæ decus, assertam inter arma Principis Maiestatem, præmia ac obsidionales Coronas, imputanda: & quod superat, gloriosè ad posteritatem traductum nomen, æviternè mansurum. Talia erigendis animis sparsa, reliqua supplevit necessitas.

Detonantibꝰ machinis, ab hoste in valla infestis signis itum ardore ingenti. Quàm pertinax fuerit impressio, abundè pro rei memoria dixero; quòd, quâ Ducis Firley Statio, superatum primo impetu vallum fuerit, in summo eiꝰ fastigio signiferis Cosacis, Vexilla expandentibus. Ast, respondit ferociæ propugnatorum virtus; antesignanis quò penetraverant obtruncatis; & postquam cruor fusus concitavit animos, prorumpentes Poloni, depulsos ac confusos Cosacos, infestissimè perurgebant: vt, receptui signo dato revocari debuerint. Maius ea parte quà stagnum oppido subest periculum, quod nondum adulta valla dispici, & è fastigijs collium propugnatores numerari possent. Isthàc Bursaius cum transi-Borysthenianis invaserat: Hungarico peditatu, cui loci custodia commissa, dum certamen intermissum censet, aut, in aliana discrimina oculos vertit, remissiùs agente. Quo exitiabili incursu, planè loco potie-

1649. batur hostis, nisi Przyiemscius cum suis accurrens, & decedenti signifero necem ense minatus, turpem abscessum aliquomodo inhibuisset. Eum, vt quisq; alacrior non expectato imperio, secutus, etiam lixæ turmatim accurrentes, plenum discriminis assultum repressêre; demùm, vt nimiũ audax Burlaius, & apertus ingruebat; ita mox, maiore vi & haud fallentibus ictibus tractatus, locum deserere cogebatur. Subsidio huic ibat cum Equestribus turmis Mrozovicius; &, si maturasset, omninò periculũ geminaturus; sed iam confusis Burlay ordinibus veniens; etiam iste interscisso à Koniecpolij Equitatu regressu, haud prosperiùs rem gessit; cùm præter cæsos non paucos, plurimi suorum, voragine stagni sorberentur. Eo conflictu Theophilus Raieccius, Lubomirij Optio, egregiâ antehac militari laude; dum geminato assultu cohortem in hostes invehit, maioris pilæ ictu, calce pedis attrito, pugnans equo delabitur. Non ante hostis incubuit graviùs; non eum vna cohors sustinuit generosius: repetebant quippè Commilitones strenuum Optionem, nè vivus ludibrio, aut interceptus scrutandis consilijs servaretur: instabant surripiendo Scythæ, donec vi maiore subductus, enormi diffracti cruris dolore, intra quatriduum non inhonora morte terminaverit. Etiam Poniatovij turmæ Præfecti, digna memorari virtus; qui, dum lapsu equi prostratum Mrozovicium invadit, circumventus à Cosacis, multiplici in vulnere vitam posuit. Cæsis ex hostibus Burlaius senex, excursionibus in Pontum Euxinum famosus: ipsius namq; ductu Synopen, Emporium Asiæ, invaserant Cosaci; ac pleraq; eo autore patrata; dignior equidem meliore fato, si non contra Patriam pugnasset. Multùm hoc pertinax certamen hostium absumpsit, ad stagnum præcipuè enormi strage; vbi, dum spatioso lacu plurimi hauriuntur, cadaverum sanie taboq; corrupta aqua, insalubris posthac potantibus Polonis habebatur.

Mrozowicki. Raiecki. Poniatowski. Burlay.

Suppudebat dehinc Chmielniciũ ludibrio esse Scythis, vanam ad Castra Polonorum invitationem ridentibus, ac crebro

crebro Hani hortatu, in non desponendum animum sugillari. Totus itaq; in continuandum obsidium versus, quæ antiquo vsu recepta, vel de novo reperta machinamenta, circumcludendis obsessis molitur. Ac primò, viæ obsidionalis tractum, multiplici fossarum flexu sinuatum aperit; per cuius tortuosa diverticula, ab ictibus securi Cosaci, tuto in valla mitterentur. Eiusmodi opera *Aprohes*, recens nomen invenêre; latitudine non vbiq; æquali, sed pro oppugnantium numero, & vsu, ampliata aut contracta. Eggesta humus fossores tegit; vnde impunè iaculari, & subterranea opera, moliri. Hìc viæ obsidionalis tractus, brevi propè valla accessit; vt non modo ictus, sed sermonem, quoq; iacere & excipere, promptum fuerit. Sub hæc, è circumpositis machinis indesinenter ictus dati, adeo crebrâ missilium procellâ, vt, superfusi grandinis instar per Castrorum aream globi dissilirent. Multorum inde miserabilis secuta strages, cùm pleriq; discerpti; alij effusis viscetibus, aut truncatis membris semineces sternerentur. Christophorus Swarszevius elimati miles ingenij, ac ex argutis iocis Proceribus familiaris; Trzebinius item Marchionis Myszkovij Optio; Iagielnicius Zbroscij signifer; occubuêre: etiam, Zabkovius Bernardinorum instituti Presbyter, inter sacrificandum ad aram cæsus. Relictis itaq; papilionibus, specus in terra effodi debuêre; in quibus securior degentibus commoratio: tum, conopæorum laciniæ per summitatem valli prætensæ; quarum obiectu, liberior collimandi scopus erepto; vel, vt minùs noxia tela mitterentur. Vicissim, machinæ nostræ par nocumentum dabant, libratorum arte, & infallibili scopum destinantium efficaciâ. Palmam tunc artis iaculatoriæ, è tubis rotulatis tulêre, Buthlerus Centurio, ac Muchovecius è Societate Iesu Sacerdos, dexterima sclopetorum libratione ambo commendati; vt nusquam vano ictu displodere observarentur.

1649. Swarszewski. Trzebinski. Iagielnicki. Zabkowski. Buthler. Muchowiecki.

XVI. Idus Iuli, iterum oppugnatio, pari furore, maiore apparatu adornari cœpit. Opercula seu ligneæ moles,

1649. (Cosacis Hulayhorody dictæ) ex crassis trabibus compaginatæ, pontes rotis tractiles, insternendæ fossæ tabulata, vallo superando scalæ, aliaq; in præsentem vsum, sub accessum operarum comportata. Sed maximè formidolosus suggestus, vnus è multis in eam altitudinem excitatus, vt ex eo, in meditullio Castrorum quidvis dispici, & destinatis ictibus facilè feriri posset. Omni aditu, (passus militares vocant) præcluso, pabuli inopiâ emori equos necessum erat; hinc, nonnullos altior perstrinxerat consideratio, vt in concilio militari propositum fuerit, quatenus incluso cum re armamentaria, in fortalitio Zbarazienſi quantùm peditum foret, equitatui abscessu consuleretur. Aiunt medendi periti, vt, qui visu ægros alterius aspiciat oculos, communicato & ipse vitio aspectu succumbat: idem ferè metus efficit, qui non vnius tantùm subiecti motus est, sed cõmunicativus multorum. Verùm exitiabile propositum discussit Hieremias, apertè & ingenuè loco haud quaquam decessurum se protestatus. *Iam verò* (inquiebat) *concesso Zbaraſcensis Castelli angustias duarum legionum receptaculum fore? Equitatum verò, vel aptatis Dedalæum in morem pennis, circumfuso hosti ereptum iri? Tot verò egregios qui equis destituti milites deserere, imò prodere fasnè fuerit? Etiam famulitiũ Castrense, incolas oppidi aggrestiũ turbam, si non alio titulo, saltem quòd Christiani sunt, conservare necessum. Vt vt sit, seu vitam decori, seu decus vitæ anteponimus, alterutrum lucramur, si obstirmato in extrema animo, strenuè locum tuemur.* Ad hæc iuniores Procerum, fortissimum consilium autori gratulati, promptas in hostem manus, aut socianda morte pectora, invicem offerebant. Ac mox, dicta factis probavêre. Obscurâ adhuc dum luce, Cosaci è regione quâ Zaloscios itur, impressionem tentaturi subibant, & quidem inobservati, quòd sudum aëris nebulâ obscuraret: iamq; superato aggere sepimentum reuellebant, cùm pedestris Decurio, coëmendæ annonæ in oppidum delapsus, vt ingruentes advertit, succursui inclamavit. Pulsantur mox in subito

subito discrimine campanæ, accurritq; miles, ac permistus vulgo oppidano, pugnat; donec Fedorenko impressionis Duce glande traiecto, vita hunc & in oppidum vis deficeret. Verùm ad sublatũ hac parte clamorem, Castra rursum omni virium mole, oppugnata sunt. Ructabant tormenta fatales ignes, è quibus fumus, vel Soli diem eriperet. Cũ sub meridiem insigniores, societate erumpendi condicta, in pulcherrimi facinoris consortium, turmales quisq; sibi probatæ dexteritatis adscisit. Memorabile spectaculum erat, dum prorupturi Herões, tendendis commodiùs arcubus, manicas substringebant; ferrum & sclopos in ictus experiebantur; ac, leviore in pedestre certamen cothurno, mutuum se se in periculi contemptum, sui contemptores, exstimulabant. Prorupêre dein, sibi quisq; Dux, sibi miles, ea invicti animi contentione, vt superato vallo repertos hostes adorirentur ac funderent: mox, per densissimos cuneos enisi, ad Vexilla vsq; adversæ aciei penetraverint: & quia eripere ea non ex vsu erat, in opprobrium discerpserint. Neq; hîc indomitæ fortitudini meta. Quingenti illi, in ligneas moles seu Opercula impetu facto, submotis qui propugnabant, tria incenderunt, ad cædem & excitatam flammam hoste attonito. Siquidem, eo fermè instanti, densissimum imbrem profuderat cælum, tantâ repentinæ tempestatis vi, vt latè patentem planiciẽ, aqua, palmotenùs involueret. Hinc mirum, cunctis imbre perfusis, adeo in prõptu fomitem igni inveniri potuisse; vel, quomodo eodem humore madidæ moles, tam facilè conceperint incendium. Autor in erumpendum Hieremias, (etsi is, in ipso procinctu, cum Sieniavio tum ægro, autoritate Ducum ab excursu cohibitus) post hunc Sobiescius Crasnostavienſis Præfectus, Demetrius Wisniovecius, Sierakovius, Potocius, Koniecpolius; ac, vt quisq; apprimè pugnax, è nobili Commilitio. Virtus & indoles Heröum, vt encomia militariũ meruit, ita demum livorem concitavit; repertis è Magistratu bellico, qui fervidiorem impetum probarent minùs; nullo

1649. condigno indomitæ generositati pretio; irreparabili, si secus alea caderet, partium iacturâ. Quippè, contemptu, nõ provocatione periculorum, firmitudinem animi æstimari: &, vbi non sunt decretoria prælia, à Præfectis militiæ, non tam exempla exigi, quàm præcepta. Adeo, apud invidos, nunquam suum constat virtuti pretium, temeritatem affingunt fortitudini, formidinem excusant circumspectione: & dum excellentissimæ virtuti invident, magno plerumq; periculo errant. Sed fortium est agere, prudentũ ratiocinari.

Parum armis proficiens Chmielnicius, rursùm multiformis Prothæus vulpinatur. Vbi tela irritus voti hebetavit, colloquium poscebat; quæ vi non potuit, dolo assecuturus. Ac primò argumentum fraudis à minori ordiens, Kisielium Vexilliferum Novogrodensem, ac Zacwilichovium congredi sibi; cum quibus æquabili medio armistitiũ sanciretur, poposcit. Præsto sunt isti, ambo noti noscentesq;: Zacwilichovius præcipuè, qui dudum Cosacorum *Commissarius*, inter rigidam acrimoniam, & remissam facilitatem, studia eorundem promeritus; etiam Chmielnicio privatæ familiaritatis nomine illigatus. Hunc enimverò Bohdanus, obiter de statu obsessorum interrogatum, vt partes suas fortunamq; sequi vellet, crudus suasor solicitavit. Erubuit protinùs talia dici sibi emeritus senex; requisitoq; vicissim, an quid maioris momenti, tractandum vellet? vbi & mero gravem, & nihil ad rem ingerentem audit, obtenta missione, cum Collega abscessit. Tum demum quo scæna speciosius argumentum haberet, suadetur Scytharum Hanus, ad colloquium Proceribus Polonis invitandis; vt nimirum tanti nominis autoramento, haud diffiderent adesse. Quo nomine emissus Sefer-Cazius, Principem suum arbitrum dirimendæ hostilitati, offerebat ea lege: Si Hieremias ac Koniecpolius, beneficiũ salutis ab eo Principe præsentes peterent; id gloriæ Heröum, id incolumitati obsessorum omninò conducibile. Dilato in crastinũ congressu,

gressu, DEI beneficium fuit, occultas astuti hostis insidias contingenter resciviſſe. Quippè, instante nocte, duodecim è Firleiana statione contubernales, in marcentes somno Cosacos delati, obtruncatis plerisq;, tres vivos abduxerant; quorum vnus, è Prætoria legione Chmielnicij Signifer, Regis Poloniæ cum ingenti Exercitu adventum, narrari retulit, ac mox venturum, à Chmielnicio præstolari. Quem, prævertendo periculo, finem obsidioni imponendum velle; evocatis militiæ Polonæ Proceribꝰ, si prodeunt, nequaquã posthac ad suos dimittendis. Fraudem suspicari facilè fuit, ex suspensis pridie Sefercazy verbis, altùm recondito dolo mitiora obtendentis. Cur namq; non Firleium aut Ostrorogæum collocutores vellet, defæcatæ prudentiæ viros, & penes quos armorum imperium, iusq; statuendi esset? Fidem insuper faciebat, nullius ausi non capax Bohdani ingenium, in extrema quæq; discinctum, rursùs per temulentiam secreti impatiens. Proin postera luce congressum exposcente Sefero, excipiebat Ianicius commilito, idiomatisac moris Barbarici gnarus; Proceribus quos Scytha requireret, castris exire, ex lege militiæ, vt potè Præfectis Legionum, haud integrum esse; vel si maximè vellent, Ducibus ac Commilitio retentante. Verùm proponeret ille colloquendi Thesim, si quæ ex vsu & commodo Exercituum forent, Proceribus à se relatum iri. Ad hæc, Scytha subirasci, spretamq; mutui colloquij conditionem ægreferre; maximè, quòd sponsioni Hani non crederetur indignatꝰ, posponit velut imparem, ac campo abit. Ianicki.

Interea hostilitas vtrinq; exercita duravit, maximè è machinis continuata displosione. Andreas Sieracovius Campestris Notarius (quod officium inter potiora militiæ munia) dum fortè necessario digressui vallum subit, è tormento per spinam dorsi ictus: pari item fato Sielnicius, multo militarium dolore occubuêre. Slugocius etiam Sieniavij Optio, enormiter sauciatus, ac Hieronymus Zbroscivs Prasnycensis Præfectus, dum honorem quem arma faciunt Sierakowski. Sielnicki. Slugocki. Zbroski

1649. ciunt ſectatur, eodem mortis genere interijt. Cuniculi demum maximâ curâ & irrequieto labore, ſubtus ſtationes Firleij, ac Koniecpolij, ab hoſte acti: etſi irrito operarum ſucceſſu, cùm orificia ſpecuum afferibus trabibuſq; ſuffulta, vtcunq; incipi; aſt in longum produci nequirent, minùs tenaci humo, & niſi ſublicis fulciretur, dehiſcente. Operibus ijs militare vocabulum *Miny:* minax ſcilicet mortiferæ artis inventum. Quos ea cura exercet, tali ratione ſtruunt, machinamentum. Erutâ humo, ſpecus ſubterranea aperitur, iuſtæ altitudinis intervallo, per quod ſurſum tendentes flammæ, vires ſuas exerant: tum orificio ſpecus, aut (vt periti artis loquuntur furno) firmiſsimè obturato, inditur fomiti ignis excitando incendio, quo demum mœnia vrbium, aut maiora propugnacula evertuntur. Quod ſi loci anguſtia, vehementior flamma conſtringatur, partè debiliorem petit, viresq; ſuas, ac naturæ impetum, in ea quæ minùs obſtant exerit. Eas ſuffoſiones veſtigare artis eſt; quas ſi concuſſæ terræ ſtrepitus non prodit, ſuperpoſitæ in pelui aquæ motu, aut reſonantis tympani murmure deprehenduntur. Deprehenſis occurritur, adverſos obliquis meatibus cuniculos agendo, quibus nomen *Contraminy:* donec ad hoſtium opera perveniatur. Iſtarum oppoſitu, priorum violentia eluditur. Equidem, dum in ſuperficie globi terraquei, anguſta eſt digladiandi mortalibus arena, intra terræ viſcera, locum prælio quærimus, centro terræ proximiorem, vbi infernum eſſe aiunt. Tunc, vbi ex crebrioribus catervis cuniculos fodi, ſuſpicio erat, paſsim miſsiles ignes, ac iacta è mortarijs mala-Granata ſunt. Telo, artificioſæ ſolertiæ id nomen ex ferro in rotundum elaborato, cuius concavum ignitis alimentis ſtructores talium infarciunt: vis dein, arte moderati ignis, globum flammivomum excutit, mox, in fragmenta diſrumpendum. E tubis æneis, ſeu pyrobolis, furſum mittere mos eſt, quò in medios hoſtes, vel tecta delapſi, diſsiliente metallo terreant, aut vulnerent. Ædificijs ſuperiacti incendunt, non ſemper ſcopum

ſcopum tangentes, cui deſtinantur. Artis gloriam anteacti ſæculi ingenia tulêre; dum, non iam prælijs, aut iuſta acie, ſed hoc veluti compendio, ſanguinem humanum fundere placet. Potiſsima mortiferæ artis palæſtra Belgium, eiuſmodi Archimedûm productrix, vendicat ſibi inventũ hocce regulatum, aut amplificatum. Verùm, vtinam eo munere noſtra carerent ſæcula, manerentq; ſua fulmina Iovi; tum validi corpore ab infirmis, generoſi ab ignavis, animo & robore diſtinguerentur: aſſereretq; nativa Sarmatarum virtus, priſtina maiorum decora, & gloriæ amplitudinem. Cæterum, in frequenti pilarum eiuſmodi iactu, quo vitaretur pulveris pyrij diſpendium, vaſa axungiaria vetere pice imbuta, incenſaq; ; milites noſtri multa volutatione, in confertos mittebant: ad quarum lapſum, diffugiebant Coſaci, notas ex effectu Granatas metuendo; donec ludicrum terriculamentum pateſceret, temnereturq;. Etiam rareſcente defenſorum numero in arctiorem peripheriam, lineam circumvallationis contrahere illuni nocte neceſſum fuit: præmonita vigilum attentione, ne conſilium hoſti per transfugas pateſceret. Ergo indiſtinctim, Heri à ſervis, Commilitones à gregarijs, aliud vallum introrſum moliebantur; interim, nè amota ſigna retroceſſum proderent, frumentarios ſaccos perticis inditos, per prioris valli ſummitatem defixêre, quò exſtantium vexillorum manente ſpecie, ſecurus introì ſe reciperet miles. 1649.

Iam alter menſis inter continua pericula exactus; non item in ſufferendis quæ internè affligebant malis, ſuperabile obſidium videbatur: nam, qui tantiſper hominibus vt homines reſtiterant, tandem fato, & extremæ neceſsitati ſuccumbebant. Frangebat animorum conſtantiam fames; cùm, ieiuno ſtomacho langueſcant membra; mox, vigor animi; dein, vita extinguatur. Omne in vitam alimentum defecerat; eo vsq; invaleſcente fame, vt conſumpto cuiuſvis generis fare, equina in eſum tranſiret. Quippè nuper inopiâ pabuli, exactis equis, nonnulli mactando ſuos

1649. carnoſiores partes fumo induratas, in caſum famis ſervaverant: etſi, non omnibus ea futuri providentia, peditibꝰ præcipuè, quibus iam canes felesq́;, & quæ alia abominatur natura, ſine faſtidio mandebantur: lora quinetiam, aut coriacea curruum velamina, lebetibus emollita ad ignem duritie, pro minutalis obſonio erant. Neq; turmales tantùm aut legionarij vexati malo, etiam Primores vim famis ſentire oſtenderant; equinam, non iam mentientibus aromatis, aliam in ſpeciem formatam; ſed, prout denigraverat fumus, ori ingerendo. Idem potabilium defectus; fraude mercantium dilutis liquoribus, & in immenſum aucto prætio. Aqua inſuper, è cadaveribus ſubmerſorum, tum Caſtrorum purgamentis contracto veterno, paſsim verminoſa fuit. Subvenire levandæ fami videbatur, quòd ſub initium obſidij recepti aggreſtes, iam tum famelica turba, miſsionem vltro poſcebat. Sex Mill: promiſcui ſexûs erāt, perpetua macie conſumpta & ſimulachra tantùm viventium: gravè agmen in communi inopia, vbi retinetur; ſi dimittitur, prorſus miſerabile. Retinendis inſtitere Duces, adpromiſſa diſtributione quantùm ſupereſſet victualium; non tamen ſuaderi poterant, gnari promitti quæ non haberentur, & diuturnæ tabi celeriùs fatum anteponentes.: Vix miſeri Caſtris pedem extulêre, cùm ab involantibus Scythis mactantur, ſemiviva cadavera, nullo operæ prætio in longinquam captivitatem trahenda. Præter famem, Pyrius pulvis defecerat, libratores mutilati aut enecti, præcipuo militarium operum Architecto (Ingenierum vocāt) Aderſio Centurione interempto. Nocebant inſuper crebra ad hoſtem transfugia, repertis ex intima Ducum admiſſione proditoribus. Ex his armamentarij ac annonæ defectus, teſſeræ militares, innoteſcebant; vnde pleraq́; etiā fidos tegi debuêre, quandoq́; differri; maximè eruptiones! quarum vna quòd hoſti innotuiſſet luctuoſa; in qua præter XXX. è Commilitio, Ioannis Chreptovicij Palatinidis Novogrodenſis, ac Predborij Landzkoronij Caſtellanidis Sandecen-

Chreptowicz Landzkoronſki.

decenſis, illuſtria cæſorum nomina, cladem inſignivêre. Indebitum certè animoſis Iuvenibus à manu plebeia fatū; niſi, quod bellum, nullo perſonarum delectu, gloriam æque diſtribuat ac mortes. Sed, nihil ita exitiabile, quàm ſueta heröicis animis tinea, ſimultates. Cauſam ingratijs potiſsimam comperio: dum, implorandæ cæleſti opi, ad circumlatum Venerabile Sacramentum, omnis militia Deo *Exercituum* ſupplicat, ac eodem inſtanti, in Prætorio Firleij, Præcones verbi obſtrepunt malè; Catholicis auribus, acceptæ fuêre diverſa canentium voces: hinc, in authorem odium, in Miniſtros minæ; quæ, ne in factum tranſirent, maturè in Caſtellum ſubduci debuêre. Quæ, tanquam ex compoſito ab æmulis inſtructa, dolebat Firleius, ſuſpicax ſenectâ & anxius tolerandi. Etiam Coſaci, vt fermè vehementior circa finem motus eſt; vel, quòd diuturni pertæderet diſcriminis; vel, antevertendo quem præſto compererant Regis adventui, reſpirare obſeſſos haud patiebantur. Noſtri viciſsim, vbi plus periculi, frequentiores convolare; adverſùm pertinaces inconcuſſa firmitudine obniti; novis & tranſverſis loricarum operibus aditus impedire; & ſuper, omnia, obduratum contemptu mortis animum, opponebant. Si acinaces, aut ſuetum lateri ferrum, in danda vulnera hebes; ſi bombardæ crebro vſu, aut madore imbrium corruptæ; earum loco, ſudes, perticæ, lapides, curruū fragmina, & quæ alia caſus arma miniſtrat, ad inferendos ictꝰ adſumebantur. Quæ inter, communicati in modum familiarem ab vtrinq́; ſermones, aut convitia. Improperabant hoſtes. Æquale laboris penſum, Heri ſubditis indicerent? revolvi annum, neq; exactos cenſus? tranſiſſe ver, neq; exdecimari armenta? rudere interim tædioſo mugitu, pecuaria Ruſsiæ, ad Vratiſlavienſes nundinas anhelantia. Erāt ex noſtris, qui perriſum reſponſarent. Laboris quidem hactenus concedi vacationem; aſt mox aggerem per Boryſthenis alveum ab ipſis condendum: neq; in totum remiſſos cenſus, quos abundè exigat, per Vkraynam hoſpitans

1649. Exercitus Lithuanorum. Etiam decimas à Scythis repeti, non iam decumum pecus, ſed Vxores pignoraq; Coſacorum in Tauricam abducentibus. Hæc illi, ſueto iurgandi more.

Noviſsimum tum Chmielnicius, verſipellis ingenij exhibuerat ſpecimen, Germanos milites in defectionem ſolicitando, ſi ſucceſsiſſet dolus, egregia copiarum parte obſeſſos nudaturus. Dum negotium prolixiori ſecreto indiget, & modus tentandi facinoris in arduo eſt; componit ad Wiſniovecium literas, eo titulo. Illuſtriſsimo Duci, Terrarũ Ruſsiæ Palatino, amico noſtro, etſi minùs ſincero. Contextus Epiſtolæ vana pleraque aut futilia continebat; niſi quod literas Ducum, ſubſidij nomine ad Regem datas, remittebat interceptas. Is, qui attulit, nuper trasfuga; dum cum notis ſermones miſcet, ſcelus ſuum neceſsitate excuſans, Corſianæ alæ ſignifero fortè obvio, tradebat convellentes fidem militum Germanorum codicillos. *Quibus* (aiebat) *ſtare hucuſq; obſeſſi Exercitus incolumitatem, Germanorum pectoribus defenſam, vbi imbellia Polonorum, externa virtute protegitur. Incertis aſſibus venundari viros fortiſſimos: ſtipẽdia ſemper promitti nunquã ſolvi; aut à Præfectis, qui fermè ex Polonis ſint, interverti. Computarent pericula & fuſum ſanguinẽ, levi & imaginario ære æſtimatũ. Quòd ſi, vbi fortiter mortem contempſerunt, non ampliùs vitam odiſſe pergunt; fructuoſiorem apud ſe militiam ſcirent, ac in promptu ſtipendia, ſemper victoribus numeranda.* Commovêre ea fidos milites; quòd, ſuſpicione probri, hoſtis conſtantiam ſuam temeraſſet. Reſponſum itaq; pro ſtatu præſenti magnificè, pro tentata fide exprobranter; latore interim retento, punitoq;: nam, & Bohdanus emiſſarium noſtrum iugulatum à ſe, non negabat, qui irritaret.

Quæ, de obſidione Zbaraziana ex probatiſsimis Commentarijs, aut præſentium relatione mihi comperta, ex fide tradidi; nullo condigno prætio occulendi vera, aut aggerendi falſa. Equidem decedit Marathon, Leuctre, Sagun-

guntum, alijq; celebres obſtinata defenſione loci, pari Le- 1649.
gentium credulitate, & affirmantium pervicaciâ memorati, virtuti ad Zbarazium obſeſſorum; & quæ alia recentium oppugnationum exempla, admirationem ſæculi exhauriunt. Certè, prodigio affine fuit, virorum XII. Mill: ægrè computanda, vulneribus, ſtrage, inediâ, cæli inclementiâ exhauſta; ſupra CCC. Mill: ferociſsimarum gentium, invictâ animi conſtantiâ ſtitiſſe. Bimeſtre obſidium, propè continua oppugnatio fuit: Viginti generales aſſultus numerari: Sex ſupra decem equeſtribus prælijs decertatum: Reductus operum, ſeu contractio valli quater tentata, & perfecta; ſeptuaginta quinq; eruptiones inſtitutæ, pleræq; ſucceſſu proſpero, non vllas, vt fert ambigua Martis alea, clades luctuoſas fecit: ſeptuaginta maioris modi tormentis fulminatum; ex quibus, miſsiles globi, ad inſtar grandinis per Caſtrorum meditullium evoluti: ac, vbi vacavit inſtruices comportati, non perfunctorij certaminis ſpectaculum manſêre. Neq; reliquos celebris obſidionis actus, punctatim referre gravarer; niſi narrandorum copia fatiſcat calamus, aut, ſatietate excellentiſsimi argumenti obruatur. Dabunt veniam, infra meritum memoranti, ſublimes animæ, edecumatæ fortitudinis decus, à poſteritate recepturæ. Superſtitum item Iudicia deprecor, ſi quorum ingentibus factis, adæquato ex verbis præconio deſum; ſtudium certè, & iniquam nulli voluntatem, attulero. Quanquam, non à vi humana, aut mortali robore, ea fortitudinis miracula patrata, credi neceſſum; cùm dextera Domini fecerit virtutem. Namq; vnum caput, contra centena & ampliùs ſtetiſſe, planè ex Deo fuit; apud quem fortuita aſini mandibula, in multiplicem Philiſtæorum cædem ſufficit. Nunc, dum feſtinanti in ſuccurſum Principi, circumacto narratione ſtylo occurrendum eſt, inſcribo Zbarazcenſium obſeſſorum virtuti, condurans paginæ monumentum.

Non vos ego, inquam, perpetiar mori
Dum vis mihi adſit; perpetuùm quibus

1649. *Debentur inciſa, excelsâ in Columnâ*
Nomen, Honos, Statuæ, Æſq; fuſum.

Rex Caſimirus, præter Firleij literas, etiam ex Hungaria, ac Valachia accepto, Scythas iam coniunctos rebellibꝰ; mox, Turcam apertè in cauſam deſcenſurum: acriori ſolicitudine, incolumitatem ſuorum vrgere cœpit. Regem ſe meminerat, ſemper in ardua promptus: etiam, quô initia regnandi, præclaro ſervatorum Civium encomio, circumdaret, æmulatione fraterni exempli; nam, & Vladiſlaus vix coronatus, depulſis ab obſidione Smolenſci Moſchorum exercitibus, pari facto famam meruerat. Itaq;, indicta egreſſui Varſaviâ, die D. Ioanni Præcurſori Sacro, Lublinum verſùs inter inſtituit. Scandenti equum, reddebantur literæ à publico tabellione. (Poſztam dicunt,) quibus præter arcta indagine, clauſa ad Zbarazium Caſtra, etiã inſolita Smotrycij fluminis inundatione, mœnia Cameneci, maximè Portam vrbis quæ Polona dicitur, ſubrutam labefactatamq; nuntiabatur. Silentio Rex contenta epiſtolij tranſmiſit, ivitq; per alacritatis imitamenta: cùm à collateralibus, obſervaretur, aliquoties Regium equum ceſpitâſſe, greſſus alioquin pertinacem, & pedũ ſecurũ. Dum cancro miles confluit, Rex Lublini ſemeſtri coactus ſubſiſtere: vbi matriculis cohortium calculo ſubditis, armiluſtrium inpagina condebatur. Haſtatorum non amplius mille-ducenti, loricatorum XIV. Mill.; ſeptem peditatus cum deſultorijs computata ſunt. Dux, copijs cum Generaliſsimi titulo impoſitus, Georgius Oſſolinius, Supremꝰ Regni Cancellarius: Peditatum peculiari imperio regebat, Chriſtophorus Huvaldus, gente ſuecus, externorum bellorum imbutus famâ, ac experientiâ. Verùm, vtriusq; dignatio adverſo rumore fuit; quòd prior togæ meritis præclarus, belli decora avidius cuperet; quàm, vt conſequeretur: Huvaldo in materiem odij vertit, quod externus patriotis prælatus, & quidem Weyhero Pomæraniæ Palatino, id muneris ex merito ambienti, nec conſecuto.

Oſſolinſki.

Huvald.

Hic,

Hic, in concilio militari, primum deliberationis punctũ. *An patrando bello adeſſe Principem? an ſeponi melius foret?* 1649. ipſe Rex in perſona ſe bello adfuturum declarans, ſopivit. Pro Generali Nobilitatis Euocatione, certatum acriter ſententijs; cenſentibus pleriſq;. *Non vſq; ad incitas redactam Poloniam, vt adverſùm ſervilia arma, intimas Regni vires excire debeat. Adeſſe veteranarum cohortium robur, confluere Tyronum ſupplementa, honorarias item Procerum alas convolaturas: inſuper, ſolam Principis Maieſtatem, vbi iuſta cauſa ſubeſt, in ſummam proſequendo bello ſuffecturam. Vt nunc Rebelles obſeſſis Zbarazcenſibus graves, ita mox binis Exercitibus impares fore: dum hinc terribile Maieſtatis nomen, illinc indurata contemptu periculorum pectora, vtrobiq; vrgent. Publica Motione excita, nudari Reip: arcanum, ſuperficie tenus externis acceptum, ac formidabile; inſuper deſtrui gentis æſtimationem, ſi quæ Ottomanicam potentiam terruerint vires, autonomo vni, ac purgamentis oppidorum, inconſultè opponantur. Habendam rationem penetraliorum Regni; Quid ſi Suecus faſtiditis inducijs pacem agrius ferat? Moſchus diſgratiæ manifeſtus fœdera violet? à plebe quin etiam noſtrate, alieni ſceleris ſucceſſu, paria metuere circumſpectio iubet.* Tum ad generalem Expeditionem delati, improbabant ſegnem tardi mobilis motum, famoſiorem è longinquo, quàm comin9 proficuam militiam, elevando. Deniq; concludebant. Vt concretæ nocturno gelu aquæ, vbi calorem ſol diffuderit, liquefiant: ita genium Rebellionis, temeritatis gelu rigentem, tepeſcere Maieſtate coram, & emolliri, veneratione aut metu. Diverſi alij, inter quos, Caſimirus Leo Sapieha, Procancellarius Lithuaniæ, quo non alius Procerum, numeroſiorem militem ad latus Regis conduxerat, ſenſum ſuum ex ordine aperiebat. *Non tam ad vrſina cubilia, neq; cum ignavâ Pauluci manu, ſed pro aris & focis, defenſivè bellandum. Stare omnem in armis Ruſſiam, non magis ferro & igne, quàm odio & vindictæ cupidine flagrantem: Adeſſe Crimenſem Hanum, cum omni Taurica potentia, auidam rapiendi*

gentem;

1649. *gentem; cùm Cosaci libertatis prætextu arma cœperint. Exordine itaq; facimus, si aq; nostras ac hostis vires libramus. Stat contra plebs, immanitate ferox, & vix turmatim, ne dum viritim computabilis: eccubi adæquatæ resistendo vires? vbi vel decuma parte proportionatæ copiæ? veteranos cohortes exautoratas; honorariam militiam merum ens esse: novos delectus, serum post bellum auxilium adpromitti. Iam verò fortuita reputando, confusa mens reluctantia verba cohibet. Ergo Regem nostrum, spem & columen Patriæ, lucernam Poloni Lithuaniq; nominis, fervidi magis, quàm providi, tanto discrimini substituemus? Nec siverit* DEUS, *hoc capite in casum dato, primum Regni vivens periclitari. Vnde ergo, nisi excita Nobilitate, (quod iam ante facere par erat) promptior resistendi facultas. Convolabit illa in gloriam pulchro succensa fervore, vbi provocantem Aquilam pullos videbit: redibit intermissa in præcordia virtus, velut bellaci equo, quem nullâ degenerem senectâ esse aiunt. Ita venatrix ales, acta in cavea hyeme, nihil de volatu remittit, & ferrum quandoq; exacuit rubigo. Ad hæc, vbi effrenus Rebellio, omni virium nisu universæ Poloniæ imminet; etiam defensio universi, generali conatu instituenda: nimirùm, dum infensa naturali odio plebs, in Nobilitatem insurgit: quidni Nobilitas, cui generis ac vocationis prærogativa, armorum vsum tribuit, contra non iverit! Vnde, & qualiter Regnorum progressus, ac incrementa fiunt; pari modo conservationi attendendum. Dum verò progredimur, instituendum iter est, velut providi Patresfamilias solent, qui peregrè abituri, custodiam domus cõmittunt vigilibus, aut claudunt. Similiter nobis, suspecta aut periculo obnoxia, per fœdera aut præsidia firmãda. &c.* Hæc illi sensu magis, quàm animo discrepantes. Ea tandem pervicit sententia, vt Edicta tertia (literæ Restium) Nobilitatem convocantia dimitterentur: tum demũ, vbi in procinctu discrimen, speciosa dictu, à facto necessarijs, serò, nimis discernendo.

Lublino abiens Rex 16. Idus Iulij, obvium in itinere habuit Stapkovium, qui à Ducibus Zbaravianis, extremæ ne-

Stapkowski.

cessi-

ceſsitatis, niſi in inſtanti ſuccurritur, veniebat nuncius. Plures arduum facinus aggreſſos, tempore ac ſucceſſu antevenerat. Stagnũ quippè Caſtris ſubiectum, lintre tranſvectus, per noctem margini arundinetis obſito adrepebat; de die fruticum ramalibus ſe ſe involuens, ac per devia ſerpens, quandoq; cœno aut paludibus abditus, tandem excubias hoſtium, periculoſâ ſolertiâ fefellerat. Vera narrari, vel ex latore apparuit; qui, macie ac ſqualore deformis, cùm anguſtias obſeſſorum ſcripto & dicto teſtaretur, etiã aſpectu ſui monſtrabat. 1649.

Verſùs hoſtem promotis ſignis, exactè omnia ad regulã militiæ procedere viſa; Rege ipſo teſſeras militares enuntiante; enuntiatas, non ab excubitoribus modo, ſed & Præfectis vigilum, dum incognitus per noctem commeat, requirente. Hinc, quibus eâ curâ, enixiùs officio attendebant, cenſorem Principem remiſsi muneris veriti: ſimul miles exemplum vigilantiæ, in Præfectis æmulabatur. Neceſſariæ quieti pauxillas horas tribuebat, ſub primum diluculum, acſi ſol bellatori præveniendus eſſet, revertentes è cuſtodia campeſtri cohortes, inſpicere; prodeuntia agmina, ordinare; aciei corpus ac latera ſubſidijs firmare; ſolicitq; adequitando vbiq;, & baccillo imperia deſignãdo: arte militari ac praxi valens, vt potè à prima adoleſcentia, per armorum experimenta enutritus Princeps. Vna deerat noſcendi hoſtium conſilia felicitas; cùm exploratores noſtri, aut per impoſturas fallerent; aut hoſti adhæreſcerent; deniq; interciperentur. Iam verò, excurrentes cohortes, quas ſubtùs hoſtem emittere vſus militiæ obtinet, nulla ſciendorum certitudine redibant. Legio Oſtrogienſis per eos dies Toporoviam prægreſſa, dum Scythas qui admodum rari viſebantur, invadendi audaciam ſumit, non ſine cæde repellitur, Pełka Hungaro notæ audaciæ Signifero cæſo, ac Zołkievio vetere militandi capto, cum plerisq;. Et Zołkievius ad Hanum deductus, primò ſurditatis obtentu quæſita declinans, mox, quaſi illuderet, ſubiraſcente Barbaro,

Zołkiewski. Pełka.

1649. minis territus, quantæ Regiæ vires forent? gnarus omniũ, haud reticuit. Vnde ſpes ac fiducia hoſti crevit; cùm contra, quotquot inde à noſtris intercepti, aut detecta proditione præhenſi, non pollicitis aut ſpe veniæ, non extremorum metu, in confeſsionem veri adigi potuerint. Et cavere à proditoribus haudquaquam facilè fuit, cùm agreſtes Rutheni, per Caſtra victualia ſub ſpecie mercatus circumferendo, rimarentur quæ illos neſcire expediebat: alij ſe in ſervitia cohortibus inſinuabant, probando quos oderant, odiſſe quibus addicti ſimulantes. Ita, dum nos arcana hoſtis conſilia ignoramus, ei noſtra, non aliter quàm ſua, patuêre; transfugio omnia prodentibus.

Bieykowſki Michałowſki. Præfect. Krzepicenſis. Gdeſzvnſki. Pozowſki.

Propè Zborovum Exercitus conſtiterat; cùm incertus primò rumor, dein, qui vidêre, aut paſsi hoſtilia, Scythas in proximo vagari nuntiant. Bieykovius impiger iuvenis, comite altero fortè excurrerat; nec longè pabulatores cæli, & in ſe diſcrimen verti conſpicato, pernici curſu inſequentibus ereptus, comperta per Hyacinthum Michałovium Krzepicenſem Præfectũ, Principi defert. Rex, ad momenta rerum intentus, Gdeſzynio ac Pozovio turmarum Ductoribo, negotium dat; fideli indagatione rei explorandæ. Excurrunt iſti, ac, dum Scythæ non comparent, negant indici fidem; cæſos ab lixis agreſtes, ac rem citrà periculum eſſe, pervincendo. Zborovum oppidum, fluvius Stripa præterlabitur, mediocris ille, ſed præaltis gurgitibus, & tũ vi imbrium auctus, gemino ponte conſtratus erat, quo diviſim celeriùs traiceret exercitus, alveum, aquis & lacunis occultis, egrè ſuperabilem. Solenni Aſſumptæ in cælum Dei-Paræ die, Rex, in vlteriorem ripam, ſacrorũ causâ tranſcenderat, cùm adeſſe hoſtem conclamatum. Patente namq; copiarum Regiarum adventu, ita Chmielnicius ſuas diſpertierat vires, vt cum parte earum occurreret Regi, alteram obſidioni ad Zbarazium continuandæ relinqueret: id agendo, circumſpecto ſilentio vſus; vt, non modo obſeſsi, ſed, nè ipſi quidem qui obſidebant Coſaci, abſceſsũ ſocio-

ſociorum ſcirent, ſentirêtvè. Obiacebat ab læva peramplũ quercetum, ſummitatibus arborum multa fronde, nullis ſubtus dumetis impeditum: ibi fama tulit, Chmielnicium penitùs explorandis Polonorum copijs, eo vsq; abruptâ audaciâ vſum; vt in faſtigium quercus irrepens, ac ſemipẽſilis, circumiectos campos, & quantitatem Exercitus flumen tranantis, ſudo ſub auroram cælo, ſpecularetur. Inde digreſſus, autor Scythis eſt occupando loco, iſthic prima prælij experimenta tentaturis. Nec morâ ivêre confertim ab agreſtibus per compendia viarum circumducti, in obliquum latus; vndè, priùs ſentiri quàm præſciri adventûs eorum potuit. Korycius cum Oſtrogienſi legione extremum agmen claudens, invectos aliquatenùs ſuſtinuit; aſt interſcindi ſe à reliquo Exercitu advertens, militari regreſſu ſubducebat ſuos, pugnandi cum Scythis gnarus, neque in ſummam audax. Hinc vacuum campum nacti, in currus noſtros illati ſunt, Polonis repentino ſuperventu perculſis, maximè lixis aliâq; caſtrenſi turbâ; quæ, inſtanti diſcrimini ſe ſubducens, implicatos pontes curribus obſtruebat; vt neq; iſtis expedita fuga, neq; parte ex altera commodè auxilia ſubmitti potuerint. Nemo aderat, qui imperia diſtribueret, cùm Witovius ex neceſſarij conſilij ratione, occurrit cum promptioribus hoſti; vt ſi minùs curribo ſubvenire poſſet, ac ſaltem pontem tutaretur; quoad ſubductis impedimentis, Rex conſilia & ſubſidia expediret. Aderat ſimul Oſſolinius Strobnicenſis Præfectus, ac quinq; cohortes Nobilitatis Terrarum Ruſsiæ, omnes animoſè in hoſtem invecti. Erigebat pugnantes Sapieha Procancellarius, cum ſeptem ſignis propere accurrens; & quidquid citeriore ripa noſtrorum erat; ſed impari manu congreſsis magis animus ſupererat, quàm ſpes victoriæ. Nam, licetſi aliquantum remittere ex feruore Scythæ cœperint, mox tamẽ recentibus alis aucti, adeo pernici recurſu impreſsionem redintegraverant, vt ne inſtruendorum quidem ſcloporũ, pediti tempus daretur. Tum verò reciprocante prælij æſtu,

Koryckí

Witowſki Caſtell. Sandomir.

Oſſolinſki.

Sapieha.

1649. Witovius confoſſo equo ac cæſo Zaluſcio legionis legato ægrè ſubducitur; idem Sapiehæ Procancellarij diſcrimen, Zaluſki. quem extremo niſu langueſcens equus, proſtituebat immi- Kurczowie. nentibus Scythis, niſi Curtij par Fratrum periclitanti Hero ſubveniſſent. Luctuoſum ſanè noctis præludium belli! Czeſki. Baldovinus Oſſolinius ipſo in flore ætatis, Andrea Czeſcio cohortis Optione, ac XVI. ſocijs Nobilibus, in commilitiũ pulcherrimi Fati aſcitis, eundem quem pugnans locum anteceperat, moriendo occupavit: funeſta Patruo gloriæ materies; cùm, ex eo Oſſoliniæ domus ſubſidium, viro ad Martios actus nato, vnicè deſtinaretur. Cecidêre item poſt Tyſzkiewicz. rem ſtrenuè geſtam, Felicianus Tyſzkievicius Palatinides Breſtenſis, ac è Roxolana Nobilitate plurimi. Pedites Vngari, ſimul & ſclopigerorum Caroli Corniachti quatuor Corniacht. manipuli, poſtquam ter aut ampliùs ſclopos exploſerant, ſervatis etiam in morte ordinibus, ferro exciſi. Inſigne hìc fortitudinis exemplum dedit, Kowalſcius è ſtirpe Ko- Kowalſki. rabitarum, Terræ Leopolienſis ſignifer. Sub inclinatam is pugnam, præciſa manu dextra, creditum decus Vexilli, ſiniſtrâ tuebatur; etiam hac truncatus, ac alijs ſuccumbens vulneribus, ſubtùs ſe involuit ſignum; vt quod vivus non poterat, ſaltem ſuppreſſum cadaveris mole, mortuus ſervaret. Certè Argivo illi robore animi par; quem, manu vtraque reciſa, dentes in navem, ac ſi harpagine retinendam conieciſſe, memorat, & miratur antiquitas. Submotis legionibus, iterùm in condenſatos curſus ivêre Scythæ; quibus arcerdis, Georgius Rzeczycius Præfectus Vrzędovien- Rzeczycki Præfectus Vrzędovienſis. ſis, à latere cum tribus cohortibus advolans, poſtquam maiore audacia, quàm conſilio, elici ſe in apertam planiciem patitur; intra ſepta retruſus, ac obtruncatus cadit, præterartes militiæ, idiomatum Orientalium notitiâ clarus. Cum Czarnieçki. quo, ſimul interimitur Czarnecius Curruum Regiorum Præfectus, olim Alexandri Principis Poloniæ Hepheſtion alter. Hæc prima Martis proluſio.

At Rex, nihil ſubita incurſione turbatus, in decretorium certa-

certamen ſe ſe comparat; imperia diſtribuens, ex neceſſi- 1649. tate temporis ac loci, legiones ordinans; de tranſitu, de Caſtris, de producenda acie, æq; ſolicitus; &, poſtquam in totum maturi Ducis munia implevit; vt pro interrito milite ſe geſſerit, infra tradam. Dum Caſtra tumultuarijs operis firmantur, confeſtim eductis in campum legionibus, (nam à fronte ſe alia hoſtium agmina oſtentavêre) acies eum in modum inſtruitur. In dextro cornu, Cancellarius Generalis, cum Staniſlao Potocio Podoliæ Palatino, ac Grabrie- Potockĩ Palat. Podol. le Stępkovio Bracławienſe Caſtellano; Denhoffij manipuli Stępkowſki. ſclopigerorum, ac Sapieharum cohortes, tum Belzenſis, Caſtell. Bracław Palatinatûs, ac Præmiſlienſis Terræ Nobilitas, pro prima acie conſtitêre. Siniſtro, quod pratis contiguum, imperia diſtribuebat Georgius Lubomirius Poloniæ Minoris Generalis, cum Ioanne Sobieſcio Iavorovienſi Præfecto, ac Carolo Duce Corecenſi. Iungebantur, Zamoſcij Kaluſienſes Præfecti; tum ordinatorum Oſtrogienſium alæ ac ſemila- Makowiecki. cera pridiano conflictu Witovij legio; huic adſtante Ioan- Pozowſki. ne Pozovio voluntariorum ductore, quâ protenſum aciei cornu deſinebat. Hos ponè ſubſidiarium agmen ex Ruſſica Nobilitate, tum Chriſtophori Koniecpolij Belzenſis, ac Kiſielij Bracławienſis Palatinorum, turmis conſtabat; adiũctis Equitibus Germanis Waluroti, ac Thobiæ Minoris cohortibus binis; vt qua parte aciei maius diſcrimen ingrueret, caſtris item, ſi hoſtis impeteret, præſidio forent. Mediam aciem legiones peditum, ſub Huvaldo (Infanteriæ Generali) firmabant; ante quam, cõſtitit Rex vultu fiduciæ pleno, etſi in vno loco cõſiſtere haud vacavit, more Solis in omnes agenti. Stipabat latus aulica Haſtatorũ Quingentorũ Gniewoſz Præfectus Radomien. cohors, egregiè fortis illa: tùm expeditius ineundo certamini, in geminum agmen diviſa; quorum priùs, Nicolaus Michałowſki. Gniewoſsius Radomienſis Præfectus, Signifero Iacobo Mi- Vbyſz. chałovio Tribuno Lublinenſe: alteram Vbyſz Dapifer Goſtynenſis, ſub Optionum nomine ductarent. Apud hos inſignium Equitum robur fuit. Adhærebat iuſto loci ſpatio,

1649. Prætoria Stipatorum phalanx, ſub Fromholdo Wolphio, Wiewierſcio, Giſſa, alijsq; Legatis. Inter legiones machinæ bellicæ procedebant, quò denſatis in fronte manipulis tectæ, in irritatum prælio hoſtem certiore iactu diſplode-
Wolph. & Wiewierſki. Giſſa. rentur. Machinas ſuſtinebant ſclopigeri Equitātes, ducen-
Koſs. Przyiemſki. tibus Koſſo, ac Przyiemſcio iuniore. Hos rurſus ſubſidio erigebat Zamoſciana peditum legio, ſub Bergemanno Tribuno, ac Leſzczyniorū recens invecta in Caſtra miles. Sub meridiē Rex aciem obequitans, iam frōte & oculis, iam hortamentis Regia brevitate prolatis, intrepidas ſpes, & certam victoriam cunctis, ſi viriliter agunt ſuggerebat. Sex viros lateri comites adhibuerat, quos tamen mox inſtante certa-
Iendrzeiowſki. Sładkowſki. mine, ad ſigna remiſit, Iendrzeiovio, ac Sladkovio retentis. Interim Scythæ recollectis agminibus adornant pugnam. Etenim, ferinam tantùm diuturnitate maceratam, ſapere in proverbio eſt: bellum in inſtanti patrandum, dum fervor viget; opportunitas adeſt, & quoad flagrantes in certamen animi, non flacceſcunt. At dum Polonos, inhibita velitatione in ſtatariam pugnam intentos vident, tria caudis viridibus vexilla qui Aulicus Hani comitatus erat, in Lubomirſcij alas effundunt, ſueto præliandi more, adverſæ aciei lævum cornu ſuggredi, ſagittarum ictibus, qua manu commodius mittuntur, turbandæ. Gnarum id noſtris, proin cominùs promotis Ordinibus ictus eludunt; etiam opportunus à nobis ventus fecit, vt minùs noxia tela caderent. Clamor dehinc ab vtraq; acie, Polonis ſalvificum Redemptoris Iesu nomen, Barbaris *Hatta*, quod Deum ſignificat ingeminantibus. Memorare lubet, vetuſtum Sarmatarum morem ante prælia canendi, non magis clangore tubarum, quam pio cantu militarem fervorem accendente. Nam, vt ſuperſtitio ignavos facit, ita vera religio fiduciam auget: præſertim, vbi iuſtâ causâ erectus miles, cùm pro gloria Crucis victimam ſe devovet, etiam pro ſe præſentem Deum, pugnatorem credit. Tum verò certamē, ſi quod vnquam memorabile oritur; dum illinc immanis multi-

multitudo hinc; invicta conſtantia; paria vtrinq; virorum robora; equorū agilitas; idem vtrisq; feriendi niſus opponuntur. Præcipuè levo cornu haud parcè ſanguis fuſus; vbi vtræq; acies tam arctè coiverant, vt non bello aut mutuo dandis vulneribus cohæſiſſe; ſed, vnius gentis homines, in novæ ſocietatis vinculum coalitos crederes. Eminebāt Duces, in parta maioribus bello decora, glorioſè aſſurgentes; etiam, miles pertinaci conatu virtutem præfectorum æmulatus; quoad Barbarorum numero implicitis Ordinibus, ſenſim reſolvi, locumq; deſerere cœpit; adeò exitiabili abſceſſu, vt in retro conſiſtentes ſuorum turmas ingruendo, eas, aut impetu, aut exemplo abriperēt. Attamen conſtantia Ductorum, præcipitem ſuorum confuſionem, ſi non reſtituit, certè retentavit diu. Eadem iam & dextræ alæ fortuna erat, vbiq; repreſsis aut loco motis ſignis: cum re inclinata Pozovius, vt erat per tranſverſam genam ſagitta ictus, manente vulneri telo, ad petendum auxilium accurrit. Confeſtim Rex, denſatis peditum legionibus, in adverſos Hovaldum immittit; ipſe incitatiùs ad Equeſtres procurrens, gradum inhibet, & Aquilas retro in hoſtem vertere ſigniferis mandat. Præhendiſſe aliquorum fræna inſinuando regreſſui; &, vt præter ingenium ſævus ferrum in ora intentaverit, qui viderant affirmavêre. Puduit enimverò, pugnam ciente Rege, locum deſerere; ac cuncti ſociantis periculum Principis reverentiâ moti, contra ſigna obvertunt. Iam quippè pedes ſtrenuè ſuggreſſus, denſâ globorum procellâ ſubmovebat Scythas, alijs prælonga acuto ferro haſtilia, in ora caballorum contorquentibus. Percommodè & Potocius Palatinus Podoliæ, evocatis aliquot è ſubſidiario agmine turmis, adoriri pugnantium latus ex obliquo præcepit: quæ ſtrenua impreſsio, confuſos ſuorum Ordines nonnihil reſtituit, vt tandem vacillantem, hoſtis impetum ſuſtinerent; velut æquali vtrinq; marte. Neq; interim tormenta ceſſabant; quanquam ancipiti periculo in permiſtos ſuis hoſtes, emiſſa. Sub veſperam, receſsit

1649. ceſsit Scytha, inſolens per noctem agendi, etiam legiones noſtræ campo ſubductæ ſunt.

Deſijt ſub noctem prælium, aucto in maiꝰ per tenebras diſcrimine. Intempeſta ſiquidem nocte, dum per traiectum eluctati currus, meditullio Caſtrorum perſtrepunt, ac lixæ inconditis clamoribus contubernales requirunt, aut advocant; ſuſpenſos anxia rerum exſpectatione animos, triſti imagine confundebant. Multos, occultus pavor, in eventum belli anxiè reſpicientes pervaſerat; non pauci, ex falſa relatione conſternabantur, infimis è fece militari paſſim ſpargentibꝰ: Regis cum Proceribꝰ ſarcinas convaſari, ac plerasq; vltra traiectū in tuto eſſe; nec aliter rebus comclāmatis ſuccurrendum; niſi Rex, abitu cum potioribus ſibi conſuleret. Hinc aucta credulitas & pavor; ac, vt eſt prōpta inter tenebras affirmatio, etiam validiores animo, ex pridiani conflictus trutina vacillavêre. Interea, ordinatis quæ vſus poſceret Rex, de ſecunda vigilia, ſi daretur, neceſſario ſomno obiter membra ſolaturus, itinerario recubuerat eſſedo: cum plurium accurſu, quid ageretur veſtigantium? primò Eccleſiaſtes Cieciſzovius, mox Tyſzkievicius Pocillator Lithuaniæ edocent; hoſtis dolo, an ſuorum ignaviâ, ſparſam de abſceſſu Regis è Caſtris famam: hinc, apud cohortes tumultuari, equos inſterni, clitellas compilari, & niſi illicò ſubveniatur, Pilavecianum probrum propè eſſe. Ille, animo ad ſubita firmus, inſcenſo raptim equo, ac prælucentibus facibus, apud principia legionum cunctis ſe videndum præbet, ac vbi frequentes coire advertit, arguēti propior alloquitur. *Me, Me, adsũ Rex veſter Poloni, quibuſcùm, vt vivere placet; ita pro Patria commori, non indecorum fuerit. Eccur verò Cives Regem, miles Imperatorem deſererent? cur tot defuncti periculis, cum victoriam conſtantiâ complere poſſint, per ſocordiam amittant? Fruſtra enim cœpimus, ſi non duramus. Præſto ſe eſſe, & perſtiturum; non arbitrum modò fortiter agentiũ, ſed Ducem: deniq;, ſi ſors ita ferat, glorioſæ mortis ſocium.* Verba Regis, non flectere modo animos,

Cieciſzowſki, Tyſzkiewicz.

mos, ſed pavorem ipſum frangere viſa: addentibus, qui comites lateri; vt Nobilitatis innumera vis, propè Caſtra ſit; vt 1649.
Scythæ repudiatis Coſacis, regiam amicitiam præferant; Zbaraziani, cruento prælio obſeſſoribus reiectis, Regijs copijs in craſtino ſint iungendi; aliaq; ex vſu præſenti, quæ mox, incuſsêre probroſi pavoris verecundiam. Non tamen ſine infami exemplo nox fuit; ipſo quippè motus initio, duo equeſtri familia genti cohortium ductores, execrabile facinus auſi, Regem & Caſtra turpi fuga deſerendo. Contubernalium impetu abreptos pleriq; dixerant: ſatiùs credo, quòd per tyrociniũ belli adhuc rudes, flagitio opportunam noctem, & infamiæ per tenebras conſuli putaverint. Eò notius probrum, quòd præclara vterq; domo, nec exiguam ſecum catervam, in ſocietatem abitus traxêre. Etiam eædem noctis tenebræ profuerant, nè exemplo nocerent. Proin, militari infamia notati; vt, non impunita ignavia, terrori eſſet. Parcendum nominibus, vel ob ſola Maiorum præclarè facta duxi; etſi in poſteris probrum averſor: addito, vnũ ex Accipitrinis, alterum ex Gozdavitis fuiſſe. Exemplum hac in parte Chronographorum noſtrorum ſequor; qui, fugacis ex Halicienſi prælio Palatini, cum cognomen reticent, ſtemma referunt.

Poſtridie, agminatim campum occupant Scythæ; etiam Coſaci, depreſſa vallium ſilentèr traductis legionibus prætervecti, quò intentos prælio Polonos à tergo adorirentur; vel, vt poſthac patuit, fugæ intercludendæ. Alium enimvero Polonorum Exercitum exactâ nocte crederes; Tribuni, ac Centuriones, ſub primum diluculum, frequentes inveſtibulo Prætorij aderant, iuſſa præſtolantes: ij maximè, quos nocturni pavoris conſcientia arguebat. Damnabant iſti tranſacta; ac, de imminentibus animosè loquebantur. Idem turmalium in fortia facta conſenſus, cùm infimo cuiq; liqueret, nonniſi vnam in virtute & armis ſpem eſſe vitæ cunctorum, & victoriæ. Eductæ legiones in aciem; eo, quo pridie ordine, ſtetêre: quoad hoſtis primã impreſ-

 ſionem

1649. sionem, in oppidum vertit, quod Castris contiguum, sine alterius detrimento capi nequibat. Inde, delubrum Russorum, exacto præsidio nostro, vbi sui iuris fecit conglobata agmina vno tractu, tam in valla, quàm in aciem nostrá immittebat. Agitymir-Bey, ac Thohakay Murza (Thohay-Begum namq; acerrimum Cosacorum Patronum, cõtagiosa lues Tauricam pervagata, nuper extinxerat) in Ossolinianum cornu; Chmielnicius cum suis in levum invecti sunt, Hladkio sæpimenta oppidi invadente. Iuvabat hostes, incolarum oppidi veriùs propolarũ; qui, vt plurimum ex Russis perfidia; signum invadendi campanarũ pulsu dantibus; aut, quà per depressiorem fossam facilior aggressus, fumo succensi straminis iudicantibus. Dimicatum nihilominùs strenuè; nisi, quòd temperato impetu, retundebant magis nostri vim, quàm inferebant: nè, incitatus fervidius Eques, peditem præsidio sui nudaret; aut retrusus ordines legionum, ac tormentorum perturbaret. Ita, suspenso aliquatenus eventu, dum prima acies locum tuetur, acer in omnem rei gerendæ occasionem Rex, etiam ad lixarum coëuntes globos advolat; semiermes illos, & velamina linea pro vexillis securos, per lateris comites, ad strenuè agendum promissis erigit: in tempus, proletario agmini, Zabuscium Ducem præficiendo. Non renuit iussa vir promptus, simul turba illa aspici se & videre Maiestatem gaudens, (ignota mutuò & ex habitu solo se se noscitans) ad præstandam bello operam sub oculis Principis accingebatur. Iam in Regium Evocatorũ Vexillum illati Scythæ, iteratò resumptis viribus, vniversæ aciei graves incũbebant; nisi, quòd regulatè data imperia, & ad amussim observata; vbi opus, submissa auxilia; latera subsidijs erecta; fessi, mutati recentibus; tormenta præcipuè vsui & terrori, & quæ alia solent, immotam loco reddebant. Etiam, famulitium Castrense, aliquam, si non opem, certè succursûs imaginem exhibebat: subtus oppidum, præcipuè haud pœnitendo certamine in Cosacos invectum. Etsi postea hostes,

Zabuski

hostes, vbi ardentiùs primo successui insistere comperiunt, longiùs elicitos obtruncarant plurimos; quoad reliquis, accurrentes Olesnicij Præfecti Opocznẽsis Desultorij, non sine multorum iactura receptum ad suos, ægrè aperuêre. Istis, dum exemplo ac instinctu præit Lisiecius, è Societate Iesu Sacerdos, ibidem aliquot globis traiectus, occubuit. Penes quem victoria eius diei steterit, indicat absessus Scytharum iterato campi possessione decedentium; adeò properè, vt ne cadavera quidem suorum, quæ tota passim arena, ad mille fœdè sparsa iacebant, inhumata reliquerint. Causam pugnæ haud consummatæ; alij in Hanum, vltra invito Deo pugnare abnuentem; alij, in Ministros, plura sibi ex reconciliatis partibus, in obventum destinantes, reiecêre. Captus tunc Adil-Murza ex potioribus quem Rex Szembergio concesserat, Fratri Hyacintho ex Taurica permutatione liberando. Mirum visu, inter cadavera repertam fœminam Scythidem, habitu viri ac pharetrâ accinctam; quæ, cõflictu illo, dum imperterrita Amazon fatum provocat, globo traiecta, virili morte interijt. Neq; nostris sine iacturâ exactũ certamen, Zacharia Czetwertinio, Paulo Swierscio Ensifero Podoliæ, Kaszovio, ac Chocimirscio turmarum Ductoribus, cæsis ac præter XL. VII. Nobiles commilitones, ad Millequingentos ex promiscua militia desideratis. Saucij dum rem strenuè gerunt, Miaskovius Leopolienſis Succamerarius, Stano Vexillifer Sanocensis, Gdeszynius item ac Brodovius Rothmagistri.

1649. Olesnicki. Lisiecki. Czetwertynski. Swierski Kaszowski. Chocimirski. Miaskowski. Gdeszynski. Brodowski.

Interim Generalis, ab exacta prudentia solers, de ponẽdis per cõditiones armis, multa solicitudine agitavit. Neq; eo rerum statu, Rex mitiora abnuebat, maximè ad Zbarazium obsessis metuens; ne famè, aut extrema vi, in deditionem cogerentur. Subibat nihilominùs anceps cura, de modo pacis ingerendæ; si prior scriberet, non facturum ex Maiestate? si compellatorias præstolaretur, crudelem moram, & exitiabilem obsessis cunctationem? Placuit Ministris

1649. niſtris tentare vadum, dimiſſo cum literis captivo Scytha, quibus. *Exprobrata obiter Hano ingratitudo eſt, quod vitã, & imperium Taurica, beneficio Regum Poloniæ adeptus, hoſtẽ non ex meritò ageret; maculoſo rebellibus fœdere illigatus, olim amicitiâ regali felix, inclytusq;. Coſacos ſemper antea Scythis infenſos, etſi nunc ex vſu ſocios ſimulent: mox, vbi adoleſcunt vires, odia & arma in eos, quorum in præſens opem nituntur, cõverſuros. Ita, à catullis lupi, vbi ſuccreverint, devorant nutricem hædam; & peſtilentis morbi contactu, etiam eos inſici, qui medentur. Nullius magis quàm Principum intereſſe, erudire ſubditos, Rebellionem eſſe poſſe ſine prætextu; non poſſe ſine pœna. Probè item Hano cauſam & finem belli perpendendi; quæ prior, ſi iuſta eſt, etiam exitus, velut æquus iudex; vnde ius faſq; ſteterit, ei victoriam dabit.* Lectis haud oſcitanter Hanus, dũ vel protracti non ſine iactura ſuorum belli tædium vrget; ſeu immeritam hoſtilitatem, cum proficuo amicitiæ titulo, non ineptè confert; paciſci velle reſpondit. Stylum Epiſtolæ, breviter ſcriptæ inſero.

Fortunatus Iſſan-Gerey Cham, Sereniſsimo Poloniarum Regi IOANNI CASIMIRO, Vitam ac Sanitatem.

Inprimis ſua Maieſtas ſi valet proſperè nec ne? ſe quidem precari omnem fortunam ac ſalutem ſuæ Maieſtati; tum, florens in diuturnos annos imperium. Significare item, quòd literas amicitiæ prænuncias, à ſua Maieſtate acceperit; enixè tamen mirari, quòd ſua Maieſtas poſtquam Regnum inijt, nullius internuncij legatione ſed gnaretur: immemor planè, neminem inter mortales adeò perditè naſci, qui non alicui vſui eſſe poſſit, vicino requirenti. Vt vt ſit, ſe animo bybernandi in has oras veniſſe, attamen amicitiam non abnuere, nec colloquio defuturum. Etiam Chmielnicius ſcribere ad Regem iuſſus, paruit; eo ſcripti contento, vt à prima iuventa Regibus fidus; vt per exacta ſtipendia, captivitatis ſortem, & honeſta in bellis vulnera emeritus; tandem inimicorum conſpiratione, falſi criminis invidiâ oppeſſus, modo inculpatæ tutelæ, ad defenſionem ſui arma ſumere coactus fuerit. Prolixa dehinc Synopſi

nopſi exaggeratis iniurijs ſubnectebat; decedere ſe haud il- 1649.
libenter Zabuſcio, Præfectura militari Zaporoſcẽſi; cùm, ignoſcẽte Principe, mortẽ, quàm irato, vitam habeat potiorẽ. Dũ fiducia paciſcendi animos mulcet, interim triduò irremiſſa hoſtilitas duravit: interprete nihilominùs Scytha, de loco perſonisq; inſtituendi colloquij, vltro citroq; commeante. Cui, obiecto, quòd haud bona fide paciſcẽdi media quærerentur, inſcio Hano vim fieri; mox deſituram reſpõdit, quominùs negotium maturaretur perurgens. Vbi de loco convenit, prior *Wezyr-Hani*, levi tectus endromide; aſt in decoram oris geſtusq; gravitatem compoſitus, venire præoccupavit. Neq; in Generali mora (nam hunc patrando pacis negotio, ſpecificè requiſierat Hanus) quin operienti cum collegis accederet. Dicto ſalve, paulum ſtetêre mutua contemplatione defixi. Dein Oſſolinius prior, in rem divertens. *Quid cauſæ, quòd veteris amicitiæ iura, inter vtrasq; gentes, violata ſint? quid rei, quod ſocialis fides interverſa? bello fœderata Polonia laceſſita? rebellibus præſtitum patrocinium? Eccur Scythæ facti ſint protectores hoſtium, & amicis hoſtes? A Polonis certe, cur eos vicinitatis pigeat, commiſſum nihil.* Cui Wezerus. *Iura amicitiæ, in integro manere reſpondit; Tributa Principi ſuo pendi ſolita, ſi redditis, vtriq; domum redintegratis animis abimus.* Hìc Generalis ad mentionem tributi aperte excandeſcens. *Tributi nomen* (inquit) *Poloni ignoramus, accipere ea, non dare ſueti: alio titulo ſtipendia gratuita pete, quæ Regi munifico dare moris, vt ijs obligatus, hoſtes aq; & amicos pro delectu eiuſdem habere tenearis.* Scytha in energia vocabuli nonnihil hærens, poſtquam hallucinantis interpretis accuſaverat errorem, in craſtinum differri colloquium petijt.

Vbi dies, conveniunt iterùm in pacem arbitri, Wezyro in argumentum feriò deſideratæ concordiæ Chmielniciũ adducente. Eminùs is, ſublato capitis tegumento, venerantis exequebatur officium; ac remotior quàm vt de collegio arbitrorum immiſceret. Kiſielius Palatinus, ac Sapieha

1649. Procancellarius, Oſſolinio cooperatores negotij aderant; binis itidem à parte Scytharum, Sefer-Kazio, ac Sulimazio Agis, Wezero adiunctis. Vbi verò diu, vtrinq, diſceptatũ, tandem, in eas leges convenêre. Quoad Scythas.

I. Abhinc, inter Sereniſſimum Ioannem Caſimirum Regem Poloniæ eiusq, ſuccedaneos: tum Iſtan-Gereum Hanum Tartarorum, eiusq, poſteros, fida pax, & amicitia manebit.

II. Rex Poloniæ ex munificentia ſua, ſtipendia Hano largietur, Camenecũ quotannis mittenda. Hanus vicissim cum copiis ſuis, Regi ac Regno vbiq,; & contra quemcunq, hoſtem adeſſe ac auxiliari, pro delectu Regis tenebitur.

III. Excurſiones, ac hoſtilitatem omnem, in ditiones Regni Poloniæ Hanus poſthac inhibebit: prædas item & abigeatus vetabit.

IV. Copiæ eiusdem, hîc & nunc, ab obſidione Caſtrorum ad Zbaraz diſcedent; nec vllam digredienti Exercitui, moleſtiam faceſſent.

V. Quæ eadem copiæ Scytharum, ac ſi quid Turcarum Rumelienſium, ſecuti Hanum in id belli, pacatè & ſine noxa è finib9 Regni abducentur.

VI. Rex Poloniæ viciſſim, in gratiam Hani, Exercitui Zaporoſcenſi ſupplici indulget, ac in gratiam recipit: qui fidem & obſequium in poſterum ſtabilita, iureiurando aſtringet.

Et ea quidem cum Scytha pactio, vtcunq; audijt; dum is, pro externo, & pari ſe gerit. Cum Coſacis, vt pote ſubditis, & Rebellibus, in ſtipulatum deducta compoſitio, pupugit; eos maximè, qui extra periculum poſiti, promptius os in trãſactorum vituperium, quàm manus in agendorum auxilium gerere ſolent. Sed arguentium ſupercilio potentior neceſsitas effecit; vt, accipiendo leges daremus: & dum venia erratis neceſſario tribuitur, nomen clementiæ in ſecuritatem tranſiret. Cum Coſacis, potiora puncta fuêre.

I. Libertates Exercitus Zaporoſcenſis, ſartæ tectæ manebunt, recenti Sac: Reg: Maieſt: diplomate approbandæ.

II. Mi-

1649. *II. Militiæ numerus ad XL. Mill: reducetur: Matriculâ ſeu Albo per Præfectum conſcribendo: quòd ad Acta Caſtri Kijovienſis, quô omnibus innoteſcat, porrigetur.*

III. Delectus Coſacorum, per oppida ac colonias Regias fiẽt; Nobilium bonis omninò immunibus. Liberum nihilominùs erit cuiq, ex plebe, in Civitates conſcribendis delectibus addictas, ſine omni Heröum impedimento demigrare, reliquis in ſolita ſubiectione permanentibus.

IV. Hyberna, Stationes, ac Exactiones, quocunq, titulo, militares, in Civitatibus quæ militiam Zaporoſcenſem complectentur, Exercitui Regni non aſſignabuntur.

V. Immunitatibus Eccleſiæ Orientalis Græco-Ruſſæ, lege publica cavebitur, templa eius, Clerum, ac bona Spiritualia, ab Unitis non invadenda.

VI. Dignitates, ac Officia Kijovienſis, Bracłavienſis, ac Czerniechovienſis Palatinatuum, incolis eorundem, Status Equeſtris, ritus Græci, conferentur.

Neq; in totum Chmielnicius ſui immemorem egit, etſi maximè plebicola videri volebat, addita inſtrumento pacis appendice; quâ, Præfectura Czechrynenſis, prout in ſua circumferentia exiſteret, eidem Zaporoſcenſium Duci in feudum addicebatur. Ita tum, pax compaginata; eo rerum ſtatu perſuaſis omnibus nihil abnuendum, etſi nimia poſcerentur. Demum, Chmielnicius deprecandæ Regiæ Maieſtati in Caſtra venit; *(die 19. Auguſt.)* ad viſum Regis Prætorium equo diſiliens, quòd idem fecerat, eius, qui ex centenis conſtabat, comitatus. Præeuntis itaq; Kiſielij hærens veſtigio, in conſpectum Regis admiſſus, in terram defixerat oculos; credo, vbi aſpectus vncti Domini, fulgore ſuo, everberaverat caligantes. Dein, ad ima pedum provolutus, inter alta ſuſpiria dixit. *Non eum in modum expetitam ſibi copiam, ſalutandi Ser: Reg: D. S. C. Verùm, quæ tranſacta, magis malignitate Fati, quàm culpâ ſuâ, humillimè deprecari. Indignum ſe omni clementia prorſus fateri; perſuasũ tamen eſſe, eam, quæ ſupremi Numinis eſt, etiam* vicarij *eius, miſericor-*

1649. *ſericordiam adversùs ſupplicem forè: quæ cor humiliatum nõ deſpiciat.* Ad hæc Lithuaniæ Procancellarius (Oſſolinio tum abſente) *Quanta, qualiavè patrata; à nemine, nedũ ab autore ipſo ignorari poſſe; neq; ideo recenſenda, quæ omnibus palam ſint. Sereniſſimum Regem refricare vulnera nolle, vbi ea miticlementiæ ſuæ remedio ſananda credit. Idq; more Solis, qui bonis æq; ac malis lucet; ita Optimus Princeps, dum pacatos Cives propugnat, refractarijs parcit. Ignoſcit verò ea lege, ſi enormitas facti, ac pro demerito pœna, conſtanti poſthac fide, & pro patria meritis diluentur.* A Rege digreſſus, Iuſiurãdum coram delegatis præſtitit, nihil ſuper contentis diſquirens, conſcientiâ & aſuetudine formatus: vt, quo momento fidem aſtringeret, eodem & falleret. Poſt hæc, Cancellario Magno obiter ſalutato, caſtris exceſsit. reverſo ſimul Lubomirio Minoris Poloniæ Generali, non aliter Coſacis Bohdanum fidei noſtræ permiſſuris; niſi de reſtituendo tali obſide caveretur. Mox, inter Principes, iam fauſto ſidere amicos, vtrinq; donis certatum. Rex Polonus, acinacem diſtinctâ gemmis vaginâ, cantherium item formâ ac phaleris inſignem, Scythæ; Hanus viciſsim verſicolorem Caballum, pharetramq; cum arcu Getico, etiam pleroſq; captivos; inter quos Zoſkievium in gratiam Regis remittebat. Ac, quô in longum duraturæ paci conſuleretur, datis obſidibus, rem tranſactam firmare placuit. Deliberavit aliquantum Rex, quemnam è noſtratib⁹ mitteret? pleriſq;, barbaras oras, & longinquum clima, & fluxam gentis fidẽ ſequi, abnuentibus. Fortè in Prætorio frequens vt aſſolet è primoribus Iuventus convenerat; qui, familiari diſcurſu, de qualificato inter ſe ſubiecto ſermocinati, ſuperveniẽtem Denhoffium Socalienſem Præfectum, iam Principis deſignatione, iam Generalis Soceri voto, ſubſtitui negotio aulicâ iovialitate contendunt. Denhoffius verò, eo animo in Regem ac Patriam, natum ſe teſtaretur, qui non Poſphorum modo Tracium, ſed remotæ Perſidis oras, & vltra mũdi limites poſitam Tulen adeundam, mandato Principis haud dubitet: mox, ad Regem re delata, laudibus cumulatus

latus Denhoffius, cum Hano expeditur. Suliman Agâ è potioribus Scytharum, egregiæ indolis Barbaro, ad latus Regis in anteceſſum ablegato. 1649.

Hoſtis à Zborovo reductis agminibus, Zbarazium iter direxit, & quamvis ex concluſæ pacis efficacia, ad obſeſſos libertatis beneficium pertinere profiteretur; quo tamẽ pretium impenſi ſanguinis non intercideret; collaticium æs donarij in ſpeciem poſtulavit. Hùc Rex Ozgam Leopolienſem Notarium, ac Thobiam Minorem Rothmagiſtrum, deſideratæ liberationis nuncios præcurrere iuſſerat, qui dum collationem pecuniæ, Hano in vim gratitudinis offerendam ſuadent, aſperiùs à Præfectis militiæ accepti ſunt. Ad illatam quippè Lytri mentionem, exarſerant inſolentes contumeliæ viri, reſponderantq;. *Penderent, qui exſolvendo fidem dediſſent, ſe contractu ſtipulatorio in iniuriam tertij eiusq; abſentis lato, non teneri: nec niſi, quoad vita ferrumq; ſuppetierint, de hoſtium aut ſi ſors ferat, ſuo ſanguine depenſuros.* Ita invicti Heröes, nihil de prima ferocia remittendo, tandem perſeverantia, ac magnanimitate ſua, perfecêre, vt hoſtis offâ fruſtratus, non temnẽdus præco ſtrenuitatis retrò abiret: paſsim vſurpato dicterio. Ad Zbarazium ab vno Polono, decem Scythas, è contra ad Zborovum propelli. Hæc eſt igitur memorabilis, illa pugna Zboroviana; quâ duo bellicoſiſsimarum gentium Principes; alter Ottomanicæ Portæ ſatelles; Vniverſæ alter Chriſtianitatis ſtationarius; hic incredibili virtute, & iuſtæ cauſæ fiduciâ: ille innato in arma fervore, & immani copiarum numero, inter ſe concurrunt; ſub protectæ rebellionis, & defenſæ Patriæ titulo. Certè DEI opus credi neceſſum, dum à paucis multitudo cæditur, ſiſtitur; demùm velut fuſi ſanguinis ſatietas cœpiſſet, in mutuæ pacis leges, velut laſſatæ partes, coaluêre. Debitam poſt DEUM, VIRGINI DEIPARÆ, quæ Poloniarum Regina dici amat, victoriam, multorum pietas cenſuit: quòd ſolenni eius Aſſumptionis die, hoſtium vis dimicando fracta, ac Polonorum robur, divina ope

Ozga Minor.

1649. erectum, in finem dirimendi actus duravit. Erat in augurali Prætorij imago, Virginis MATRIS, ex asceterio Belzensi vnitorum, in id belli desumpta, quam ante cernuus Rex, vel integris quandoq; noctibus orationi vacare, ab intimioris admissionis Ministris, observatus. Tunc, quò grata beneficij memoria existeret, Cracoviæ in primaria Basilica, quam in Circulo Beatæ MARIÆ nuncupant, anniversarium in memoriam eius victoriæ, ac sacra, in ævum duratura instituit; addicta in censum loci, ex fodinis Wielicensibus, salis nativi pensione.

Abeunte Scytha, Rex Glynianos, dehinc Leopolim movit. Nihil polita & elegans Vrbs omisit, honoris; & postquam incitamenta triumphi exhibere vetita, læto populi applausu, incognito subeuntem Regem, excepit, compta oratione per Martinum Ianczevium Doctorem Medicum, finem bello gratulata. Hìc, dum fessam valetudinem brevi respirio solatur Princeps, interim à Zbarascensis militiæ Primoribus multa inter salutandum verborum solennia audiebantur, cum Rex, vnumquemq; alloquio dignatus, ad cunctos laudatione aptissima descenderet: & illi, vindicè desperatæ salutis Regem, ac redivivis, exhibita postliminio luce, iterum Parentem, non falsa exageratione afferrēt. Ac quo virtus, non irrepræmiata staret, Firleius Sandomirienſium Palatinam dignitatem accepit; vt eo titulo sepulchrale non nisi elogium augeret, in brevi fato functus. Compar Firleio, sortito honore Adamus Sieniavius, quippè Notarius Exercituum renuntiatus, haud intermittente, quo in Castris correptus languore, ingenti desiderio extinguitur, præclarum Roxolaniæ sidus. Hieremiæ Wisniovecio Præmislienſis; Landzkoronio item Stobnicenſis, amplo reditu Præfecturæ cesserē. Pollicitis alij sustentare spem iussi etsi quandoq; diuturna expectatio, ingens sperantis animi tormentum sit. Et cum Præfectis quidem fortuna liberaliùs egisse visa; at miles querulus fremebat, quod longa fame, ac vulneribus enectus, armorum super humeros fasces deferendo, ne micam quidem commeatus submissi, vel vt saltem morbidi, ac vulneribus semineces socij, vehiculis ex conducto deportari, à Zbarazio possent, haud impetraverat. Exasperabat quin etiam post cæsum in prælio Rzeczycium Vrzędovienſis Præfectura, in Grēboszovium Regis aulicū, collata; qui, inter arma inermis, elusa militarium petitione, è pane benemeritorum participârat. Accidit enimverò, vt alia sæcula virtutis, alia præmiorum exempla ferant: ac sæpè apud pacatos Principes, quorum ingenij vis, intra politicas artes subsistit, præsentius fortitudini sit præmium: fortes ipsi ac gnavi, vel solo regnantis exemplo, militem ad strenuè agendi vigorem, induci satis existimant. Leopoli abiturus Rex, positâ externi cultus Germanicum in morem veste; quâ, ab ineunte ætate vsus, nostratem habitum induit. Lætum id aspectu Polonis, & in maius interpretatione affectus Regnantis (nisi mox incesseret fastidium) acceptum; dum, non in regimen modò gentis, sed in mores quoq; & amictum popularem, Regem suum immigrasse gaudent.

Neq; Lithuania, vnionis vinculo Regno huic colligata, otiosa rerum spectatrix, belligerante Rege, esse poterat. Quantùm enim incolatus eius Provinciæ, ritu ac vsu religionis propius hostem accedit, tantùm armis & successu misceri, non renuebat. Primus hìc in turbas antesignanus, Antonius Niebaba, Koresteszoviâ oriundus; per subsilvanum Polesij tractum, aliquandiu cum prædatorijs turmis persultans, tandem accessu Napalicij ac Feskonis, ad triginta Mill: sub signa contraxerat. Intercepêre ij insigniora eo tractu oppida, quà Borysthenes Lithuaniam ab Vkrayna dividit; nempè Starodubum, Homel, Łoioviam, Brahanium, quæ nullo virium experimento, per proditionem à municipibus dedita sunt. Aberat Ianusius, Radivillus Cāpestris per Lithuaniam armorum Præfectus, (Generali Kiszka supremâ valetudine impedito) citis attamen nuncijs commonitus periculi, negotium dederat Vladislao Wołovicio

1649.

Ianczowski.

Firley. Sieniawski.

Grzemboszowski.

Radziwiłł.

Wołowicz.

1649. vicio Campestri M. D. L. Notario, vim irruentis hostis sustinendi. Adfuêre Georgius Mirscius Excubiarum, Samuel Komorovius Castrorum Præfecti, Vincentius Gasievius, Horscius, Niewiarovius, Mirzenio, ac multi alij è turmarum Ductoribus: quorum superventu, Niebaba, retracto vltra traiectum Prypecij agmine, sequentes in adversa ripa expectavit. Mox Lithuani, extractis quos hostis demerserat pontonibus, ac ijs superato flumine, loco securum eoq; solutius agentem invasêre: ac nihil memorabile ausum profligarunt. Dehinc Pinsko, Russo incolatu frequens oppidum, victoribus obsistere ausum: ab irato milite, mox expugnatum direptumq; mansit. Congruente temeritati pœnâ; iussi namq; oppidani, Cosacorum antesignanos, vel socios dedere: insolenter responderant, substituros proprios iugulos pro ijs, quibus secum, præter commune genus, eadem sacra forent. Resederat posthac aliquantum motus; nisi, Pilavecensi successu, efferata plebs, rursùm in turbas consurgeret: Sluczkum, ac post Byhoviam nobile Sapiehanæ Domus hæredium, armis subitis involvendo. Verùm illud fidei suæ commissum, Sosnovius Dapifer Vilnēsis, egregiè defenderat: Sluczko Lucas Ielscius cum peditibus succurrens, Tribunum Hladkium magno conatu oppugnantem, vt recederet cóègit. Is Hladki (quòd formosum sonat,) submissus à Chmielnicio isthìc Dux, non vaga arma circumferre, aut in terrorem raptare agmina solitus: verùm inconditam turbam ordinatìm habens, ex regulatâ bellandi ratione, non perfunctorio Lithuanos discrimine lacessere videbatur. Proin, Radivillus famâ surgentis belli excitus, huc deproperavit: sagax & prudens, plura animo & præsentiâ Imperatoris, quàm Legatorum vicariâ operâ perfici. Neq; diu, etsi maximè infesto anni tempore, Czarnobylum, Grodecum, Mohyloviam, aliaq; cis Boryslhenem, ac Berezynam (quos fluvios constemma meo Wapovius, vnum esse asserit, experientiâ diversos monstrante) aliaq; infesta hosti loca, deditione capit. Rzeczyca ali-

Mirski. Komorowski. Gasiewski. Horski. Niewiarowski. Mirzenski. Sosnowski. Ielski. Wapowski. Histor.

ca aliquantū facessijt negotij, & post hanc Mozyrū, quod, ad Pripetium in paludosis situm, ac recens Kijoviâ misso præsidio animatum, vim sustinere præsumpsit. Oblata spes veniæ incolis erat, si, sepositis armis, victoris clementiæ se dederent, quæ dum spernitur, superato ascensione vallo ac deiectis propugnatoribus, in Radivilli potestatem redactum; dein direptum, in prædam militi cessit. Superfuit Bobroyscum, quòd rursùs Lithuana arma experiretur; præmissi velites tentando; dum pacata media suggerunt, in eos gemina ab vrbe eruptione procursum; sauciato enormiter Fronckievicio Hastatorum Radivilli Optione. Superventu deinde Ducis, terrorem vbiq; circumferentis, deditionem ea lege fecit; vita & bona municipum salva vt essent, turbarum rei sine exceptione traderentur. Ita, sponsione integra, perquisiti autores, ac puniti; quorū aliqui, dum suo scelere mori, quàm meritâ pœnâ malunt; iniecta ædibus flamma, seipsos cremavêre; attendente milite Lithuano, nè quis effugere spontaneum supplicium posset. Caput rebellium, idemq; autor se se exurendi, Poddubicz, (is substitutus Hladkio) dum vstulatus, violentiam ignis non fert, cum plerisq; Centurionibus captus, fractâ laqueo gulâ pœnas dedit. Michnenkoni qui Mozyrum propugnaverat, quòd militariter in extrema ferro se tuito, à carnifice recisum caput, ac portæ oppidi appensum mansit, exemplo & terrori. Et profuit territâsse, etiam validioribus oppidis formidine exempli colla submittentibus. Hæc, sub præteriti anni finē, sequentia præsenti transacta.

1649. Mozyr. Prypec Fl. Fronckiewicz.

Sub Anni huius initium, impatiens otij rebellio, vt apud nos; ita in Lithuania quoq; infesta arma exercere cœpit: nihil intactum sinens, quà latè Russiæ nomen extenditur. Etenim, in Regnum apparanti Chmielnicio bellum interat maximè; Lithuanos intestinis turbis distineri; tum formidolosos sibi, si ex vi Vnionis Polonis coniungūtur: quàm Moscho, cuius flagrantissimè exambitum patrocinium respiciebat ostensurus; adeo sibi prona ad vincendū omnia,

1649. vt qua parte vellet, concutere Poloniam, haud ægrè posset. Vix credibile! vbi legitimis Principibus bella sunt, gravari Provinciales tributis; vexari exactionibus; dum corraduntur in militem stipendia. Posteaquam corrasa, segnes coire delectus, diffugere tyrones, Præfectos luxu, gregarios rapinis exerceri; ac, vbi bellum ingruat, disciplinæ incapaces, præter alia militiæ flagitia, spes eorum, a quibus inautorati destituêre, impedimentum verius, quàm auxilium. Contra rebelli, affatim suppetunt sine tributis nummi; sine pecunia delectus; sine tympani pulsu, legionarij: non baltheus quemquam autorat, non Iusiurandum fidem astringit; rara Duci de armis, de Equis, ac commeatu cura; modò in abrupta præceps feratur, non sequitur modo multitudo, sed ruit. Ac, quòd mirandum, qui nuper omnium indigi, per bellum abundant & pascuntur, velut mures ex alieno penu.

Anno vertente, Radivillus dispertierat in hyberna Exercitum, per adsitam Borysthenis oram; eo consilio, vt in parato existentibus copijs, vndecunq; malum prorumperet, festinè in herba opprimeretur. Suspectâ hæc hybernantiũ vicinitas Chmielnicio, vnde Heliâ Hołotâ, turbidũ ac præferocem immisit; qui, à cladè magis, quàm rumore orsus, legiones in stativis hærentes inopinato invasit; vt omni ora, quà Pripetius alluit, Lithuanos depelleret. Nimis quã tùm in eo Exercitu, exinaniti ordines habebantur; vnde conciſum sua exilitate agmen, haud arduo negotio dispelli poterat; maximè sub absentiam Wołovicij Præfecti militaris, quem in Martios actus promptũ, adversæ valetudinis cura, peregrè abstraxerat. Proin, vbi cognitũ submotas stativis cohortes; opportunè Vincentius Gasievi9, cum Otthenhausenij desultorijs, ac Donovaij peditatu, repentinæ incursioni sistendæ, promptus veniebat. Factum inde, vt successus Hołotæ, ad adventum Gasievij evanescerent: ac, septem Mill: agmen, cui præerat, intra paluſtres Pripecij refluxus compulsum, denique dispersum fuerit; multis

multis cæsis, aut submersis; inter quos ferro, ân aqua dubium, Helias ipse interijt. 1649.

Ast in hydram pugna est, cui si vnum resecas, plura capita succrescunt; etiam hîc, pro vno Duce, plures substituebantur. Ioannes quippè Krzeczovius, surgente nuper rebellione fideiussor Chmielnicij, præter vasti exercitus numerum, etiam famosi Ducis nomen, secum trahebat. Is prærogativâ generis, Eques, instituto vitæ, miles, ac post Cosacorum Tribunus, accuratiùs artes militandi in Castris nostris perdidicerat, quæ mox hostiliter in adversis exerceret. Huic adiunctus Podobayło, eo tantùm vsui fuit; vt tardiorem collegam, & vsu rerum prudentem, in exitium inconsulta temeritate traheret. Pripetius amnis, in Chełmensi territorio è palude propè Lubomliam ortus, vbi in se aliquot ignobiles rivos absorpsit, tortuoso per Wołhyniam decurrens alveo, tandem in Lithuaniam illatus, Borysthenem subit. Quantùm amnes isti circumplexi latifundium, sanè vastum, illud crebris municipijs incolebatur; tunc ardente bello, à suis eq; hostibus funditùs desolatum mansit. Hinc ex commeatûs ratione Krzeczovius, vltra Prypecium eluctari: Radivillus intra distinere hostem, diversi agitabant. Lentus in occursum veniebat Lithuanus, quia distrahendis hostibus, opportuna loca præsidijs firmando, tenues dispertierat vires: præceps Rebellis veniebat, præter stimulantem ad festinandum Podobayłonem; etiam maturare negotium per se satagens, sciensq; magis vapulare apud Cosacos, qui remissius agerent, quàm qui perderent suos. Nil congressum vtrisq; demorantibus *(die vltima Iulij)* ad Łoioviam, infestæ acies sibi occurrêre. Nam vbi Dux erectus ac interritus, magis pericula, quàm hostem contemnit; etiam miles ad exemplũ Imperatoris sui animos conformat. Dum Georgius Mirsci9 pro munere Excubitorio, distinet ingruentes Krzeczovij turmas; vt opportunè captatâ morâ, reliquus exercit9 flumen traijceret: hostis illudi sibi impatiens, ad arma cõclam-

Krzeczowski Tribun. Czehrynensis.

Łoiow.

clammat, ac expeditiore Equitatu emiſſo, Mirſcium, vim
1649. ſuſtinentem adoritur; ac planè circumfundit; quoad Gaſievianam, ac Chodkieviciana Legionibus adiutus, reliquo exercitui iam flumen eluctato ad generalem conflictum campum aperuiſſet. Vtrisq; in procinctu, Radivillus ſigno dato, expeditas cum Nieviarovio alas, in medium quà robur hoſtium immittit; eo impetu, maximè haſtatorum, vt prima vi impulſa Coſacorum acies, ac confuſis ordinibus terga verrens, peditem præſumpta victoria carragine evolutum, planè deſtitueret. Propè erat vt ſuccũberent Coſaci; cùm Krzeczovius conglobato peditum cuneo, ſubmiſsisq; in altera fiſtularijs, acerrimum certamen inſtaurat: vsq; adeo ſuccedente auſu, vt cæſo Proculbitio cohortis Optione etiam Gaſievio ob tranſuerberatum ſpiculo equum in terram provoluto, retruſi Lithuani, non ampliùs pro more militiæ confuſo regreſſu ſecederent: imo conversâ prælij fortunâ noviſsima iam ratio ſalutis videbatur, ſi cõpoſita Carragine Rzeczycam oppidum, militari itinere regrederentur. Audaciùs quippè quam conſultiùs occurriſſe hoſti, palam erat, cuius exercitus vltra XL. Mill: armatæ multitudinis continere credebatur. Verùm ſæpè ſupra captum humanum Omnipotentiæ vis, conſilia & rationes mortalium ſubitò verſat; erigens ſuccumbentes, elatos deprimens: etiam tum flacceſcentem victoriæ ſpem, caſu fortuito excitavit. Contigit namq;, vt Radivillus nuper Mozyro, quod iterùm hoſtium partes ſequebatur, ad officium reducendo, ablegaret Komorovium Tribunũ, cum Quingentorum manu: cum CCC. item velitibus, Pawłovicium, feſtinantem ad Caſtra Krzeczovij plebem opportunè diſiecturum. Redibant ambo, impigrè mandata executi, cum ex concuſſæ terræ ſono, dein, machinarum fragore, coniectura aſſequuntur, manus in proximo conſeri. Et quia Pawłovicius prior de congreſſu ſuorum ex agreſtibus intellexerat, comperta Komorovio refert; ille nihil moratus, vt erat pugnacis animi, in accelerandum ſuccurſum commili-

Prokol-bicki.

Komorowſki, Pawłowicz

militio autor fuit. Tergũ carraginis ſuæ Krzeczovio profundæ ſylvæ applicaverat, pediti apprimè commodo, loco ab arboribus, in ſubeuntes Lithuanos, certo ictu pilas contorquenti: rursùs vbi ingruêret vis equeſtris, veprium ac denſioris frondis obiectu, tutam ſtationem retinenti facilè. In hos Komorovius, à latere, quâ repulſis ſuis inſtabant ſigna infert. Convertuntur iſti, & ſclopetorum iactu equites ſternunt, ſed novas & viſu maiores copias Lithuanis ſubſidio veniſſe rati, locum ſenſim deſerebant. In abſcedentes demum immittitur. Ielſcij, ac Iuſzkievicij peditatus; qui, cùm ab iiſdem arboribus velut in feras iacularetur, facilè trepidos diſsipavit: campo, & ora ſylvæ potitus. Nõ is tamen Duci hoſtium genius, vt primâ plagâ ſuccumberet; nam, quâ ſaltuûm obſcura, & maximè lutulenta, ſuorũ ordines revocat, ac quantùm ex tempore licuit, egeſtam foſſam, denſis concedibus obſepit, nihilq; non agit repugnando. In extremis quippè conſtitutus, bifariam ſpes evadendi circumſpiciebat; iam Podobayłonem prono flumine ſuperventurum; iam Carraginem poſt ſe relictam ſubſidio, & cõmeatu partes erecturam, præſtolando. Verùm in vtroque fefellit eventus. Namque ſuricza cum ala Equeſtri campo plano circumactam ſtiterat; quæ, à Noldij, ac Wechmanni peditatu oppugnata, cum ſeptemdecim tormentis, ac inſtrumento bellico in manus venit; in oculis planè ringentis Krzeczovij. Vnde, deſperatione, ac iacturâ vecors, quominùs ſuccurreret periclitanti, latebris noviſsimè prorupit. Conferuntur iterum manus eo infeſtiore congreſſu, quia potior Equitatus Lithuanici pars, iuvando pediti equis deſilierat; & Coſaci, continuata diu exploſione noxij, vbi inſtruendi ſclopos pulvis & tempus deficiunt, vtrinq; collato pede, ferro ad manum pugnabant: quoad circumventi, deſperata penitùs in armis ſalute, per obſcura noctis, aut memoris dilaberentur. Krzeczovius acceptis vulneribus ſemianimis, currui imponitur avehendus; mox, inſtante metu, deſertus, ad Radivillum con-

1649.

Ielſkì. Iuſzkiewicz.

Iuricza.

Nold. Wechman.

1649. ducitur. Ferunt ſermones noſtrorum percunctantium, aut miſerantiũ, eo vsq; averſatum, vt reclinis currui caput illideret, quo concuſſo, accelerata morte, vitâ abijt. Meliore fato & famâ dignus, ſi non vt turpis proditor vltrice Nemeſi occubuiſſet.

Reſtabat Podobayſo debellandus; is, ſubmiſſurus amne auxilium, Krzeczovium, vt prælij aleam præcipitaret induxit. Subvehebat XII. Mill: Coſacorum, coadunatis põtonibus impoſita, qualibus Boryſthenes traijci ſolet. Baydaki ſeu hyppagines ſunt, laxioribus ſupernè tranſtris, ac repando alueo, centum hominum quandoq; capaces. Ex his confectâ claſſe, nihil minùs, quàm rem cum Krzeczovio tranſactam opinatus; prono amne deſcenſum moliebatur: iamq;, è fortuito ceſpite, terreum in ripa excitaverat propugnaculum, ſuis tutius exponendis: cùm Gaſievius promptiſsimis Equitum, in opus molientes immiſsis; (maiori namq; pervicacia inſtat miles, vbi graviori diſcrimine perfunctus) quotquot in continentem exſcenderant, ripâ protrudit; interceptis novem lembis maioribus, quibus ſubvehebatur cõmeatus. Podobayſo ferocior verbis quàm actu, cum reliqua claſſe in adverſam ripam enavigans, diſcrimini ſe eripuit; duobus navigijs maioribus per feſtinatũ abſceſſum, rapidi amnis gurgitibus abſorptis. Hæc, tum in Lithuania acta; cùm planè conſtaret, eius anni prælijs ſupra XXX. Mill: Rebellium ferro iſthìc perijſſe. Certè, debita ex ſtrenuè adminiſtrato illa parte bello gloria Radivillo Duci: non ſolùm, quòd ingenti animo hoſti multitudine prævalenti, ſe obiecerit; verùm, quòd extra dilationes poſitq, ingruentem præveniret: illabi in intima Lithuaniæ haud paſſus. Claruêre præterea, Vincentius Corvinus Gaſievius, M. D. L. Dapifer, Vladiſlaus Woſovicius Notarius Campeſtris, Michaël Caſimirus Pacius, Alexander Komorovius, Georgius Mirſcius Excubiarum Præfectus, Georgius Horſcius Orſzanenſis Gubernator, Niewiarovitq, Chodorkovius, Podlęckius, cæteriq; Tribuni ac Turmarum Ducto-

Gaſiewſki. Wołłowicz. Pac. Komorowſki. Mirſki. Niewiarowſki.

Ductores. Etiam externæ militiæ Præfectis, Reynoldo Tyzenhaus, Groth, Othauzenio, Noldio, Ganckoffo, alijsq; ex forti præſtita opera, egregium nomen promeritis. Deſiderati per cædes, Kotovicius iunior, Rozyc, Młocius, Ierzykovicius, ac permulti clarioris notæ commilitones. Maxima equis deſilientium iactura, vbi Krzeczovius indagine ſylvæ clauſus, oppugnatur. Vbi verò ad Zborovum tractatu pacis direpta hoſtilitas fuit; etiam Lithuani modum armis impoſuêre; factũq;, vt, quæ gentes diviſim pugnaverant, inſimul partæ tranquillitatis bono fruerentur. 1649.

Chodorkowſki. Podlecki. Ielſki. Kotowicz. Rożyc. Młocki. Ierzykowicz.

Sub id fermè temporis, Staniſlaus Lubomirſcius Palatinus Cracovienſis, vitâ excedit; ſuper claritudinem generis, præclarâ vbiq; famâ. Ingens viro animus, elimata multo vſu prudentia, ac exiſtimatio totâ vitâ eximia: poſſeſſo permerita Regum favore, per popularitatem, Civium ſtudijs. Amavit Patriam, vt nemo ſui temporis; opes & facultates, in vſum eius (ſi exigeret,) facilè inpẽſurꝰ. Neq; tantummodo intra Patriam magnus, etiam Principes Europæ, intuitu famæ ſuſpexêre, & percoluêre. Sed, maximè debita laus, quòd poſt Chodkiewicium, Turcico ad Chocimum bello ſubſtitutus; ac mox gloriæ, arduam ſpartam ſuſceperit animosè, geſſerit fortiter, & cum bono Regni conſummârit. In aulæ tropicis, in militiæ munijs, ac officio Senatoris, vbiq; immotus, & ſemper idem. Ætatem produxit ad ſextum ſupra ſexageſimum annum, dudum ante mortem diſpertita perampla inter filios hæreditate; quô repudiatâ terrenorum curâ tranquillius vacaret; cõponendo ad æternitatem animo. Prudentis ſanè viri typus, abdicato mundo noviſsima ſpeculari, ac vltrò fortunarum congerie carere velle; cùm tamen cupido habendi, poſt omnia ſenibus exuatur. Pompa funebris multo accurſu Nobilitatis, frequentata Wiſnicij, in templo Carmelitarum, à ſe magnificè extructo. Nam viginti ſacras Ædes ab eo fundatas aut dotatas, inſcriptio tumuli continet.

Lubomirſki Palatin. Cracov.

Secutus Lubomirium Paulus Piaſecius, Premiſlienſis Epiſco-

Piaſecki Epiſcop. Premiſl.

piſcopus, auſterâ & innocente vitâ, etiam ante Sacerdotiũ; vbi Antiſtes factus, viguit exemplo conſtantiæ, ac priſco rigore Præſulum. Spei Vladiſlai IV. admotus, Camenecẽſem Cathedram obtinuit; mox, ad Præmiſlienſem tranſlatꝰ eſt. Magnum Piaſecio inter ſapientes nomen; quamvis aulica praxi imbuti, quòd ſubtriſti vultu, à natura formatus, Stoicam auſteritatem inceſſerent, demiſſos ſimulatæ facilitatis mores, è diverſo exprobrantem. Claruit ſcriptis; nam, præter praxim Epiſcopalem, totius Europæ Hiſtoriã ſui temporis edidit; veracem eam, & ex diffuſiore ſtylo cõmendatam. Ipſe, totâ vitâ duros labores, & acerbas contentiones, ſibi fuiſſe aſſerit; quarum ætas mea nonnihil meminit; dum odio veri, aut libertate Hiſtorica pleriq; offenſi, acribus inimicitijs nepotes eius inceſſerent. Coætaneus planè Lubomirio, namq; eodem vt ille LXVI. ætatis anno mortalitatem explevit. Pro funere laudavit mortuum Florianus Dux Czartoryſcius, Canonicus tum Cracovienſis, eximias Præſulis virtutes, mox & ipſe Præſul, oratione complexus. Et hinc, felicitati eius *(vt Plinius ait)* ſupremus cumulus acceſsit, laudator ex meritò facundus.

1649.

Czartoryſki.

Comitiorum extra ordinem agendorum, rem arbitrij Regij factam ſupra retuli; qui Conventus, ſi quando, certè eo ſtatu rerum neceſſarius erat: cùm, & exul Ruſsiæ Nobilitas, non aliter ad Patrios lares admittenda videretur, niſi priùs pacta ad Zborovum inita, lege publicâ firmarentur; & poſt, tot experimenta præliorum exhauſto militi, in ſtipendiorum exolutionem, tributa per Provincias, non niſi ex conſenſu publico, ſciſci debuêre. Quin etiam Cieklinius Caſtellanus Czechovienſis, cum Wiazievicio Succamerario Mſciſſavienſe, Moſchuam miſsi Oratores, nihil illàc amicum adferebant. Ioannes quoq; Wielopolſci, Biecẽſis Præfectꝰ, ſplendidiſsimâ ad Tranſilvaniæ Palatinũ legatione perfunctꝰ, etſi Claudiopoli in ſpeciem honorificè tractaretur, inter arcana tamen aulæ illiꝰ, vir perſpicax deprehẽderat, quòd, in Principe iſto, maius quid ſinceritatis Reſpublica

Cieklinſki. Wiazievicz. Wielopolſki Præfect. Biecenſ.

blica deſideraret: Frequentes itaq; Ordines Varſaviam coivêre, arrectis omniũ animis, quomodo tandem cum diſcrimine finito bello, deſiderata pax abſolutè inciperet. Leſzczynius Maioris Poloniæ Generalis, cœtui Nunciorum Terreſtrium impoſitus, eloquio ac multa tractandis animis arte; dum exantlati periculi magnitudinem, tum Regis Exercituumq, virtutem magnificè extollit, aſſecutus dicendo fuerat; vt Poloni, ad ſe pertinere victoriæ fructum, ad hoſtem belli mala arbitrarentur. Neq; Oratori eleganter dixiſſe fruſtra fuit, Nicolao Danielovicio Theſaurario Regni per ea tempora fatis functo; ac Quæſtorio munere, (quod eſt inter illuſtres, ac opimas Regni dignitates,) in Leſzczynium tranſlato.

1049.

Danielowicz.

Dum publicè, quòd evaſerimus, victoria vocatur; privatim multa exageratione ſugillabantur tranſacta. Ac primò, vix ſubſcripto pactorum ad Zborovum autographo, volitabant mordacia ſcripta, in ſatyram flexa; multiplici argumento & ſtylo, concordi ſenſu, cavillandi. Perſtringebatur ijs, cum Barbaro Principe fraternitas; ex Salomonis parodijs deſumpto acumine. *Ecce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum.* Deinde *Hæc eſt dies quam fecit Dominus; exultemus & lætemur in ea.* Alter Aretino planè dente, Regis acta morſicabat, non inconcinnis quidem Rythmis, aſt nigro ſale aſperſis. Quorum exordium:

Mutaſti ſtatum, verùm non Fortunam,
Tuliſti cladem, nobis & non vnam.
Patria ſenſit vires tuæ ſortis,
En habes fructum &c. &c.

Neq; iſta renarro, vt probem; ſed, vt non trivialis ingenij partum, aut Mileſias fabellas oſtendam. Hinc fuit, vt Staniſlaus Kobierzycius Caſtellanus Gedanenſis, in Senatu ſententiam promens; graviſsimè in authores taliũ inveheretur, legeq; publica ſtatuendas pœnas cenſeret; quo, ſervilia ingenia, in caninum ſilenter mordendi auſum aſuefa-

Kobierzyckiꝰ

cta, exemplariter punirentur. Equidem Romæ ſtatuam
1649. Paſquilli haberi aiunt; vſus ſcribendi, apud gentes ferme omnes invaluit; dum per faceta aut erudita dicteria, occultiſsima quæque Principum, in publicum emanant. Et quamvis eiuſmodi licentia, vetere ac noſtro ævo penitùs reprimatur; non ideo tamen pruvius iſte ingeniorum compeſci poteſt, invalido adverſùm pervicaces pœnæ remedio. Nam, vt in foco igni ſubiecta ligna dum ardent, crepant; nec ſi mergas, malum ſupprimes; Paſquillis etiam in imo vado, vt ranæ ſolent, còáxantibus. Certè, magno animò contempſit Rex; etſi probroſi carminis autor, non planè ignoraretur. Heroicâ ex contemptu & Principem decente vltione; cùm ſpreta hæc exoleſcant, ſi iraſcâre agnita videntur. Neq; mitiora in Cancellarium; imò vltra ſatyræ acumen, emiſſarium ſcriptum, propè accuſationem continebat. Sub titulo *Compendium Conſiliorum Cancellarij Magni.* Summa capitum eiuſmodi. Rebellioni Coſacorum ſtudio quæſitas cauſas, ex convulſione Pactorum ac amicitiæ cum vicinis Principibus; hinc, Ottomanum acrioribus literis; Scytham, retentis donarijs; Suecũ, tituli Regij denegatione; Moſchum, procuratis diſgratijs; irritatos. Iam ad aggrediendum bello Turcam, excellentis animi Regem Vladiſlaum, Republicâ inſciâ, ac inconſultis Ordinibus, ſuccenſum; acceptatam cũ Venetis armorum ſocietatem; Europæos Principes in id belli ſolicitatos; Cæſaream, Sueticamque militiam, dotali Ludovicæ Reginæ gazâ, inautoratam; Coſacos inſtinctu, promiſsis, ac ſubmiſſo ære in bellum impulſos; quos demũ paratus, evaneſcente belli Turcici famâ, in Patriam verterint. Tum, ad præſentia delati. Aſſecuratam recens imagine pacis Remp. exautoratas cohortes, dimiſſos veteranos; demum, ardente bello contractos ſub ſigna Tyrones, non indictis ante in ſtipendia contributionibus. Publicæ Motioni, obſtinatè contra validas ſuadentium rationes repugnatum. Depreſſas ſtudioſè hoſtis vires, exaggeratam multâ hyperbole ſubmiſsionem, & ſine prælio pacem, ſine diſcrimine triumphum, imaginativè exhibita. Quibus peſſimè ſuaſus Rex, contra hoſtem ierit; &, niſi Deus per adſtitem Angelum protexiſſet *Vnctum ſuum*, omnes in vnius conſilio perituros. Omitto reliqua, magis ex livore & odio iacta, quàm publicum tangentia. Hæc, idoneum cõmentarium ſecutus, ne diſsimulare videar, ſubiunxi; quibus tunc æmuli, fortunam tenentis arbitria rerum Archiaulici, vrgebant. Verùm, vt falconibus, minorum gentium aves infeſtæ ſunt, volatu aut crocitu; non tamen nocent vel pungunt: ita, faſtigiatam felicitatem allatrant tantùm invidi, non mordent. præſertim, ſi potentiæ vis, ſtabili Principis gratiæ, tum prudenti moderationi, velut fulcris innixa, ſubſiſtat. Hîc tum fluxus & reflexus Aulæ, per vituperia aut laudes, in vtroq; immodicè æſtuantis.

1649.

Igitur, pactio Zboroviana per legem publicam approbatur; brevi admodum contextu legis, acſi expediret ſuccinctè ſcribere ea, quæ diffuſè audire libebat. Invenit ibidem promeritas grates, palmaris Zbaraſcenſium militum virtus; laudatæ publico præconio & Zborovianæ legiones; deſtinato Lublino; vbi, tributa Provinciarum conferrentur, & miles promerita æra numeraret. Conceſſum ſuper hæc *Donativum*; quo virtus (dum querneas, aut gramineas coronas dare non noſtri moris) gratuito ære, repremiaretur. Meritis quoque Hieremiæ Ducis Wiſniovecij, Terrarum Ruſsiæ Palatini, tributum; vt omnis quam Horol amnis alloeret ora, eidem in hæreditatem Ordinũ conſenſu addiceretur. Etiam Radivillus, Exercitûs Lithuanici Præfectus, nè non ex fama tantùm, quæ geſſerat noſcerẽtur, propè triumphi modũ in aream Arcis Varſaviæ ingreſſo, exhibebat XL. rapta ex hoſte ſigna, aliaq; cum captivis ſpolia. Eas manubias, vbi ſuccinctâ in militarẽ ſtylum oratione, præliorum locis ac diſcriminibus enumeratis, pedibus ſubiecerat Maieſtatis, Numinis favori, ac Regis fortunæ, debitam victoriam aſcribebat. Non iniqo oſtentator ſui, ſi ſubditi cum Rege, & minoris cum maiore periculo, comparatio abeſſet. Verùm huc verti iactatio victoriæ viſa, vt quam

Rex

1649. Rex generalem per Lithuaniam armorum Præfecturam, conferre (valetudine impedito ſupremo Duce) moraretur; illud regimen, vltra civilia ſpirans animus, oſtentatione meritorum præriperet. Non tamen ideo quidquam ex debita laude detractum, conceſsâ Neveliæ, ac Siebierij quam ex iure feudi poſsedit ditione; vt deinceps, in hæreditatem verteretur. Res monetaria, magis privatorum rationes interturbavit, quâm in publicum commodum ceſsit; dum externi numiſmatis valor imminuitur. Talerorum inprimis *Kopowe* dictis; qui, dum adulteratâ materiâ, aut depreſso valore, pretium non implent, ſubditi officinis in vernaculos nummos recudebantur. Ad ea, quæruntur mercatores; plebs, autoribus malè imprecatur; prodigis, novæ numerorum rationes diſplicent; etiam avari torquentur adeo, vt in contiguo campanili Viazdoviæ, ſacricola quidam, huic mamonæ Deæ incubus, dum meliorũ incurioſus, depreſſum nummi pretium dolet, laqueo infelix homo vitâ abruperit.

De loco Metropolitano Kijovienſi in Senatu aſsignando, (is venerat quidem Varſaviam, non tamen eam dignationem efflictim depoſcere viſus) verbis acrius certatum. Eo tùm Præſulatu ex collatione Regia fungebatur, Silveſter Coſſow patritiâ apud Roxolanos familiâ genitus, aliquâ doctrinæ, etiam morum famâ. Pro admittendo faciebant, ſponſio Principis, ac Pactorum impletio; citra iacturam authoritatis Antiſtitum concedi locum poſſe, multi diſſerebant, Regis vt vocant *Beneficiato*. Intereſſe multum Reip. pacis obſidem habere eum, dum honoris ſpecie retinetur. Primas Sacrorum gentis, & in populum obtentu religionis validus. Qui ſi in partes Regias agit, habebitur velut inſtrumentum, continendæ in officio plebis Roxolanæ: ſi frui non fuerit, conſeſſurum in Senatu, tanquam apud alteriùs mundi homines: ac mox, vbi ſatietas dignationis capit, ſponte loco deceſſum iri. Quod diverſorum in Fide rituûm officere nihil, cum pleriq; ex Diſsi-

Diſsidentibus, probè Senatoriam expleant functionem. 1649.
Iam, ſi ſæcularibus in Regis conſilio, qui diverſa ſacra ſequuntur locus eſt; eccur Primati Ruſsiæ conſidere non liceat? Si excluditur, non alium ſanè ſpecioſiorem prætextum turbandi Chmielnicio, quàm in primi capitis puncto, prætensâ ſcilicet religione, *Pacta* violari. Verùm Præſules acriter obſiſtebant, deceſſuros ſe Senatu, vbi veniret ille minitantes. Præiudicioſum quippè Orthodoxæ Eccleſiæ, infamè ſibi (*aiebant*) cum adverſario Primatus Petri conſidere vnà; damnandum mox à curia Romana ſyncretiſmum talem, ac in Regno Apoſtolicæ Sedi addicto, Epiſcopos pro fautoribus Schyſmatis aduituros. Senatores quidem à fide Catholica differentes, in tantum non arceri Senatu, quatenus ad politicam Regni adminiſtrationem rationes adferunt; diverſorum verò rituum Spirituales, nunquam cum Orthodoxis Præſulibus, in rationibus Status, animo ac conſilijs ſociari. Abijſſe è conclavi Regio Oleſnicium Cardinalem, imò ſacris interdixiſſe Metropolim Regni: dum Vladiſlaus Iagiello cum Huſsitarum Miniſtro, converſationem ſuſpectam alit: ſe vero in præſens admiſſurus, vt caput Græco-Ruſsi Schyſmatis, Romanæ ſedis ex profeſſo inimicus, non modo ſecum conſilio publico interſit, verum etiam de loco, aut præſidentia certaret. Non potuiſſe quenquam nè Regem quidem, in præiudicium Eccleſiæ paciſci; neque tanti eſſe Zborovianam pactionem, vt immunitates Eccleſiæ veterimas, novella ſtipulatio, eaq; neceſsitate extorta infringat. Hæc Antiſtites. Planè conſtitit, vbi exploratum Kiſielio de obſirmatis Epiſcoporum ſuper non admittendo voluntatibus, primò protelandum negotium, dein, regreſſum Metropolitano perſuaſiſſe, ſecuriori cupitæ admiſsionis non venienti, quàm reiecto.

Hîc finis Comitiorum, quem & ego huic Anno impono; tot Civium ſanguine purpurato.

ANNALIUM POLONIÆ REGNANTE IOANNE CASIMIRO LIBER TERTIVS.

An. CH: M. DC. L.

Elenchus Contentorum.

Labes ſæculi ex crebris per diuerſas Monarchias rebellionibus. Præcipuè Neapoli Maſſanieli ſeditio. Gravior in Anglia contra Regem Parlamenti commotio, eum execrandi ac deteſtabilis facinoris ſuccincta narratione. In Polonia Kazanovius Curiæ Marſchallus moritur, cui in eo munere ſuccedit Lubomirius. Deceſſus item Korecij Ducis, inclitæ familiæ vltimi. Vkraynæ ſtatus. Chmielnicij Kijoviæ ſubſiſtentis ſuperbia, ac diſpendioſa in Scythas largitio. Pacta in effectum deducendis Kiſielius pergit; etiam Exul Nobilitas, ſed vtrique eluſit: dum in bona reinducuntur Domini, mox à plebe exagitati, aut trucidati. Chmielnicio aliquid agere oſtendens in albo conficiendo hærent. Legati à Moſcho Varſaviam veniunt, qui donec ablegatus noſter Moſchuâ redit, detinentur. Legatus item Hani Crimenſis ad Regem; cum quo ſimul Denhoffius è Taurica dimiſſus; in breui & Duces Exercituum Libertati reſtituuntur. Chmielnicius album Coſacorum Regi transmittit. Scythis in Circaſſios auxiliatur. Necdum cum in priorem inſaniam relapſo, Nuncium Turcæ & dona recipit; vnde in nefaria contra Patriam conſilia prolabitur. Deceſſus Oſſolinij Cancellarij. Pro vacante eo munere Candidatorum ambitus. Soldrſcius Epiſcopus Poznanienſis moritur. Thimothei nuptiæ in Valachia agitantur. Brevis Valachiæ deſcriptio. Vt illuſum Noradino bellum in Moſchos parnatio. Potocius Generalis ad Camenecum Caſtris conſidet; prædones montanos compeſcit. hinc prætextus Chmielnicio pacta Zboroviana violari. Eius ad Generalem arrogans Legatio.

Legatio: Valachiam interim cum Scythis invadit. Vnde miſer Palatinus grandi ære pacem & abſceſſum emercatur. Miles Polonus in Caſtris ex indigentia fremit. Commiſſio Lublini exolvendis ſtipendijs indicta, legiones interim condito armiluſtrio in hyberna dimittuntur. Kiſielius rebus infectis Vkraynâ abſcedit. Vbi turbæ rurſus invaleſcunt. Chmielnicius Cameneco intercipiendo attendit; Turcis gratificatur; quorum cum Venetis navale prælium, & virtus memorabilis. In Claro-monte Virginis MARIÆ imaginis, ad Sacellum tranſlatio. Rex Ordinibus Comitia indicit. Coſacorum ad eadem Internuntij cum quibus poſtulatis, & quàm ea non ſine indignatione accepta. Kiſielij pro Coſacis, aut verius contra Vnionem ingens ſtudium. Wereſczaka Ruthenus arcanorum Aulæ proditor. Senſus Ordinum pro bello gerendo. Commiſſarij nihilominùs pacificandis rebus in anteceſſum expediti. Nobilitati publica Expeditio indicta. Anglo Regi ab Ordinibus pecuniarium ſubſidium. Cracoviæ tumultuatur, Studioſis Hæreticos vexantibus. Iubilæum per totam Chriſtianitatem vniverſale medio ſæculo celebratur. Hebdovienſis Monaſterij Baſilica fulmine icta, ac combuſta, Norberthanæ familiæ Primas in Polonia ac Matrix. Demum Chriſtinæ Reginæ Sueciæ Coronatio, ſimulq; Caroli Guſtavi, Palatini in Principem, eiuſdem Regni hæreditarium deſignatio. 1650.

REcenſui annum motis in Regē armis rebellibus prorsùs execrabilem, & ad invicem colliſarum partium mutuâ ſtrage funeſtum: aſt, non vnius Ruſsiæ labes ea, veriùs degenerantis ſæculi opprobrium; dum, velut ex condicto, erga Regnantes fide obſequioq; exutis, in florentiſsimis Europæ Monarchijs tumultuatur. Etenim, ſub annum M. DC. XL. VII. Neapoli repertus homo ſortis extremæ, Maſſanielus, qui concitâ vrbis multitudine, ſub prætextu oneroſæ tributorum exactionis, rationes Imperij Hiſpanici cōturbârat adeo; vt Prorege in curia obſeſſo, tollendos gravaminum abuſus, per ſeditionem extorſerit. Verùm, obiter deſævijt hic turbo, oppreſſo mox autore, ac Ordinario Magiſtratu in priſtinum ſtatum reſtituto. Enormior ſub annum præteritum in Anglia rerum commotio exarſit. Imperabat Anglis Carolus è ſtirpè Stuarda Iacobi VI. Filius; qui primus Scotiæ, ac Hyberniæ Regnis, in vnum corpus cum Anglia coalitis, Magnæ Britanniæ Regis titulum vſurpavit. Manſit Patri ſtabilis & pacatâ, donec vixit, dominatio; vtpotè politicis artibus apprimè imbuto; diverſa ſor-

1650. ſa ſorte Caroli: cui, etſi itidem mite ac tractibile ingenium, cum Rege Gallo per ſororem contracta affinitas, cognatorum Principum ſtudia, aliaq; fulcra potentiæ adeſſent; ab intra omnia in convulſionem ſtatus Regij, & periculum, verterant. Rex, in cauſa religionis ſummo iure aliquid promulgari voluit; adverſabantur Ordines, vtrisq; pervincendi in contrarium niſus; vnde, ex mutua diffidentia, aliquot annorum diſsidiũ, in bellum deſinebat. Dehinc Parlamentum, quæ eſt ſuprema Anglis Iuſtitiæ Curia, armis prævalens, Oxoniæ Regem obſidet, ac Scotorum fidem ſecutum, bello proſequitur: mox cum Hamiltonio infracto partium aſſertore profligatum, in cuſtodiam proch ſcelus! abducit. Ex eo ſucceſſu Thomas Fairfax Exercituum Generalis, cum Oliverio Cromuello Cancellario triumphant; Exercitus prætio corruptus applaudit; Populus miro aſtu ſeductus, aut faſcinatus, rem ſuam agi perſuadetur; omnes deniq; ſimulatione deluduntur. Ad propoſita paciſcendi media, Rex conditiones quaſcunq; ratas habebat; eæ, quòd faciliùs acceptatæ ſuſpicionem, mox metum iniecêre; ne, quas neceſsitas extorſit, temporis opportunitas irritas rederet. Itaq; admotis copijs, Londino dies Regi dicitur, Ijs accuſationis capitibus. Quòd Parlamentum à Rege deſpicatui habitum; iuriſdictio eius ſubſellij annihilata, ſpreta Edicta & in tollendam ſacroſanctæ Iuſtitiæ domum conſpiratum. Cruento item bello, cuius ex Rege cauſa, involutam Angliam, vexatam Scotiam; Irlandis interim, qui ſeditione Regnorum vnionem convellerent, pravo exẽplo indultum. Horum reus peragitur Carolus in Iudicio, quod CL. viris, ex Optimatibus, plebe, ac milite de novo lectis, componebatur. Quicunq; Regi fidi aut Iudicũm partes detrectaverant, carcere vel exilio mulctati. Inſtructa lite, ſiſtitur coram Tribunali Rex; obijciuntur crimina; producuntur literæ, teſtes, aliaq; inſtrumenta haud convincentia. Pulſatus interrogatione ſuper obiectis, præter exceptionem Fori & Iudicum, reſpondit nihil. Fit iterum litis

tis conteſtatio, producitur, requiritur; etiam tùm nihil de iure reſpondet; niſi iudicem, præter Deum, cui immediatè ſubſit, nullum agnoſcere; infra ſe poſitis cunctis, quocunq; titulo magiſtratib⁹: nec cuiquam in ſe ex ſubditis, ſibi in omnes competere, merum ius & imperium. Ita, dum certus accuſator non comparet, Populus Anglicanus Delatoris partes ſubibat, idem accuſans & iudicans: ac, quòd nullo iure potuit, ſummâ iniuriâ deſtinatum facinus exequitur. Tandem, die XXVII. Ianuarij, in Palatio Withal, ſententiam mortis immotus accipit. Inauditum ſanè facin⁹, cùm ex Iure naturæ omninò nefas ſit, ſtare eos ad ſubditorum Tribunalia, quos Deus ſibi Vicarios, populis Iudices dediſſet. Etiam Legi Civili proceſſu contrario, perquam iuridicialis redargutio, in Regibus tollitur. Decreti ſumma fuit. *Carolum Stuardum Angliæ Regem, multorum criminum reum, quæ iudicialiter diluere, dedignaretur, tanquã Tyrannum, Proditorem, Hoſtem Patriæ, morti addici, ac vt decoletur ſententiari.* Ducitur enimvero Rex damnatus in extructum pegma, ſeptem palmos à terra erectum, vbi deinnocentia ſua diſſeruit quantum ſatis; dein, extrema morituri verba fuêre, à Mauritio olim Imperatore in conſimili tragædia vſurpata, *Iuſtus es Domine & recta iudicia tua* (addebat Carolus,) *qui permittis non rarò, vt per iniuſtum ſupplicium, commiſſam culpam iuſtè eluamus. Fateri & agnoſcere, nunc capitali pœna, talionem à ſe exigi, ob Thomam Straffortium Proregem Irlandiæ permiſſu ſuo capite mulctatum.* Quæ poſt, condonatâ inimicis offensâ, nullâ vt apparuit imminentis mortis formidine, caput iuſtitiæ miniſtro reſecãdum præbuit; cùm ſe priùs in Proteſtantiũ Auguſtana confeſsione mori declaraſſet. Exangue corpus Windſorem, regio ſepulchro infertur, brevi tumuli inſcriptione. *Carolus Angliæ Rex. Anno 1649.* Ita tum tumultus Anglorum Regicidio ſtetit, vix audito ſæculis exemplo, poſteris deteſtabili. Reperio, tanti facinoris potiſsimam ex Religione cauſam promanaſſe. Carolus namq; recepto perperàm

1650. ab Henrico VIII. more, pro capite Anglicanæ Eccleſiæ ſe gerens, ritus quoſdam ac ceremonias obſervari volebat, mollioris Lutheraniſmi ſequax: obſiſtebant Calviniſtæ, nihil, niſi ex puro Verbo DEI, cultum eius crepantes. Hinc diſsidio fomes, regali ſanguine extinctus, aut ſuſcitatus. Quod, etſi dolendum, manifeſtam nihilominùs vindictam Numinis detegit; vt qui Sacerdotium Regno confundens, pro Capite Eccleſiæ ſe geſſerat Rex; & Regno & capite privaretur. In cuiꝰ indignã necẽ, Regniq; internè colliſi miſerã faciem, non invenuſto diſticho alluſit noſtratium quidam.

Cur tam delira præceps ruit Anglia mente?
Nempè, ſuum ferro meſſuit ipſa caput.

In Polonia, Annum hunc incepit funere ſuo Adamus Kazanovius Curiæ Regni Mareſchalcus, togæ meritis præclarus, bellica minus curæ habuit; antiquâ è Grimalio ſtemmate familiâ, vitam ſplendore Senatorio tranſegerat. Hunc olim, Vladiſlao IV. adhucdum adoleſcenti, adeo percarum fuiſſe memorant, vt Sigiſmundus Pater Rex, Filio, ne annulum quidem ſibi à Matre datum retinenti, (eum Kazanovio donaverat) prodigalitatem exprobrare neceſſum habuerit. Eâ viciſsim Civis in liberalem Principem animi teſtificatione, vt Kazanovius, divendito quantùm habebat patrimonio, ærarij Principalis anguſtias ſuppleret, è privato cenſu. Vnde, miratus aliquando Vladiſlaus, eius in ſe affectum, quæſierat. *Itane verò Kazanovius causâ ſui patrimonium decoxiſſet?* cui ille. *Sic fortunam meam tecum Princeps coniunctam velim, vt Te favente indigens eſſe non poſſim, abſq; Te, dives fieri nolim.* Poſt Kazanovium virga Curiæ directrix, transfertur in Georgium Lubomirium, Minoris Poloniæ Generalem: per merita & caſus ſuos, vt fert lubrica auliciſmi via, crebro nobis poſthac memorandum. Neq; eo tropico fortuna viri ſtetit, dum in ſupremum Regni Mareſchalcatum, brevi provexit eundem: Lucas quippè Opalinius, ſupra triginta annos eo functus munere, quo tranquillius ad æternitatem compararet animum,

Kazanowſki.

Opalinſki.

mum, renunciaverat Magiſtratus ad tædium exerciti faſcibus; quantum reliquum vitæ, LEZAYSCY, (hîc imago Virginis Matris in cœnobio Bernardinorum miraculoſa habetur) tranſacturus. Et quidem Opalinio, ne non extremo ætatis, ſine honore edecumatus ſenex ageret, confertur Palatina Ravenſis dignitas; Nepoti verò, eiuſdem nominis Lucæ, poſt Lubomirium Curiæ Mareſchalcatus: ſolitâ in emeritas ſtirpes Regum inclinatione, vt fidem & promptitudinem maiorum, radicitùs inſertam animis poſterorum credant. 1650.

Mox, vt fermè Optimatum funera ſe concomitari ſolent, Samuel Carolus Korecius in ipſo ætatis flore, præclarâ apud Regem, & Concives famâ, rebus humanis eximitur. Ab Olgierdo Lithuaniæ Principe deſcendente lineâ genus duxit, ſanguinis prærogativâ Dux, Maiorũ ſub Coreciorũ vocabulo, celebrata fortitudine. Samuelem comprimis avum, annalium teſtimonio habuit egregiè fortem, & Turcicis prælijs diu illuſtrem; donec in Thomſæ Moldavi perfidiæ caſſes incidens, Ottomanno captivus miſſus, Bizantij interiret. Memorant, ad aſpectum Heröis proceritate inſignis ac robuſti, attonitos hæſiſſe Barbaros, dum martiã indolem, vultuſq; etiam ſub catenis formidatos ſuſpiciũt. De cuius animi corporiſq; robore, numeris patrijs compoſitos verſus memini, ad reminiſcentiam virtutum Herõicarum reducente modulamine. Neq; Carolus ab avitis veſtigijs degener, laudabili in gloriam conatu aſſurgebat, niſi immatura morte præveniretur. Cuius cauſa, quòd minimè ſperes, ab imbelli manu provenit; vitam namque connubio ſtabiliens, inter nuptiales tedas, diris devotionibus, ac incantamentis ſublatus, vltimus bellatricis familiæ hæres, lucernam Corecij nominis in ſe extingui fecit. O curas hominum! ô quantum eſt in rebus inane! Ad Zborovum bis cæſo equo, ac hoſtium telis penè obrutus, incolumi vitâ pugnaverat, quàm inter vota & applauſus amicorum, à ſceleſta manu, in talamo poneret. Aſt in hunc Orbem

Korecki.

1650. Orbem vertitur Orbis; qui ſunt, deſinunt; incipiũt, qui nõ fuêre; in ordinem mortalitatis nati: admittimus poſteros, & poſtquam bona ſæculi vidimus, cedimus venientibus.

Vertiginoſæ interim Vkraynæ qualis in præſens ſtatus, ordo dicendorum enuntiare poſtulat. Chmielnicius in Vkraynam redux, non eum ſe tulit, qui fidem & obſequiũ ſupremæ poteſtati præſtare teneretur: verùm, effræni novæ potentiæ appetitu præceps, ac maiora indies volvens animo, depreſſo ſe loco ſtare credebat, niſi ſui Iuris independenter ſteriſſet. Reputabat ſuperbus homo, ad *Zborovũ* velut in ſtatera, libratam ſui Polonorumq; potentiam: vnde, monſtratum Orbi, non futile Coſacorum nomen, & amicitiam tanti conſtare, quanti armis valuiſſent. Stipabant tres legiones latus, in cuſtodiam, ex probatiſsimis Coſacorum cooptatæ; circumequitabant ter mille conducti; Scythæ, præter ſolitam laterali comitatui turbam. Efferebat plebs Ruſsiæ, exitio ſui conſtituram Ducis felicitatem, victosq; *Lachos*, ac perpetuam libertatem iactabat: cùm interim imperatâ capitatim pecuniâ, per immites exactores corraderetur, qui oppida vicosq; in quantociùs exolvendum æs vrgebant. Eo quippè tributo, Crimenſi Hano præſtitâ bello operâ rependebatur. Addidit Chmielnicio Quinquies Centum Mill: Imperialium, ex privato peculio donarij nomine, in eam repentè evectus fortunæ immenſitatem, quæ magnis alioquin Principibus, vix per diuturnum in alta pace imperium, conquiri valeat. Etiam hæc dum non ſufficit largitio, populoſa municipia Tyræ contermina, (cauſatus quòd *Lachorum* partes ſæcuti incolæ, & nunc eorundem iuris extra lineam eſſent) in prædâ ac manubias Scythis proſtituit. Quo nomine innumeri mortales, in ſervitutem abducti, vel hinc miſerrimi, quòd apud Barbaros humana mancipia, eò loci ſint, quò & pecora.

Pactis in effectum deducendis, negotium dederat Rex Kiſielio, iam tum poſt ſublatum morte Ianuſsium Tyſzkievicium,

vicium, Kijovienſi Palatino, cum Maximiliano Brzozovio, Provinciæ eiuſdem Caſtellano. Neq; ingrati ſperabantur apud Coſacos hoſpites, quòd longa antehac commanſione inter accolas Vkraynæ cogniti, etiam vterq; Orientalis Eccleſiæ ſacra profiterentur. Iſtis aggregabatur paſsim Exul Nobilitas, immemores iniuriæ animos, in ſpem futuræ admiſsionis oſtendens; cùm magnum calamitati fomẽtum ſpes ſit; & non ſentire mala videtur, quem diutina expectatio ſuſtentat. Qui Commiſſarios Reip: adeſſe nuntiaret præmiſſus Thomas Soſnicius, à Chmielnicio oſcitanter accipitur; ac menſis ſpatio detentus, nullo certo reſpõſo redibat: præterquam alacrem eum tantorum hoſpitum adventum præſtolari, vt mandata Regis exequerentur; ac ſe, ſopiendis in plebe turbis prorſùs invalidum, autoritate quâ venirent, ſublevarent. Nihilominùs Nobilitatis in poſſeſsiones reinductionem differendam ſuaſit, quoadvsq; confecto Albo, apprehenſio bonorum tutior foret: facto inter hæredia, & Regalia diſcrimine. Itaq;, adventantes Cõmiſſarij, inter multa non ſimulantèr cupitæ pacis argumenta, accepti ſunt: Chmielnicio literas Regias (credentiam vocant) multo oſculo ac lachrymis recipiente, & exactiſsimè, in omnibus profundum fingente obſequium. Poſt primos congreſſus inter convivia abſumptos, vbi vacavit, Palatinus de Rege plurima vt potens, & ſucceſſu armorum invictus; rurſum ab innata clementia vt mitis, & benignus, aliaq; diſſerebat, per quæ malè ſanum cerebrũ, æquilibrio ſuo reſtitueret. Dein actum, quæ adimplendis pactis ſerviebant, abundè omnia pollicente illo, modo matricula ſeu Album militiæ Zaporoſcenſis conficeretur. Sine quo (aiebat) delegatum pacis negotium, vt nec homo niſi infusâ animâ, reviviſcere poſſe. Quî verborum modeſtiâ, prudentiſsimis viris impoſuit, vt Bohdanum naturam, & aſſuetudinem fallendi exuiſſe crederent. Itaq; Palatinus Nobilitati, quominùs ſe extra lineam contineret, autor eſt; ſilentè feſtinant mox laribus quisq; ſuis gaviſuri. Menſis

Brzozowſki.

Soſnicki.

1650. vnius interſtitium poſcebatur, in quod haud ægrè aſſenſi, ſubſtitêre ex voto ſuadentis exules, vel id ſolùm ſibi gratulati, quòd extimam natalis ſoli oram, pedibus contingerent. Interea Chmielnicius ex ſemente belli, meſſem colligebat. Municipijs quæ ad dominos reditura tributa indixit & exegit; alia Tribunis elargitus, aut quos ſibi magis obnoxios rebatur, annonæ & pecuniæ corradendis. Involavêre illi in Præfecturas; arces, prædia, horrea, apiaria expilabant; pecora ac equireas abigebant; quidquid deniqúe in rapinam cadere potuit, proprietarijs interceptum. Vnde in autorem opima vndiqúe conferebantur, diteſcebatque ex ſpolijs omnium vnus, tum demum de immobilibus diſputabile ius relinquens, poſtquam quæ auferri poterant, ſui iuris fecit. Poſt Octobrem, evolvebatur alter menſis; cùm Palatinus quæritur haud integra fide ſecum agi, admiſsionem realem vrgens quantociùs. Bohdanus iterum hæſitat, donec tandem aliquando Kiſielium, vt velut Prorex Kijoviam pergeret, hortatur. Ingredientem ſequuntur Exules, deploratis penatibus poſtliminio reddendi: Oſtentatur imaginaria reinductio, imperatur ſubditis obſequium; aſt vix pedem in poſſeſsionibus Heri figunt, cùm recalcitrat multitudo, ac non diu exoſæ dominationis tolerans, prorumpit in cædes. Studio conſervandæ vitæ, linquunt iterum domos, Kijoviam ſe recipiendo, vbi negata in vrbe ſtatione, extra pomæria conſiſtere coacti; cùm rarò cuiq; buccellam panis, aut manipulum fæni, ex ditionibus proprijs efferre daretur. Interim, aucto in immenſum victualium prætio, aut poteſtate emêdi impedita; miſeri, ſi quidquam æris, noviſsimos in vſus reſervaverant, emungebantur. Diſcuſſo demum ſopore Palatinus, intenſius in opus curas verſurus, accito Metropolitano Ducem adibat, ac quam frigidè vtriq; in exequêdis pactis, ſe per id temporis geſſerint exponit, ac vrget. *Mea* (inquit) *in aggrediendo* Pactorum *executionis opere remiſſio; vergentis in extremum ætatis vitium fuerit: tu Dux quan-*

quanta alacritate, perficiendo negotio te accinges, tantùm in Patriam ac Regem, fidei tuæ ſpecimen dederis. Maturandum proin, quo & ego pigræ ſenectutis torporem reſarciam, & tu prompti obſequij gloriam merearis. Ad hæc Chmielnicius; nullam ex ſe moram paci promovendæ reſpondet; verùm eius negotij molem, prægrandi quærcui conſimilem, quæ vt creſcat, ſæculum abſumit. Tum aliquid agere oſtendês, vrbanum Magiſtratum, in nomen Regis coram Palatino adigit; in autores cædis Holubij viri Nobilis, recens crudeliter interempti inquirit; ſiccarios in vincula raptos ſupplicio afficit; eâ in factum auſteritate, vt incorruptum iuſtitiæ aſſertorem crederes. Vbi ad conſcribendum Album Zaporovianum devenêre; hîc demum Rhodus, hîc ſaltus fuit. Veterani quidem Coſaci, ſtatum pactis circumſcriptũ non abnuebant; verùm ditionum alienarum invaſores; ac, vt quisq; è vulgo turbidior, arridente licentiâ, adſcribi matriculæ ſatagebat: vnde omiſſorum, proceſſerát vltra verba querimoniæ, ad XL. Mill: congregatis, qui ad priſtinum ſubiectionis ſtatum redire palam detrectarent. Per delegatos ea turba expoſtulavit cum Duce. *Itane verò deſereret ſuos, & qui defendere de ſe meritos debeat; immani Polonorum tyrannidi proderet? Pacis nomen decipulam eſſe, ac ſub ſpecie imaginariæ compoſitionis, enormem latere dolum? quo diſarmato ipſo & militibus fidiſſimis nudato, diviſim vtriq; interirent. Cæterum ſi deliberatum Chmielnicio decipi & perire: inventuros alium, qui meliore fide & induſtriâ, publicæ Coſacorum incolumitati attenderet.* Talia plebs à Tyra & Bogo maximè, cui Neczaius temerarium caput, eâ ſuper iniuriâ requirendi Ducis animos fecerat, facilius innuens ab vniverſis quæ ſinguli nequirent obtinenda. Ad quæ ferociter iacta, Bohdanus, palam formidinem novi motus præſetulit: quippè, non vanus ſuberat timor, ne exacerbata multitudo incurioſum vt rebatur ſui deſereret: ac ſciſsis ſubſtituto alio ſtudijs; per quos in illo apice ſteterat, eorundem ſeceſsione caderet. Quæ inter, reſumpto aut abiecto

1650. iecto *Regeſtri* codice, caput ſcalpere ſolitus tergiverſabatur, identidem Palatino quid revera ſentiret aperiens. Nimirum tractatu Zboroviano ad impoſsibilia ſe obligatum, indiſcreta militiæ Zaporoſcenſis ad numerum XL. Milliũ reductione. Hinc fieri vix poſſe, ne tanta hominum multitudo albo excluſa, ſibi vel Polonis atrox bellum, de novo inferat neceſſe. Maximè verò delectibus illis Wiſnioveciana, ac Koniecpoliana hæredia petebantur: tum, quòd Heröibus ampliſsimæ per Vkraynam ditiones, ac ideo alienatis colonijs minuendos reditus hoſtis volebat; tum quod bellaces viros, ſi intra meditullium Vkraynæ commorantur, implacabili vtrinq; odio haud quieturos, non vanè pertimeſceret. Vnde, quidquid ad iſtos opulentorum redituum ſpectabat, interceptum eſt. Mlioviæ quæ Koniecpo-
Mliow. lij ampliſsima ditio, pro cineribus tinctorijs qui colorandis pannis elaborantur, (vulgò Potaſſe,) eo mercimonio in Valachiam venum diſtracto, ad bis centum millia Imperial: corraſa, in commodum Chmielnicij ceſſere. Sed quid cineres memorem, recens ex ſtrage crematarum arborum, congerendæ pecuniæ inventum, Septuaginta Koniecpolio interciderant eo bello, maioris nominis, vrbes in Vkrayna conſiſtentes, præter innumeros vicos ac mappalia; ex quibus ordinarij proventus, ad cenſum ingentis patrimonij, quotannis ſumebantur. Ita factum, vt quæ corruptio vnius erat, alterius in acquirendo, generatio eſſet.

Ablegatos in Moſchoviam retuli, Cieklinium, ac Wia-
Cieklinſki. Wiazie-wicz. zievicium, in veteri amititiæ vinculo Moſcho confirmando. Redierant iſti nullo definitè reſponſo; ſiquidem Dux ille, per legatos expoſituram recipiebat, vnde læſum ſe ac violata pacta prætenderet. Venerant proin, Alexius Turbecius, cum Gregorio Puſzkino, comitatu ac faſtu inſolitis; ipſiſmet, quod renuntiando fœderi adeſſent famã ſpargentibus. Nimirum ex deſtinato Pacem peroſæ genti intererat, colorem bello quærere; quem facilè nanciſci ijs, quos otij tædet, ac ruere in arma deliberatum. Extimulabat

1650. labat Moſchum, vniverſalis Monarchiæ Ruſſorum ambitus, iure belli acquirendæ; dignum famâ ac nomine ſuo rebatur, ſi communium ſacrorum causâ belligerans, pro protectore Orientalis Eccleſiæ audiret; inſuper metus, ne inattritam mutuâ armorum colliſione Vkraynam, immiſſo Turca, in ditiones quoq; Moſchoviticas, per latiſsimum Septemtrionis tractum diffuſas, Ottomanicis armis oſtium pateſceret. Naturâ ingenijs eorum inſita formidine, vt dum tuta timent, impendentibus malis tempeſtivè provideant. Alta iam inter Magnum Ducem & Chmielnicium, interveniebant legationum commercia, communicabanturq; arcana ſtatus, alterutrum tangentia. Id vnum enixè agente Bohdano, vt dum in præmonitionem alterius occulta enuntiat, etiam in minimis fidem ſecreti requirens, fraudium ſuarum artificium tegeret. Varſaviam legati adulto Martio venêre: quibus introducendis Caſimirus Ty- Tyſkiewicz. Weſſel.
ſzkievicius Pocillator Lithuaniæ, cum Alberto Weſello Curiæ Signifero miſsi, extracto per ſalutandi officia die, vt carpentum Regium, quod honori magni Ducis præmitti ſolet, inſcenderent, ægrè impetraverant; Moſchis identidẽ an Regius curr9 eſſet, multa ſedulitate ſciſcitantibus. Iſti, dum per viam colloquuntur cum Tyſzkievicio, ſiluit Weſellus, magis idiomatis eorum intelligens, quàm vt ſermones ſociare poſſet. Diſplicuit enimverò ſilentium Moſchis, apud quos loquacitas pro ſapientia eſt. Proin Puſzkinus, eccur taceret percunctatur? Ille, quòd non probè idioma calleret, tacere ſe malle reſpondit. Moſchus dehinc ſubinfert. Cur verò te (ſermonis noſtri ignarum dicere debuit) ſtultum ad nos Rex miſerit? Ad quæ Weſellus in primo motu vix ſibi temperans. Non ego (*inquit*) ſtultus, ſed ad ſtultos miſſus, cum quibus currulis miniſter meus, quòd idiotiſsimi veſtri non expers, deducendi honore probè defungi poſſet. Excivit promptius reſponsũ meditatam legatorum iram; vnde, velut laceſsiti iurgio forent, non Weſello modo, ſed ipſi Regi indignari oſtende-

1650. bant. Convocârat ſubinde Rex Varſaviam è Senatu cõplures, quid extra ordinem legatio illa adferret, excerpturus. Paſsim indicendo bello veniſſe ſpargebant; quæ verò faſtiditæ pacis cauſa nemo aſſequebatur, etſi facili coniecturâ, ex rebellione ignem ſuſtlari. Quippè, vt occiduo nobis Sol, Antipodis oritur; apud quos item die noſtra nox eſt; ita ſeditioni in ſecuris metus, in metuendis conſiſtit ſecuritas. Dato legatis publico, poſt prolixam Titulorũ Magni Ducis recapitulationem, violatam eius dignitatem quærebantur. *Quòd Proceres Poloni, ſcriptis ad Boiaros (ita Senatum ſuum appellitant) Moſchoviæ literis, indebita vel haud ſufficienti titulorum methodo, iniuriosè tanto Principi detraxiſſent. Iam à Regni Cancellario, habitam Romæ ad Pont: Max: orationem, quâ Vladiſlaus IV. vniverſi Aquilonis victor, ac iure belli Moſchoviæ Dux dicebatur, Regum Eccleſiaſtem Cieciſovium, multa in gentem probra, dum Schyſmaticos vocat, effutire. Publica item diffamatione traduci, per libellum Twardovij Poetæ Leſnæ impreſſum, quo devictam à Polonis Moſchuam, infame iugum ſubijſſe autor eſt.* Neq; reticebant qualiter ſalutatorio congreſſu, accepti, Weſellum legatis improperantem arguendo. Conficiebant ex præmiſſis, violatum à Polonis fœdus; ac læſa fœdera per contumeliosè tractatam Ducis ſui Maieſtatem, quem Deus ſuper alios Reges & Monarchas, amplitudine imperij & opum evexerit. Hæc Moſchi. Non alias magis ſuâ ac Reipublicæ iniuriâ Regem Caſimirum indoluiſſe ferunt; dum adeo procaciter inſultat, malis noſtris erecta gens, & in occaſiones nocendi intenta. Tunc quidem ſpretâ temeritate verborum, æquanime tulêre reſponſum: cùm ambitio, vbi temnitur, in ſeipſam mordax eſt; ſi iraſcare, perviciſſe videtur. Albertus Radivillus Lithuaniæ Procancellarius, ad capita propoſitionis, in eum ſenſum reſpondit. *Rempublicam Polonam perpetui fœderis, & amicitiæ iura, cum gente Moſchorum, ſacroſanctè colere: teſtari id Polanovienſem Conventum; quo in gratiam pacis, peramplo vltra Berezynam tractu,*

Cieciſzowſki

Twardowſki

cum diſpendio limitum Regni deceſſerit. Quid vltra peterent? niſi præmeditato diſſidio, viam bello aperire intendant? Si titulorum imminutio adeo læſit, vt in cauſam belli prætendatur; diſcutiendam venturis Comitijs cauſam, ac re iudicata, ſententiam reis (prout de iure venerit) ſubeundam. Etſi errata titulorum, magis ad imperitiam Styli Roxolani, quàm ad ſtudium lædendi referenda, nemo ſanus negaverit. In libros typis imprimendos, ccenſuram Regi non competere: Eccleſiaſticam curam eam; neq; tanti crimen eſſe, vt aliquot literarum apices, rumpendæ paci, ſufficiant. Vladiſlao IV. Moſchoviæ Ducis titulũ, Electione gentis, non Oratione Oſſolinij collatum liquet, eumq; biennij ſpatio vſurpatum, donec ex conventione pactorum abdicaſſet. Reliqua pro manibus ſcrupulis habenda. Compilarent & Moſchi Annales ſuos, ac pro libitu imprimerent: nequaquã Polonos, adeo ſeverâ criſi in faſtos eorum animadverſuros, vt aliquot iota, per incuriam, aut atramenti defectum omiſſa, ſanguine humano elluenda vellent. Mox legatis Varſaviæ tantiſper denunciata mora fuit, quoad internuncius noſter, pertentando Ducis animo miſſus, Moſchuâ rediret. Ad indictam manſionem incuſavere fidem liberi commeatus fractam: etſi non immemores, ſub Demetrio, noſtros biennio donec reſponſum datur, Moſchuæ detentos, non ideo tamen violati gentium iuris poſtulaſſe. Etiam faſtum eorum depreſſerat, quod dum ſubſiſtunt Varſaviæ, prodierat à Mareſchallo edictum, omne commercium, indigenis negotiatoribus inhibens, niſi ſingulari eiuſdem Magiſtratus permiſſu accedente. Solent namq; illi, in comitatum legatorum inſtitores recipere, qui à promercalibus immunes telonei, venundatione mercium quæſtum faciunt; parte lucri ijs decedendo, vel potius legatis ipſis mercatum exercentibus. Ad bis centum currus onuſtos, tum adduxerant. Aſt, vbi vetitum inſtitoribus negotiari, inviti Moſchi venalium ſarcinas claudebant, ad ſubductum lucellum murmurantes. Equidem, ſicut aqua multo igne ebulliens, leni oris ſpiraculo deturgeſcit: ita non lucta verborum, non

1650.

oppo-

1650. oppoſiti animi vi, quàm modeſta induſtria, & artibus egregijs, ſuperbiam rectiùs viceris.

Subſiſtentibus Moſchis Varſaviæ, venerat à Scytharum *Hano* Muſztaff Aga, militari vir animo, & quod in illa barbarie rarum, moribus compoſitis. Principis ille ſui nomine compellebat Regem, vt mutuo ſociatis armis, bellū in Moſchum ambobus iniurium, verteretur. Nihil è re noſtra opportunius accidere potuit; nam, ſeu belligerandū eſſet, non temnendum offerebatur in provocatorem viriū adiumentum; ſeu redintegranda pax foret, multum ex ſocietate tali, in averſionem belli interni, apparebat commoditatis. Confirmabat conſtantem *Hani* amicitiam, è Taurica redux Denhoffius: poſt quem Bieczynius Regis Internuncius, afferebat, præter devinctos barbaræ gentis animos, etiam in tribuenda captivis Ducibus libertate, Hanū non vsq; adeò difficilem videri. Eos ſiquidem tradi ſibi Turca volebat; renitebatur Scytha ne redimendorum pretium intercideret; in Poloniam ſi quantocius lytrum exolvitur, haud impromptè dimiſſurus. Super hæc, ſi de Moſcho diſcordiæ manifeſto, Rex iniuriam armis vltum iri C. Mill: Scytharum, Regia mandata quocunq; verterentur præſtolari. Ipſe verò Internuncius, vbi contigit in Aula aſpici; aut per viam cum Moſchis congredi; admota capulo acinacis manu improperabat; Capras barbatas eſſe, ac Phrygioniſſas ſub virili pilo, ſegmentandis peri-ſtromatibus natas dictitans, paſsim ac indignanter; quô in nos, & bellum ſtudia non ficta, teſtaretur. Adeò gens armis innutrita, non molli otio, aut illecebris hebeſcit; non diſpēdioſis ſtativis grave incolatui reſpirium quærit; ſed cōtinuo motu & actu, bellis, velut Salamandra igne, vivit ac ſubſiſtit. Ex bello ſeges, ex bello meſsis eſt; pro ſpicilegio manubias quærunt, melius docti ferro metere hoſtium capita, quàm ariſtas. Inde inter eos, quantò quis inter arma melior aut ſtrenuùs, tantò opum auctior, & rem familiarem ampliorem reddit. De eliberandis militiæ Polonicæ

Denhoff. Bieczynſki.

nicæ Ducibus, non verbo-tenus narratio ſtetit; nām mox Potocius, ac Kalinovius Patriæ ac penatibus reſtituti fuêre. Sanè ingens Dei beneficium, exitus de Ægypto tantorum virorum; cùm & Chmielnicius multa largitione enixiſsimè inſtaret, retinendis: & Aula Turcica præconceptum in nos bellum meditans, traditionem illorum apud Scythas licitaretur. Gnarus talium Moſchō, Chmielnicij cuncta referētis indicio: ac hinc fortè evenit, vt formidoloſa ſociandorum in ſe armorum mole deterritus, per ablegatum Regis Galinium, reſtringebat mandata priora; legatis data in cō-ditionatā belli denuntiationē: nempè, ſi detractionis titulorum rei, actione pulſati puniuntur; ac in reliquis rebō, prætenſionibus, ex veteri formula ſatisfit à Polonis, ita ſartam tectam pacem ſervare velle: ſin ſatisfactio negligitur, tum demum illatam iniuriam armis depulſurum. Quæ, vt legatis cognita, mox damnata priore immodeſtia, compoſitos aliam in ſpeciem animos tulêre; ſimulq; ad amica vtrinque colloquia deſcenſum: Moſchis identidem, quòd Barbarorum arma in illos, qui Chriſtiani eſſent, ſolicitarem-nō: noſtris, quòd maculoſo patrocinio rebellibus illigati, ac nullâ pactorum curâ refoverent ſeditionem, exprobrantibus. Demum, comiter Regio convivio excepti, donisq; (quæ illis dare mos, vt recipiant) ad ſuos cumulati redière.

1650. Potocki ac Kalinowſki Duces Exercit.

Galinſki.

Rex à Moſcho in bellum provocatus, à Scytha in Moſchum ſtimulatus, inter geminum defenſionis, & oppugnādi Martem neutri accedens; vnum metu in ſervanda ad tēpus pace continet; alterum obtentu fœderum, diſtinet-; probè gnarus, patrando bello plus virium; retinendæ paci, plus iuſtitiâ requiri. Has vtrasq; gentes, Scythas nempè & Moſchos, etſi multùm inter ſe infeſtas, prænenſabat Chmielnicius; iam vnius patrocinio erectus, alteriùs mox erigendus: quæ, dum ambæ in Aula noſtra negotiantur, etiam ille æſtimato in præſens ſtatu, rerum ſpecimen fidei ſuæ per Internuntios (*die 3. Maij*) exhibebat. Rei nucleus, in oblato Albo, ſeu *Regeſtro* Coſacorum, iuxta tranſacti-

1650. onem Zborovianam Regi approbando; quo in ſexdecim legiones militia Zaporozcenſis, ſtabili in poſterum obſequio, ac meliori Ordine Reip: militatura, continebatur. Quibus verò ſub Tribunis, & quantos delectus, vnaquæq; legio complexa, memoriæ causâ adnotabo. Prima erat ipſiuſmet Prætoria Czechrynenſis, cui imperitabat, Theodorus Iakubovicius conſtans militum Num. 3189.; Czerkaſſienſi, Ioannes Woronczenko, Num: 2989.; Kaniovienſi, Semenus Pawicius Num: 3120.; Korſunenſi, Lucianus Mozyra Num: 3472.; Humanenſi, Ioſephus Głuch Num: 3083. Bracławienſi, Daniel Neczay, Num: 2072.; Kalnicenſi, Ioannes Fedorenko, Num: 2046.; Kijovienſi, Antonius Adamovicius, Num: 2008.; Pereaſſavienſi, Theodorus Łoboda, Num: 2015.; Kropiwnicenſi, Filon Dzedzałyus, Num: 2053.; Oſtrenſi, Thymothæus Noſacz, Num: 1958.; Mirhorodenſi, Maximus Hładki, Num: 3158.; Puſtavienſi, Martinus Puſzkarenko, Num: 2783.; Nizinenſi, Procopius Szumeyko, Num: 983.; Czerniechovienſi, Martinus Niebaba, Num: 996.; Hæc ſumma in præſens albo comprehenſæ militiæ Zaporoſcenſium.

Iakubowicz. Woronczenko. Pawicz. Mozyra Głuch. Neczay. Fedorenko. Adamowicz. Łoboda. Dzedzały. Noſacz. Hładki. Puſzkarenko. Szumeyko. Niebaba.

Grata hæc Regi, ſi in finem conſtantia perduraſſet Etſi nonnihil conſiderationis iniecerant ſubiunctæ ſupplici libello appendices, quibus Internuncij vrgere iuſsi, *Vnionem* per totam Ruſsiam, vt omnino Rex tollendam procuraret ex pacto: ſimul, quòd in præſens Crimenſi Hano contra Circaſsios auxilium, requiſitus Chmielnicius miſiſſet, excuſabant. Facilè intellectu erat, tam prætractè concuſſionem immeritæ vnionis peti, nequaquam Regi Orthodoxo conceſsibilem: quàm præpoſterè in Circaſſos auxilia Hano, ſubmiſſa excuſari: quorum altervtro tam facto, quàm faciendo, maieſtatis vim ſeu irritabat, ſeu experiebatur perduellis. Cæterum, Circaſsij ſinum Carcinitum incolunt, originem ex Colchide ducentes; nunc, vt cæteri in Taurica incolæ, Scythis tributarij: aduſq; gravi ſub iugo habentur, vt capitibus liberorum, ſervitutem redimere neceſ-

neceſſum habeant. Ex ea gente olim Mamaluchos oriundos Hiſtoriæ tradunt, qui diu Ægypti opes, ac Perſicam potentiam turati, tandem Zelimi Turcæ prævalentibus armis concidêre. In hanc diem retinent aliquod Chriſtianiſmi veſtigium, multis ad Machometi ritûs deſciſcentibus. Mirum dictu, quàm alacer in ſubmittendo auxilio Coſacus; nno ſolum vt mutua opera Hanum demereretur, verùm & Turcæ oſtenſurus, non fluxa fide aut ignavo partibus acceſſu, in cauſam deſcenſurum: qui nunc Ottomanni clientem Scytham, eo conatu ac diſcrimine adiutum iret. 1650.

Quos inter curarum æſtus, cumulatur Rex primogenita prole; Filiam enixa Regina; cui, ad lavacrum regenerationis aſsiſtente Carolo Principe Patruo, inditum nomen Annæ Theresiæ fuit. Die Mariæ Magdalenæ lucem primam aſpexit infans, multo parentum gaudio, ac tota Polonia fœcunditati Regiæ per exhibitos vbiq; triumphos, applaudente. At ille tos ſolatij, fati inclementiâ aduſtus, ſubito exaruit.

Malè humanis ingenijs conſuluit natura, (vbi depravato animi habitu agimur) quòd non ad parta & præſentia, ſed ad futura eaq; abrupta cupiditatem intendamus. Eadem animi paſsio in præſens Chmielnicium tranſverſum egerat; adeo mutatione ſubita, vt qui primis Maij, per miſſos Varſaviam Internuncios, nihil videbatur omiſiſſe, teſtãdæ erga Patriam fidei; idem, ne menſis quidem interſtitio ſibi conſtans, hoſtilem contra Rempublicam animum profiteretur. Etenim Metropolitano, ac Kiſielio fruſtra retentantibus, Kijovià abierat. Oſman-Agam Czauzium ab aula Turcica venientem Czehryniæ excepturus; qui eum Cæſaris ſui nomine, amicum & ſocium Imperij Ottomannici appellatum, in excutiendam omnimodè Regis Poloni ſubiectionem, ſtimulabat: exhibitis in id rei à Præſide Siliſtriæ codicillis, brevitatem Imperatorij mandati ſupplẽtibus. Addita verbis dona, Toga palmata, Enſis capulo eburneo,

burneo, Vexillum charactere lunæ notatum, clava deniq; militaris imperij insigne. 1650. Duo Czauzius occultos inter sermones vrgere creditus; nempè vt Vkrayna *Vasallitij* iure, in patrocinium Turcæ; eidemque illi Camenecum-Podoliæ, in pign⁹ fiduciarij obsequij consignaretur. Quoad primum, non diu deliberavit Chmielnicius; nihil hæsitans, super exuendâ vni, dandâ alteri fide. Camenecum, acutus fallendi, tantisper in arcano habendum persuasit, quoad Commissarij Polonorum (quos perurgendo in Turcam bello adesse, vafrè imponebat) imagine pacis delusi abirent: tum demum, imparatam vrbem facili negotio capi posse ostendens. Ita, suasum ac donis cumulatum convicijs sobriæ mentis Barbarum adhibet; ipse, ingentes crateres, in nomen Imperatoris exhaurit; nihilq; non agit, vt amicum ex asse simulet; facili apud incuriosum credulitate, & futili officio fidem metiente.

Comperta hæc, Kisielium graviter perculêre; non vanè præparatoria novo bello cudi prævidentem; cùm contra datis ad Regem literis, Chmielnicium in fide stabilem, & omnia in pacem prona, spondentis in modum nuper-perscripsisset. Proin, intimius explorandis rebus, celerrimè submisit Gregorium Kisielium Fratrem; qui superveniens Czechryniam, ipsomet Bohdano susceptum Turcæ Patrocinium, velut quoddam honoris complementum iactáte, ingenuè factum improbavit: identidem obsecratus, vt talibus desisteret, quæ in præiudicium Regni, ipsiusque Maiestatis apertam vergerent iniuriam. Quippè vir, æq; religioni, (quam Græcã profitebatur,) ac libertati anxius, generosè differebat. *Investituras Feudi, ab Ottomanno acceptare Provincias Regni in protectionem externam dedere; Legatos à vicinis etiam hostibus recipere; quid nisi meram iuriũ Sceptri vsurpationem esse? & penitùs abdicatæ fidei argumentum. Quàm nunc volupè Turcis, inter Cosacos versantibus, intimas eorum vires scrutari, protectionem pollicendo; donec intromissi, prout in Hungariam sub Solimanno dicerent; Veteres migrate coloni. Quòd, si ex materia insalubri, theriacam conficere velit, Dux retento tantisper Czauzio, acceptati ac remittendi eius rationes, à Rege perquireret.* Hæc à viro ingenuæ libertatis, dici sibi adeo impotentèr tulit Chmielnicius; vt non Poloniam modò, sed Romam quoq;, & quidquid post illam nomine Christianitatis audit, se Turcæ traditurum, ebrio fastu minaretur. Aderant simul cum Kisielio, multorum Procerum, quibus in Vkrayna ditiones delegati; officia venerantium, & pro tribuendo in propria aditu, dona ferentes: hos omnes mentis impos, in instanti strangulare iussit, exploratores dictitans. Neq; segniùs quàm mandatum erat patraretur facinus, nisi Wyhovius, concessibilem à temulento, ad sobrium, appellationem ratus, vim in in crastinum inhibuisset. Post vbi crapulam sopor discussit, Satin, salvus Kisielius esset percunctanti? vbi arctè custodiri relatum; limine abscedere lictores iubet, præcocem excandescentiam, cui ab ira & multo mero impar esset, obtendens. Dissimulatâ iniuriâ Kisielius, multis iterum, iterumq; vt resipisceret agebat; ast nihil profici suasione potuit; imo præsente illo Czauzius expediebatur, eo palam responso. *Ab Duce Zaporoscenſi ac omni Cosacorum militia, Turcarum Imperatorem, in supremum Dominum ac protectorem adlegi: profiteriq;: se, resq; suas in potestate Portæ Ottomanicæ posthac & semper fore.* Hactenus Pacta ad Zborovium inita valuêre.

Sub ipsum torridæ æstatis finem (*die 9. Augusti.*) moritur Georgius Ossolinius Supremus Regni Cancellarius, ætatis cursu, in Annum supra LV. vergente. Sub Vladislao Polyticis artibus floruit; obitis legationibus clarus; vnde accessit experientiæ vis, & per potiores Europæ regias, exercita dexteritas. Siquidem, Romana ad Vrbanum VIII. Britannica ad Iacobum VI. Germanica, Veneta, Hetrusca, aliæq;; in experimentum excellentis qualitatis cessêre: vbiq; ex dignitate gentis, ac Regum peractæ. Neq; sui negligens, dum honores quos externi Monarchæ collatiti-

Ossolinski Cancellarius Regni.

1650.

1650. jis titulis inſtruunt, aucupatur. Etſi revera talia cum Traiano parietariam herbam, aut cum Symboliſta *Magnificũ Nihil* dicere liceat. In ſepulchrali quidem lapide, poſt enarratam meritorum Synopſim, ſubdebatur velut Palmare exantlati laboris decus. Poſt alia.

Tot laboribus venierunt iſti, quos tumulo inciſos legitis titulî,
Trium Polonia Regum ſunt, data meritis ornamenta.

Quibus

VRBANVS VIII. Pont: Max: *Ducalem.*

FERDINANDVS II. Rom: Imper: *Principalem.*

Superaddidêre Tyaram.

Vt ſuum, quâ latè patet Chriſtianus Orbis, Civem,
De proprijs agnoſceret inſignibus.
Non vni Regno vixit, Non vni aſt eheu cecidit?

Conſt, 1635. Inde non deerant in Libera Repub: quæſtꝰ multorũ, æqualitati metuentium; vt prohibitiva deinceps lege cavendum foret, ſimilia externorum Principum crepundia poſtulare, acceptarevè. Cæterum Oſſolinius, ſub Ioanne Caſimiro, militaria tentavit; maior togato in pace viſus, & conſenſu omnium militaris imperij capax, niſi imperaſſet. Certè odia publica in imminentiam viri, velut in ſcopũ collimavêre, vt fermè ſemper fulminat invidia, quos notat fama. Tenuit Regum liberalitate, præter illuſtre Cancellarij munꝰ, cõplures amplo reditu Præfecturas. Nam, ſi cui, regia cũ alite lucroſa venatio, eiꝰ certè baiulo eſt, & cuſtodi. Illi primitias (vt vocant Vacantium) hæc volucris defert; illi opimiora largitionũ conquirit; is demum (quæ boni diviſoris ars) aut pro ſe agit, aut pro alijs, efficaci commendatione impetrando. Quippè, apud Reges noſtros, *Panis benemeritorum*, non proſtat venalis; ſed prout virtus aut merita, cuiusq; , ita honores & præmia, ex iuſto & æquo diſtribuuntur. Hinc Cancellarius proximior lateri tribuẽtis, & velut ſub manu ſubſiſtit ea, penes quam Iuſtitiæ diſtributivæ lanx eſt, & donandi arbitrium. Erat Oſſolinius, exi-

us, eximijs à natura doribus felix, induſtriâ felici, eloquio prompto & ſublimi; vt iuremeritò ſui temporis Oratorum princeps haberetur. Aderant fortuita, decor vultus, Statura procerior, ſimul & cultûs magnificentia, venerationem conciliabant. Neq; illi acquiſitæ opes, intra ſæculi vſum ſtetere. Etenim ſuperante privatum ſumptum impendio, miraculoſæ imaginis DEI PARÆ, in Claro Monte Aram, in auguſtam quam conſpicimus formam, elaborari fecit. Itẽ Climuntoviæ avito hæredio, Baſilicam ſpectabilis artificij, cum fundatione Collegij Canonicorum orſus, à fato præventus imperfectam reliquit: vt meritò conqueri liceat, non hominibus tantam, ſed inanimatis quoq; operibus, gravem imminere ſublato autore orbitatem; dum non æq; in ſacra aut publicum animati ſucceſſores, malunt oſtendere incepta, quàm perfeciſſe. 1650.

Poſt Oſſolinium, quiſnam muneri ſubſtitueretur? ambiguum aliquamdiu manſit: intenta Aula omni, & prout quisq; optaret, hunc vel illum deſtinantibus. Mox, ſudat concurrentium ambitus, quisque renarrat merita, ac conquirendo ſuffragio, oſtentat pares muneri qualitates, Principi, aut qui iuxta latus. Prodit interim libellus accurratè ſcriptus, *Canditatos* in comparationem ac trutinam vocans, graphicâ cuiusq; deſcriptione. Legi tunc ego, neq; hiſce pagellis, interſerere gravabor. Ordiebatur quiſquis ille Theſim. Ceſsit fatis Regni Cancellarius, cuius bonitas etſi in controverſo nonnullis, magnitudo omnibus inconfeſſo eſt; ob idq; operoſum de ſucceſſore iudicium, niſi quis paria anteceſſori talenta attulerit.

Primus, Candidatorum Illuſtr: Caſtellanus &c. Innocentiâ vitæ ac liberalibus ſtudijs, Patriæ commendatus: etiam quòd ob externarum rerum peritiam, ad Tractatus Sueticos deſtinetur. Eidem, Principis Caroli vetus clientela, Archiepiſcopi Gneſnenſis conſanguinitas, Familiaritas Vice-Cancellarij Lithuaniæ, qui in Hiſtoria eius palmam præripit, animos addunt.

Secundus Illuſtr: Palatinus &c. Magna ſubnixus Parentel-

la,

1650. *la, certum est; tum recentis legationis Gallicæ merito, denique aurâ Nobilitatis valens, habet authoritatem sperandi.*

Tertius, Illustr: Pocillator Regni &c. Quem longa rerum experientia, merita in Patriam, Antecessoris iudicium, emerita bello ætas promovent, & consensu monstratur.

Quartus, Mag: Capneus &c. Florida insignis ætate, acrimoniâ ingenij, sermonis elegantiâ, splendore vitæ conspicuus. Reliqui Terentiani Eunuchi, à quibus nec speres, nec metuas. Hæc Thesis. Hypothesim vt in adiuncto fuit, pono: quâ tum pro literato munere literis velitatum.

I. Homo probus est; sed hic Polyticum non Theologum formamus: Virum acrem Magistratus desiderat. Quorundam verecundia non facit ad Aulam; studia in vmbra nata, non alibi se iactent: aliud plectrum, aliud sceptrum. Historici opera vtilis est Reip:, sed de sæculo dicturus, pingui otio fomentando ingenium, non est abstrahendus, ab erudita contemplatione sua. Eiusmodi scriptoribus quò fides adhibeatur, strepitus Civiles penitus sunt fugiendi. Quòd, si verum fateri necessum, homo is novus, idcirco requisitam in Republ. animi præsentiã, habere non potest. Quòd si populi captabit auram, formidolosus Publicola; si Regias asseret partes, sine fructu & autoritate Regulus.

II. Generis & Originis contemplatione, magnificum Aulæ nomen inducet, & debitum pro beneficio interpretatus, largitorem ægrè agnoscet: autori suo gravis, æq; populo invisus. Supercilio ac parentelis valens, ex se omnia posse arbitrabitur. Genius quoq; eius probè dispiciendus, ob meditatam quandoq; inobedientiam; & parcat, etsi non agnoscit, fragile est ingenium.

III. Dignitatibus ornandus, non officijs onerandus. Vidimus iam fractum laboribus hebescere, quis fructus, si in ipso curarum æstu, ac rerum molimine labori & ætati succumbet. Considerandam quin etiam, haud affluentem rei domesticæ copiam, ad hæc prolem numerosam. Felix genitor si tam fœcundus non fuisset. Quod si ad pradam sonitumq; lucelli trahentur suffragia Cancellarij, vel ex tropicis prioris Aulæ didicimus, nevè

nevè studeat aliquando invisus Principi, Magistrum agere. 1650.

IV. Neq; ex tam magna Familia, vt seipsum miretur; neq; tam humili, vt contemnatur. Iter medium, inter præruptam contumaciam, & deforme obsequium tenere sciet. Ingentibus inimicis superstes, non solùm quantus, sed & qualis demonstrãt. Expedit enimverò, vt post tanti in Republica Ministri decessũ, Aula eclipsim non patiatur. Venient externi, eundem magnificentiæ domi splendorem invenient, nulla qualitatum, nulla formæ mutatio; expeditus tanquam è tripode sermo, & cuivis nationi familiaris. &c. Talia, occultè primò, vt quisq; curiosior sparsa, mox cunctis patuêre. Nec falsam trutinam constitit, Hieronymo Radzieiovio Łomzense Præfecto, in administrationem sigilli minoris vocato, deferente munus Principe. Occultis tunc inclinationis Regiæ causis, ex ætatis maximè (vt tum vulgatum) ratione, quòd maturiores annis, impersuasibiles Magistros agant, ætatis fiduciâ. Fuêre, qui Leszczynio Regni Procancellario tribuerent, ad quem tum alternante vice, supremi sigilli cura redibat, eum sibi collegam adsciscenti; qui annis ac rerum vsu, in comparationem veterani veniens, longo intervallo qualitatibus eius decederet. Verùm sua quandoq; fertilitas arboribus nocet; deglubetur confestim candido vellere Agnus hic, & qui nunc ad invidiam multorum vbere pascua lascivit; mox ad commiserationem marcidus, lana sua spoliabitur; quæ in tempus memoranda manent. Radzieiowski Præfect. Łomzé.

Osiolinium Cancellarium morte prævenit Andreas Szołdrscius Episcopus Poznanienſis. Cui Cathedra in illa successor datus Casimirus Florianus Dux Czartoryscius Canonicus tum Cracovienſis; non modò extra ambitum præsulatus adipiscendi, sed ne cogitans quidem. Enimvero, adhuc tum supererat ex parte aliquid priscæ integritatis in Aula, vt non hominibus honores, sed honoribus homines darentur. Szołdrski Episc Poznan. Dux Czartoryski.

Inter hæc per Vkraynam intendebãtur Hymænei Valachici curæ, quarum tedarum fumus, non modo regiones

1650. eas in præſens offudit: Verùm ſequentibus annis Baſilij Palatini fortunam, ac dominationem aduſsit. Haud incongruens reor, de Valachia, quoniam ſe nunc, & poſthac crebrius rebus noſtris immiſcet; ſimul & Nuptijs flagrantiſsimè tum agitatis, pauca ſubnectere. Daciæ nomen his olim regionibus tributum conſtat, quarum citerior *Valachia*; vlterior recepto inter accolas nomine *Multany*, dicuntur. Vtrisq; Turca Præſides imponit, cùm antea Moldavus ſub fide Hungari Regis; Valachus ſub clientela Polonorum perdurarent. Italicam originem iactant magis quàm deducunt, à Flacco Prætore Romano Flacciam; hinc detorto vocabulo Valachiam dici, contendentes. etiâ manente aliquo in idiomate illorum, corruptæ latinitatis veſtigio. Sacra Chriſtiana profitentur, multùm ab Eccleſia Romana diverſa; & quamvis ad Græcorum inſtitutum accedere oſtendant, etiam his, in plerisq; ſenſu & ritibus difformia. Qui præeſt, *Woda*, ac ſi Palatinus dicitur, dominaturq; ſuis deſpoticè, rarò admodum exemplo; vt dominatus in extrema vitæ continuatus, à quoquam produceretur. Familiaris quippè populo, à fide lubrica næ-vus, ac in ferendis Præſidibus animi inconſtantia adeo, vt apud conterminas gentes, Valachicus dominatus, coturnicum venatione haud durabilior, in proverbium abierit. Illi etiam vt cæteri Sarmatæ Equitatu gaudent, etſi miles eorum prædari melior, primo incurſu aliquid valeat; ſtatario prælio, aut in vniverſum bello, haud quaquam ſufficiens. Medium regionis fluvius Moldava interluit, à quo nomen genti recentiùs inditum. Diſſimilat à Polonico latere Tyras, alias Dnieſtr rapidus amnis; qui, ex Alpibus Carpatijs ortus, vbi diffuſo terrarum ambitu multos perennesq; amnes abſorpſit, tandem in lacum Ovidij, ingenti oſtio evolutus, hinc ad Turrim Neoptolemi, quæ hodie Mõcaſtrum eſt, in Pontum Euxinum exoneratur. De Ovidio has inter gentes olim diverſato, pleriq; fabulas autumant, cum tamen ijs locis exulaſſe, Elegiæ eius teſtentur; & vocabulum lacus Ovidij, à celebri Exulis nomine inditum, vero ſimile fuerit. Certè Patrum memoriâ, dum illàc militia noſtra ſigna circumfert à Woynovio Equite, inter maceries ruderum, lapidem inſcriptione tali inventum, Starovolſcius prodit.

1650. Woynowſki. Starowolſki Scriptor.

Hic ſitus eſt Vates, quem divi Cæſaris ira,
Auguſti Latia cedere iuſſit humo;
Sapè miſer voluit patrijs occumbere terris,
Sed fruſtra, hunc illi fata dedêre locum.

Neq; fidem antiquitati aſſero, relinquens integrum iudicium Philologis: affricent illi, ſi vacat ad Lydium veritatis lapidem.

Valachiæ tum præerat Baſilius Lupuli, firmato in illa gente imperio; ac ſolerter partis opibus, non indignus Chmielnicio viſus, in quem creſcentem potentiam reclinaret. Huius itaq; Filiam, Thimothæo primogenito vxorem deſtinat: etſi miſsi ſemel atq; iterum proxenetæ, nihil ex voto precantis retulerant; Palatino haud integrum ſibi in eiuſmodi fœdera, inconſultâ Portâ Ottomanicâ, deſcendere obtendente. Etiam Virgo maculoſum rebellione procum averſari credita; cum Demetrius Dux Wiſnioveccius oblata eius coniugij ſpe, laſſos, incognitus veniens. Dumnæ (id virgini vocabulum) notitiam adeptus, etiam affectum præceperat, florente ætate ac Ducalis ſtirpis claritudine, Thymothæo potior. Vnde Pater, ac Filij Chmielnicij temni ſe indignati, apud Aulæ Turcicæ Summates, initæ cum Polonis conſpirationis inſimulavêre Palatinum: hinc maximè ducto argumento, quòd is obtento pro ſe poſterisq; *Indigenatu* Regni, etiam traditâ recens Radivillo Duci maiore natu Filiâ, infra ſe poneret Turcas, omnem ſpem in ſinu ac fiducia Polonorum collocando. Non ingrata hæc Turcis, pro avaro gentis more, ſi grandis quercus ſubvertitur, opima ſpolia ſibi deſtinantibus. Neque tanti ruina Valachi æſtimata, quanti conſtaret, ſi Coſaci in ſubiectionem Portæ Ottomannicæ pertracti; haberentur

1650. aliquando non ineptum aggrediendæ Poloniæ inſtrumentum. Vetere augendi eius imperij arcano, cui internæ vicinorum colliſiones, in ſtabilimentum Fortunæ vertunt, MeditanteNuptias Chmielnicio evenerat; vt Scythæ, deſtinata in Moſchoviam irruptione, per campeſtria Equos alerent; à Polonis in id belli ſocianda arma, adhuc dum ſpèrantes: etiam Coſacis ſubinde à Noradino iuſsis, in communem hoſtem expedire arma. Hic labor hoc opus incubuit, Chmielnicio eam offendendi Moſchi neceſsitatem ſolerti eludere induſtria; ſimul & Scythæ iubentis autoritatem ſartam tectam tueri. Recurrendum proin fuit ad ſuetas artes, qualibus refertum eius ingenium. Itaq; indicit in bellum expeditionem ſuis, rem armamentariam recenſet, legiones contrahit, ipſe propediem moturꝰ, tanta feſtinatione, vt ruere diceres. Aſt, quò deſtinatum fulmen erumperet, aperiebat nemini, præterquam perſuaſo Scytha: paratus illos ad mandata Noradini verti. Nihil Barbaris morâ ac evulgatione arcani deteſtabilius, vt qui conſulta factis iungere ſueti, expeditiꝰ agunt, quàm minantur. Neque tum reticentis conſilium Chmielnicij improbavêre: Noradino in Moravienſem tractum, quà iſthàc in Moſchuam itur intento, ſuosq; donec reliqui traijciunt Boryſthenem operiente. Cùm interim machinator, telam meditati doli hinc ordiretur.

Noradyn Soltan Taurice Præfect.

Poſtquam ex Taurica Potocius Exercituum Generalis obtenta libertate evenerat; poſt breve fractæ valetudini reſpirium, capeſſendo armorum imperio ſe accingentem; non tantùm nobiliſsimi Tribunorum concurrendo ſalutavêre; ſed, vt quisq; è militaribus meritis aut ſtipendijs clarior, ad ordinarium imperium lætus, reditum plauſu & votis proſequebatur: inſitâ militi noſtro erga Duces reverẽtiâ, vt nullo minus quàm imperantium mutatione gauderant: nec ſequiore fortunâ ab ijs alienentur. Affectum oriri inde crediderim; quòd militia Equeſtris, tota Patricijs cõſtans, libentiſsimè obediat Præfectis; quos, paritate generis æqua-

æquales, Magiſtratus tantùm ac virtutis titulo ſuperiores agnoſcit. Etiam Duces, etſi in ſpeciem ſeveritatem præferunt, magis tamen amore erga concives feruntur: probè ſcientes, ad lene imperium obſequentiores; & qui alacrius iniuncta exequantur, quàm iuſſa. Enimverò Generalis contractas ad Camenecum legiones, dum in hoſtis armati molimina intentus caſtris continet; ſubmontani tractus accolæ, latrocinijs ſuetum genus, invadendis per noctem caſtris conſilium cœpiſſe comperiuntur. Per confragoſa ij, (ſaltus Nedoborij, latrones Levenſij dicti) multâ in prædas audaciâ degunt; vtrâq; Tyræ amnis ripâ, infami colluvie famoſa, ac mutuarum rapinarum conſorte: cùm hinc noſtrates, prædam ad tranſtyranos deferant; illi viciſsim quidquid ex Moldavia raptum, cum iſtis permutatione ſpoliorum negotientur. Hi itaq; per paſcua, noſtrorum Equos furari; commeantes intercipere; in anguſtijs nemorum ſi quæ ingrueret vis, manus opponere auſi: donec cognito maioribus accingi. Miſſus à Generali Kondracius cum aliquot velitum turmis, in ſuis receptaculis deprehẽſum Mudrenkum, qui ſe pro capite latronum gerebat, cũ vndeviginti complicibus captum adduxit. Ij molimen aggrediendorum Caſtrorum faſsi, palis infixi ſunt, diſpalati reliqui, aut metu ſupplicij errabundi ad Coſacos confeſtim profugêre. Congruebant hæc propoſito Chmielnicij; proin furit quàm ante acerbiùs, palamq; apud armatas legiones circumductis qui ad ſe refugerant, vt erant vulneribus, ac cruore deformes, etiam Noradini ablegato tum præſenti monſtrabat; ſæviorem bello pacem, & palliatam pactis tyrannidem incuſando. Hoc ſcilicet erat pactionẽ Zborovianam infregiſſe. Ablegatum dehinc Scythæ donis excultum, multis lachrymis perſuadet: vi & dolo vrgeri ſe à Polonis, Kiſielio quidem ab intra adversùm Turcam armare legiones cogente; ab extra, Potocio cum validiſsimo exercitu imminente; neq; vltra minari, ſed audere agereq; perdendis. Alias, extremam diem illuxiſſe Coſacis, niſi Scy-

Kondracki.

1650. tharum beneficio, vita perditis, vt ſemper, tribuitur. Talibus pravè ſuaderi ſe ſinit Noradinus, cohibitisq; quæ in Moſchoviam deſtinabat armis, Potocio ſuccenſet, ſimulq; comperta Hano renuntiat: neq; is ambiens, quin vera afferantur. Mittit confeſtim Mehmet Gazy Ataĭycum (ita vocantur ex prærogativa miniſterij, Filij nutricum prolis Hanorum) Regem ea ſuper iniuria conveniendo, quæ Hano dum mediatoris partes ſuſtinet, vti propria accipienda

Krawczenko, foret. Mittitur item ad Potocium Sartorides è Coſacis, qui perfunctoriè ſalutato Duce. *Nondumne belli ſatur eſſet Generalis (ex abrupto quæſivit) vt pactis ſtabilitam pacem ei gratis infringere libeat? vndeverò, quòd nulla probabili neceſſitate, admotus ad lineam Polonorum Exercitus Coſacis minetur? aggreſtibus exitium inferat? qui dum ſubiectionem moderato dominio præſtant, ad iugum illiberalis ſervitij non tenentur.* Ad hæc Generalis (admonito prius debitæ modeſtiæ Coſaco) reſpondet. *Mandato Regio, eo loci ſe metatum, & conſtituturum; donec aliter iuſſus, aut non ex commodo publico hic morari advertat. Gnaros moris antiqui Coſacos, etiam rebus domi pacatis, militem æſtivis Caſtris quà placet haberi; vbi bruma ingruat, in hyberna dimitti. Subſiſtere ſe intra lineam, etſi citra & vltra eam, fundus ſit Regius. Si modo conſimili, Coſacorum Dux ſincerum obſequium erga Maieſtatem ac fas obſequij præfert; eccur tota Vkrayna claſſicum perſtrepat, agmina coeant, armentur legiones? Neq; verò fallaci papavere ſoporatum ſe, quin quo ea molimina vergant, non intelligat.* Sanè irritando Generali miſſum conſtabat: ſed is, non intelligere oſtendens, intemperantiam linguæ, manu in tempore vlturus diſsimulavit; intimius Chmielnicij mentem ſubodoratus, qui ab excurſione Valachica ſubitò converſis armis, Camenecũ ex improviſo tentare, meditabatur. Namq; in brevi Noſacz, Puſzkarencus, ac Doroſius Tribuni, cùm

Noſacz, Puſzkarenko. Doroſz. XVI. Coſacorum mill: Valachiam inrupêre; ad Sorocam Noradino iuncti, ſupra XX. Mill: Scytharum mira celeritate trahenti. Ruebant namq; ad parata ſpolia Barbari, eò ferè-

eò fervidius, quòd conterminæ regionis dites incolæ, in 1650. prædam faciles,; aut ſi repugnatum foret, ſine ſanguine, quòd evenit, vincendi deſtinabantur. Palatinus adversũ vim ſubitam animo & viribus impar; vxore cum liberis in Arcem Niemiecz ad Seretum amnem relegatâ; vbi profundam indaginem fagineæ ſylvæ concædibus obſepſerat, opacitate nemoris, ac inacceſsis ſaltûum vitam tuebatur. Eò miſerior quòd immeritus, quàm quòd imparatus prima impreſsione ſuccumberet; cùm tamen felix arma teneat, infelix paret. Interim, ab hoſte, non bellum, ſed continua populatio acta. Quidquid obvium, ferrum ac flamma corripit, quidquid in abuſum verti potuit, proſtituitur. *Laſij* Palatini ſedes, in favillam eunt: crematum olim Illiũ ob raptam Helenam, triſti imagine referentes; ac tota planè ſubito igne inarſerat Valachia; aſpiciente Baſilio, ac familiares in ſummitates arborũ eniti iubẽte, qui per noctem ex fulgore ignium, quæ loca flammarentur, coniecturalitèr recognoſcerent. Aderant, quibus fideret maximè Kutnarſcius, à ſecretis; tum aliquot Poloni dudum ex conducto lateri adhærentes; inter alios Dobroſzovius, fide & militari induſtria cognitus. Hîc, extremo diſcrimine, noviſſimum conſilium ſuggerente; ære oblato hoſtem avertendi autor; mittitur paci & abſceſſui hoſtium emercandis. Saturaverat iam opulenta præda Scytham; Coſaci imminentem limiti Valachico Polonorum exercitum reſpiciebant; vnde mitigandæ hoſtilitati vtriq; faciles, quo vlterior eius oræ vaſtatio ceſſaret; Ter Centum Imperialium Mill: exnunc Noradino depenſis, abitum paciſcuntur: præter alia militiæ Præfectis donaria, ac incredibilem ſpoliatæ Provinciæ prædam. Chmielnicius quoque non infra operæ pretium, concuſsionem Valachi habuit, Palatino expetitas Nuptias, vbi ex naufragio tabulas recollegiſſet, ſpondente. Certè dirum neceſsitatis telum eſt, qui nuper elocandæ filiæ conditionem abnuebat, modò ſpretam quærere cogitur; ac nuptialia munera recepturus, immenſa largitione

Kutnarſki. Dobroſzowſki.

crude-

crudeles procos licitari debuit. Misera semper Moldaviæ
1650. Regulorum sortè; namq; validioribus Monarchijs inclusi, conducibili arcano omnium ambiunt amicitiam, potentioris sequuntur fortunam. Verificata ad amussim paræmia. *Valachos, acsi in media adium regione constitutos esse; quos infernè molestet fumus, supernè conspergat aqua decidua.*

Eæ artes Chmielnicij fuêre; seu fulcra feliciter grassantis audaciæ; quibus Turcam in protectionem sui allicit: Scytham à bello Moschovitico abstrahit: Moschum fallacis amicitiæ fuco nobis hostem reddit: Palatinum iniqua criminatione circumventum, impunè opprimit: deniq; nihil super exuenda iterum fide hæsitans, modos incommodandæ Poloniæ pervestigat. Stupor animum subit; hominem ortu & ingenio modicum, adeo astu & alta consiliorum indagine valuisse; vt non vulgo tantùm & imperitæ multitudini, sed magnis Principibus imposuerit: ac grandi quadam impostura illudens, velut Circæo poculo fascinatos, in coniuratum adversùm nos odium induxerit. Quippè Scytha, naturali ingenij sagacitate solers; Polonos, dum apertè Cosacos perdere nequeunt, imagine Pactorum exarmatos, oppressum iri credit: Moschus Scythicis armis terrefactus, Cosacorum patrocinium suæ consulturus securitati, suscipit: Turca subiectionem protectione licitatus, alieno dispendio incrementa quærit. Horum Bohdanus, acuto in pessimis ingenio, autor ac motor. Quis ille tandem (ex intimis eius comperta narro) præcipiti temerite, ac continuâ temulentiâ furiosus, ne horulam quidem elabi passus, quin continuâ crapulâ mentem sensusq; mergeret. Neq; tum Generalis otiosus ardentis Valachiæ ignes aspexisset, nisi Regijs literis inhibitus, nequaquam intra alienos fines immittendum exercitum, potiùs sua tueri iubentis. Quin etiam Anni tempus, ab evoluto Autumno gravè, ac diutinâ in Castris consistentiâ attritæ legiones, etsi nupera legatione offensum Ducem tardavêre. Nec deerant in Castris seditionis gliscentia semina, quærulo

passim

passim ob retenta stipendia milite, & indigente. Indicta
1650. quidem Lublini *Commissio* fuerat, vbi à Rep: dati *Commissarij*, quantùm vnicuiq; cohorti exolvendum maneret, subducto calculo discusserant; verùm, dum militares *Deputati* cum *Assignationibus* (id papyraceæ satisfactioni nomẽ) ad Provincias, quæ Ærario tributa non intulissent, remissi, dilatâ aut irritâ solutione redeunt: vt fieri amat, vbi miles eget, in tumultum desituræ querelæ elusorum timebantur. Dein, instans bruma consilium suggessit, in hyberna distribuendi; quò, segregatis manipulis, pullulantes turbæ evanescerent; quæ concursu multitudinis valescunt, ac nõnisi, vt ignis, subtracto materiato, exstinguuntur. Abituriente sub finem Novembris milite, armilustrium conditum fuit: in quo, dum viritim Commilitones arma equosq; censendos exhibent; Baranovicius procacioris linguæ miles, ac rudibus iocis, seria interpellare suetus, dum ex albo cohortis suæ vocatur, subdit pro more militiæ manuali sclopo ignem: eoq; ictum frustrante (namq; pyrio pulvere non instructus erat) ad præsentem conversus Ducem. *Hoc* (inquit) *pro retentis stipendijs.* alterum efficaciore bombo displodens. *Hoc, pro paratis* ait. Iocõ is ad facetias militares relatus; etsi eo cavillo rei veritas exprimeretur, enervem scilicet sine nervo militiam: cum quibus legionibus Imperator debet, illæ se nihil Imperatori suo debere opinantur. Baranowiczi

Hæserat interim Kijoviæ tantisper Kisielius, Palatinõ, qui dum sub inani prudentiæ nomine inefficax se capistrum susq; deq; motis rebus advertit; varijs præterea, iniurijs, ac in caput machinationibus exagitatus, statione abscedere constituit. Etenim odisse haud obscurè ostenderat Chmielnicius, diversis sermonibus ac literis perstringens, tanquã communium sacrorum proditorem. Proin super animi ægritudinem, crurifragæ Podagræ acutissimis vexatus doloribus, Brzozovio Collegæ delegationis negotium, quasi rediturus committens, Trelissios primò mutando áèri, mox sensim Vkraynâ decedens, Hoszczam ditionem suam regre-

1650. ditur. Aſt, nõ id Brzozovio authoritatis, aut induſtriæ; vt quæ Palatino deſperata, intra orbitam tranquillitatis reduceret. Hinc abſceſſu eius, poſt brevè idq; infidum ab armis reſpirium, atrox de novo tempeſtas Vkraynam corripiebat. Iactante paſsim plebe (Czern nuncupatâ) veniſſe tempus; vt qui hactenus impotentibus Heris abiectè ſervierant, tandem immutata vitæ conditione, dominarentur. Et omnia in bellum inclinabant. Crimenſis Hanus, qui hucusq; fidei datæ, nimiùm quàm tenax videri voluit, per ablegatum (vt ſupra innui) Regis amicitiæ renunciabat. Neq; verbo tenùs minæ ſtetêre. Nodarinus, etenim cõductis in Tauricam è Valachia manubijs, iterum in Sauranenſes campos, revolantis in modum redibat: opem Conſacis in noviſsimo, vt aiebant illi, diſcrimine laturus. Chmielnicius ipſe excitis ſuorum agminibus, ad extimum Podoliæ limitem ea ſpecie ſtetit, acſi arma in defenſionẽ ſui tantùm ſtringenda, oſtentaret. Verùm, cardo verſutiſſimi conſilij Camenecum reſpiciebat, amotis in hyberna legionibus, ſubitanea aggreſsione, intercipiendum: vbi exoluiſſet traditione pactum, tumdemùm prolixa ſibi à Turcâ, in meditatum contra Polonos bellum, auxilia pollicendo. Diſcuſsit tamen omni humana caliditate potentior VIS PROVIDENTIÆ inſtructum dolum; ſub revoluti Anni initium, violenta Imperatoris Turcici morte, & atrocibus inter Purpuratos diſsidijs, Monarchiæ eius ſtatu, graviter concuſſo. Etiam bello Veneto diſtrahebantur, navalibus armis Rep: illa prævalente. Quòd per tranſennam, vt obitèr exarẽ, honori gentis fortiſsimæ tribuẽdũ eſt. Veneti inſidendo mari Ægeo, claſſem Iacobo de Riva Præfecto, ad Tuldenus. Helleſponti fauces emiſerant: quæ, freti illius potens, infeſta pererrantibus Turcarum claſsibus maria redderet. Nõ tulêre audaciam præreptæ maris poſſeſsionis Turcæ, geminas claſſes haud procul Smyrnâ opponendo; à fronte ſimul & tergo Rivam invaſuri. Impar vtrisq; Venetus; alteram quæ Conſtantinopoli veniebat, nam altera Affricana fuit,

fuit, in portu Foggiano aggreditur. Duobus diebus acris 1650.
conflictus duravit, vtrinq; mutua ſtrage protractus; donec intercluſam Chriſtianam claſſem tantiſper nutantem, interveniens caſus, in felicem prælij ſucceſſum erigeret. Fortunam pede vtroq; truncam, eamq; volatilem, non inſulsè finxêre veteres: cum ea ſpecie, in bellicis maximè, obſervari ſoleat, cæcum Numen, & nulli fidum. Nam, neque victo animum deſpondere expedit, quia volucris eſt: neq; nimis præſumendum victori, vt viſco præhenſam teneat, quia pedibus caret. Proſtabat in nave oneraria Veneta, pyrio pulvere, & artificioſorum ignium alimentis referta; in hanc magnitudine conſpicuam deſtinatis ictibus collimabant Turcæ, vt à globo pyrobolari non continens modò & contentum, ſed alia quoq; vt ex ordine cohærebant navigia, incendium corripuerit; vnde pelagus ardere viſum, & ſimul hominum, ac elementorum bellum eſſe. Quâ exitiabili flammâ confusâ claſſe Venetâ, Santorinius navalis Trierarchus, inter alterutrius elementi violentiam periturus, memorabili audacia, aquis ſe credidit, anchorari is funibus quibꝰ ardens navigium ſubſiſtebat, acumine ferri præcidendis. Digna memoratu imperterriti militis virtus: quoties flammis vſtus, mergum agit; vbi intercluſus ab aqua halitus, inter ignes reſpiria quærit: fluctuat interim, ſciſsis rudentibus oneraria, ac vehementiore Auſtro, in medios hoſtes impulſa, cõfuſo reſtinguentiũ ac pugnãtiũ Turcarũ miniſterio, proxima quæq; incẽdio hauriẽs, Venetis ingentis victoriæ momentum dedit. Namq; turbatos eo caſu Barbaros aggreſsi, cruentiſsimo prælio profligarunt. Et ſtrenuo quidem Trierarcho, vita & gloria ſuperfuêre; honores & munera, ne irrepremiata virtus maneret, inclita Reſp: ex merito tribuenda curavit. Ea ex victoria, quamvis exacto Anno contigiſſet, non miſſorum Coſacis auxiliorum fructus, in nos promanavit; abhorrẽtibus Turcis ex vetere legis ſuæ inſtituto, cum binis gentibus belligerare.

1650. Memorabilis in Claro Monte Częſtochovienſi ſolennitas, eo anno tranſacta, faſtis connotari meretur. Hîc vltra trium ſæculorum ſpatium, Imago Virginis Dei Paræ, celebre eius loci ac Regni Depoſitum arctiore Sacello mãſit: ac, quòd in Aquilonem mur⁹ feneſtras aperiret, liberiore ſole excluſo, lux neceſſaria orantes deſtituebat. Matthias Łubienius Primas Regni, adhibitâ curâ & ſumptu, ſacrum locum ampliaverat, ſubiuncta porticu, ac ſupernè circumiectis periſtylijs. Decoris augendi zelum æmulatus Oſſolinius Regni Cancellarius, aram Imagini auguſtiore forma erexit; in artificium ac materiam cum Religioſis loci concurrendo. Eius altaris totum vndecunq; op⁹, ſua cum ſtructura ac columnis, ex hebeno conſtat, quarũ capitella ac ſummæ coronides, puro argento marginatæ ſunt. Interſtant Sanctorum Statuæ, ad menſuram hominis, eodem è metallo fuſiles; quæ dum autoris monſtrant magnificam pietatem, cælum aut famam meruiſſe profitẽtur. Aderat celebritati actus Primas ipſe, cum quinq; Epiſcopis, in opus transferendæ Imaginis ſuffragantibus. Af-
Kalinowſki. fuit & Martinus Kalinovius Campi-Dux Regni, tum primũ è captivitate Scythica, in montem Taumaturgum, reddendis magnæ Liberatrici votis, veniens. Miraculo non caruit, ad 40. Mill: convenarum numerari potuiſſe, non modo è contermina Sileſia, ſed ex diſsitis climatibus alijs, peregrinantium turbam. Sexto Nonas Septembris abſoluta ſolennitas ea; quâ mundum & protoplaſtem Evam creatam, communis Eccleſiæ ſenſus tenet. Ita tum prompta in ſervitium cælorum ſuæq; Reginæ Polonia feriata eſt, & quem ſemper inter proſpera cultum eius profeſſa, ne quidem inter adverſa belli obliteravit.

Pacandæ Vkraynæ, vbi demum Rex irritum ex clementia remedium videt, habendis Comitijs ſe accingit. Quippè vt fulminis ignem, non aquis aut liquore quopiam extinguibilem eſſe aiunt; imò affuſâ frigidâ incrementa eius provocari; qui idem caprino lactè exſtinguitur: ita ſedi-

tionẽ,

tionem, cuius Spiritus in turbine operatur, non dulcedine pacis aut remedijs clementiæ ſopiveris, niſi cruore reſtinguas. 1650. Congregati ad particulares Conventûs Ordines (de his conventibus, vt ſunt Comitijs Generalibus, quidam act⁹ præparatorij ſupra relati) conſultabant, cum diſertiora *Vniverſalia* à Rege ſupervenêre, præmiſſas *Inſtructiones* complentia. Inſero ſupplementi eius tenorem, conſtare vt poſsit, ex formalibus Edicti Regij verbis, quibus ex cauſis, non trahi modò ſed cogi in defenſivum bellum Polonia debuerit.

IOANNES CASIMIRVS
DEI gratiâ REX POLONIÆ,
Mag: Dux Lith: &c.

QVamvis S. R. Mai: in Inſtructionibus *ad particulares Conventus datis, abundè rationes expoſuerit, Semeſtrium Comitiorum Ordinibus Regni indicendorum; verùm, quum crebri ijq; certiſſimi afferãt nuncij, de pernicioſis ac vltimũ Patriæ diſcrimen ſtruentibus hoſtium molitionibus; è Rep: viſum, imminentia cunctis innoteſcere pericula. Parum erat Rebellibus indiſſolubilem cum Scythis amicitiam, ſanguine Polono, & excidio Ruſſiæ ſancijſſe; niſi etiam nunc, omni exuta erga Maieſtatem noſtram, Remq; publ: fide & reverentia, rurſum Barbaris aſſocientur, in fœderatos Regni bella moveant, vicinis auxilia ſuâ ſponte ſubmittant, ac ſpreto legitimo imperio, Crimenſis Hani ex aſſe ſubditos præſtent. Tantæ perfidiæ evidentia documenta eſſe, in bellum Moſcho quaſi movendum, initam conſpirationem cum Scythis; dehinc aſtutè converſa in Valachiam arma; pulſum dominatu fidum Regno Dynaſtam, ſpoliatam Provinciam, nihilq; omiſſum hoſtilitatis, non alio fine intentatæ, niſi vt volenti bellum in Chriſtianos Ottomanno, facilis violatorũ Pactorum prætextus, contra Regnum hoc enaſcatur &c. Eum in finem, patrocinium & clientella Turcæ à perduelli acceptata, deferente Porta Ottomannica per Czauzium inveſtituram Ducatus Ruſſiæ; idq; in præſentia externorum Legatorum, in-*

1650. *maiorem Maiestatis nostræ contumeliam. Etiam nunc ab eodem Rebellium Duce, foveri Bizantij internuncios, blandiri Barbaris, ostentare* Vasalli *fidem, cuius adversùs legitima imperia, luce meridiana clarior* felonia *sit. Neq; propè se tantùm, sed & vltra maria, ac remota Oceani littora, odium nostri transmittere; expeditâ recens ab Hano in Sueciam legatione, cuius contenta etsi penetrare arduum, causam tamen cuiq; assequi licet; vt scilicet securior, sub alieno nomine commeans rebellus, velatam prætextu legationis Scythicæ perfidiam, vltra Balthidem traduceret. Hoc motivo rursus efferascens Russica plebs, ac dudum insuefacta cædibus, Nobilitatem pacis fiduciâ penates repetentem, indignissimè tractavit, ac cruentas iterum manus, in hæricidia distrinxit. Sicitaq; rebus inclinatis, cùm imminens Ver nonnisi internecinum bellum parturiat, &c. &c. Consulite Fid: Vestræ, in extremum præcipitium deductæ Patriæ, in nostra pro bono communi alacritate, nihil desideraturi.*

Datum Varsaviæ. &c.

Incepta frequenti Ordinum concursu Comitia, adverterant consulentium animos; cùm omnes spe pacis excluſi, apparandum bellum quantocius censerent; quod, nè conjuratum in nos Orientem traheret, metuebatur. Hosti in promptu copiæ, celeritas, & immortale odium nostri: nobis musitans retentis stipendijs miles, insufficiens Ærariũ, tardæ contribuendi rationes, aliaq; armorum obstacula, in consideratione veniebant. Ast pervicit iusta vindicandæ iniuriæ repressio; vt acriùs curæ ac meditamenta, ad imminentia verterentur. Propositam per Cancellarium Reg: thesim, in maiore conclavi, quod Senatorium dicũt; excepit vnivocus omnium Ordinum sensus, nihil eo Comitiorum actu, nisi quod ex vsu & ratione stabiliendæ pacis, gerendivè belli foret, tractandum. Affuêre hìc Cosacorũ internuncij, maturè à Chmielnicio submissi; vt, quæ pervicax ille in pacta Zboroviana peccaverat, si simulata humilitas non sufficeret excusandis; saltem armorum decreta, & inevitabilem Principis indignationem, solito astu rimarentur.

rentur. Plurium sensus erat, indignos haberi, qui Maiestate coram exhiberentur: admisit Rex, & exponere palàm iussit quorum causa venissent. Modestè cœperant, nec nisi prensatâ Regis clementiâ aliquid prolocuti; dein supplicem libellum, in adiumentum memoriæ prompsêre, deiecto in terram obtutu, attoniti, vt fermè ij maximè submissionem simulant, qui ex destinatò offendere intendunt. Capita scripti, ex exemplari insero, nè quisquam odio hostis conficta credat. Nempè. Ad ratificandam Cosacorum pacificationem, multùm interesse, vt Pactionis Zborovianæ articuli, novo firmentur iuramento, à potioribus è Senatu Regni, scilicet Primate, Archiepiscopo Leopolienſe, Cracovienſe Episcopo, Exercituum Regni, & Lithuaniæ Ducibus, Leone item Sapieha Procancellario. Firmitudini item pacis conducere, vt Hieremias Wisniovecius Terrarum Russiæ Palatinus, cuius propensus erga Zaporozcẽsem militiam favor (apertissima ironia erat,) & subditos clementia liquet; tum Koniecpolius Vexillifer, Kalinovius Metator Regni, Lubomirius Sandecensis Præfectus, sine signis militaribus, personaliter in ditionibus suis per Vkraynam residerent. *Vnio* malorum causa tolleretur, ac libero Græcæ religionis exercitio, tam in Regno, quàm Magno Duc: Lith: permisso, Spirituales Græco Russi, in immunitatibus Clero Romano æquarentur. Petebant insuper, vt concessâ haud quaquam in verbis laboranti simplicitati veniâ, oppressi populi, Rex protectorem agere vellet. Sanè fermentum vetus.

1650.

Cuicunq; mortalium, nedum prudenti & generoso Regi, Rebellis protervia potuisset: Ille Civili sanguini parcens, si pacem tolerant, novissima exempla meritis ignoscit; isti beneficio abusi, sponsionem verbi Regij spernunt; nova quærendo securitati suæ obligationis vincula. Verùm doloſum hoc aulæum, explicari tantisper expediebat, donec instructo choragio, totius actionis series panderetur. Moderabatur Nuncios Terrestres Vincentius Gasievius Duc:

Gasiewski.

1650. Duc: Lith: ſtructor, qui bello egregius, etiam ad togatæ Palladis actus, promptas qualitates nunc retulerat. Plurimũ namq; eo loci ingenium ac induſtria moderantis valent, vt Naucleri in regenda nave peritia. Vbi audiendis de more Senatus votis ingreſsi Nuncij; lectæ ſunt Kiſielij Palatini ad Regem Kijoviâ ſcriptæ Literæ; quibus poſtulatis Coſacorũ accedendo, ſuper obſidibus ijs pervicaciter annitebatur, titulo & poteſtate *Commiſſariorum* mittendis, quo infamis vadimonij nomen, mollius audiret. Aſt pro tollenda *Vnione*, vltra quam conſuaſorem agens, liberius argumentabatur. Scilicet. *Orientalem, ac Occidentalem, pro vna eademq; Eccleſia ſe credere: cuius vtriuſq;* CHRISTUS *Caput, ab Apoſtolis ſucceſſio, Doctores & doctrina eadem: & quarum vna, ſine altera ſubſiſtere nequeat. Quod in ritibus ac ceremonijs diſcrepent, minus eſſe; ſi in principijs ac fundamento conveniunt. Ad quid verò inconſutili tunicæ* Chriſti *ſciſſuræ illæ?* Vnitorum? Diſunitorum? *Cui bono dividenda Eccleſia, quam* DEUS *conjunxit? Obſtructo eo fonte, nuſquam promanatura verborum diſſidia, vnde plerumq; in arma impulſus.* Conficiebat dein his formalibus. *Fidem eorum provoco, qui vnâ mecum patratores pacis, ad Zborovum initæ fuêre: de tollenda penitùs* vnione, *in ſtipulatum legem fuiſſe deductam; quòd authentico inſtrumento non inſerta, Collegis in arcano habendam pervincentibus: vt collatum id magis beneficio tribuentis Reip:, quàm extortum neceſſitate, Populi Ruſſiæ crederent. Quidni verò triginta turbantis* vnionis *delubris, rependimus? nè aliquot millia Eccleſiarum, abominabili deſolatione, ſacris vacuæ proſtent? quidni vili appendice, Græcis ritibus malè avulſo, & Romanis non benè cohærente, cruentiſſimi belli procellam ſiſtemus? Proviſuros poſthac exiſtimationi, qui priùs ſaluti cõſuluerint. &c.* Hæc ille, cùm præter ſcriptum, etiam ex facto caſuali nimis quàm vapularet. Inter aulica miniſteria Regis, erat quidam Wereſzczaka, ſtirpè Equeſtri, moribus & animo non planè illiberalis. Hic, ex commendatione Palatini inter ephebos adſcriptus, aliquo tempore ſpecie ingenui egerat,

genere

genere & ætate innocentiam ſpondente. Cùm interim verba Principis excipere, privatos cum intimioribus ſermones auſcultare, veſtigare arcana, aliaq; ſacrilega curioſitate rimari: quæ aut internuncijs Coſacorum vulgaret, aut Chmielnicio literis tranſmitteret. Ac de proditore conſtabat, exprobrantibus ſecretiora quæq; Coſacis, & certam ſibi rimam ad intima Regis patere penetralia (vbi meraco incaluerant) effutientibus. Cæterùm perſona ignorabatur, donec Wereſzczakæ ambigui ſermones, attonita ad mẽtionem rebellium mens, & nimia ingerentis ſe in cubiculum Regium aſsiduitas, ſuſpectum reddidêre: dein, literæ charactere Græco, eoq; Zypheris implicito, deprehenſæ, indicium fecerant, venalis animæ, per quam, velut tubum, fumus ille arcanorum evaporaret. Neq; abnuebat crimẽ, reperto inter excuſſam ſupellectilem faſciculo Epiſtolico; quo, de ſtatu Comitiorum, nonnullos ex ſacricolis Ruſsis, eorundem ipſe ſacrorum, convenire deſtinaverat. Fuêre, qui factum mollius, nec pro crimine acciperent; prout fit, ut quæ terra delictorum ferax eſt, eadem & patronos ſcelerum gignat. Equidem, ſi probabile crimen fuit, exemplarem pœnam meruerat; certè in ſpeciem tantùm animadverſio exacta, amandato reo Mariæburgum, vbi ſub cuſtodia aliquamdiu detentus, neq; vltra de libertate aut pœna comperi. 1650.

Cumulum publici odij impleſſe videbatur Kiſielius, æq; ſuos inviſus, ac hoſti ſuſpectus: dum alterum parti probare ſe ſtudens, pro Rep: apud Coſacos; viciſsim pro illis apud Remp: enixiùs agit. Contra omniũ ſenſus animosq; fuêre, reparandæ per arma iniuriæ, in bellum inclinantiũ. Potiores quippè è Senatu in eam ſententiam vnanimiter differebant. *Impiè hoſtem facere, quod ſuo ingenio Regis, ac Reip: ſinceriſſimum animum metiatur. Infirmum* (inquit) *pactionis Zborovianæ vinculum eſt, aliam ſponſionem requiro? nova luramenta volo? Ad quid verò iterari iuſurandum, ſi ſemel factum ex integro obligat? Ad quid geminatæ Procerum ſponſi-*

1650. *ones, si verbum Regium, quod suprema subditorum lex esse debet, simul & authoritas Reip:, transacta firmavêre? Nam si pax est ordinata imperandi ac obediendi concordia; nihil à parte Regia omissum, quod facturum se Rex receperat: etsi stipulatio inter Regem ac subditum, in alijs Regnis pro illegitima habeatur: nec obligari contractu necessitatis Principem, iurisperiti affirment. E contra, vbi à Cosacis obsequium? vbi reddita Sacra templis, aris Sacerdotes, Iustitiæ Tribunalia, exules penatibus? Imò pessimo exemplo invasa Regalia, intercepta privatorum bona, erepta cunctis omnia, & nemini suum reddi. Quorsum verò obsides firmandæ paci exigat? nisi veteri apologo fidē veri facturus; dum lupi non aliter cum pastoribus, in gratiam redituri erant, nisi custodes gregis canes in vadimonium constāter retinendæ amicitiæ dederentur. Hinc deduci postulata Cosacorum, mera insanientis cerebri commenta esse, quibus palam Regiæ, ac Ordinum Maiestati illudant; fideq; data, velut fidibus colludant, quas nunc intendere, nunc remittere ex vsu suo pejerantes possint. Etiam tollenda (*inquit*) VNIO, fons mali & origo? Ergo tollendam simul libertatem, neq; tantùm Spiritualem, sed & politicam. Non enim temporalis pax habebitur, vbi religiosa violatur. Nè verò ille persuaserit, vt in gratiam iurati hostis, tollatur conscientiarum arbitrium: propagetur Schysma, ac convellatur cardo Legis illius: Quod tibi non vis, alteri ne feceris. Etiam quamvis maximè velimus, rem eius momenti haudquaquam ex iusto & æquo præstiterimus. Vt quippè authoritate Summi Pont: Russorū cum Romana Ecclesia* VNIO, *in Synodo nationali enata; ita si tollenda, eiusdem Sedis, cui inter lepram & lepram discernere datur, iudicio stare necessum fuerit. Vbi igitur bona fides hostem non obligat, nec per obsequij debitum ad pacis regulam cooperatur: ad stricti iuris contractum recurrere opus, ac armis subigenda contumacia. Sperare enim licet melioribus auspicijs pro æquitate pugnaturos, quàm qui propugnant perfidiam.*

Vt sæpè res secundæ negligentiam creant; ita imminētiū solicitudo, in propulsanda pericula complanat Civium animos.

animos. Etiam tum Ordines summo studio, nec minore consensu, media tranquillandæ Patriæ agitavêre. Nam semotis è conclavi Senatorio arbitris, non dies tantùm cōsultationibus, sed integra noctium spatia data; vt observatum sit, Rege, Senatu, ac Equestri Ordine adsidentibus, viginti septem horis, continuatam sessionem durasse, actui concludendo. Qui finijt ipso Natalis Christi pervigilio. Sancitorum eius Conventus summa fuit. Si Cosaci animitùs eiurāt rebellionem, Pacta Zboroviana in effectum deducenda, per Commissarios à Rep: assignatos. Erant ij, Stanislaus Zarẹmba Kijovienſis Antistes, Adamus Kisielius Kijovienſis, tot vicibus spei ac laboris irritus, Gregorius Horscius Mscisſavienſis, ac Stanislaus Landzkoronius Bracſavienſis, Palatini. Tum Georgius Niemierycius, Chrystophorus Tyszkievicius, ac cum Czetwertynio, Kossakovius Subiudex Bracſavienſis; qui convento ac requisito in cooperationem pacis Chmielnicio, res Vkraynæ in tranquillū statum restituerent. Secus, cadente aleâ, iubebantur Exercituum Duces, contractis ad lineam copijs subsistere, intēti, nè quid ea parte mali ex insperato erumperet. Imperati item per Provincias delectus circum emissis diributoribus, externo militi contrahendo. Nonnihil circa Contributiones difficultatis emersit, Nuncijs Terrarum obtendentibus; afflictum passim *Regnicolarum* commeante milite statum, vnde desolatæ Provinciæ exolvendo impares: tum, quòd evocandæ in bellum Nobilitati, remittere expediat tributi necessitatem: iuxta vetus proverbium, ex vno eodem agno, haud pellem duplicem detrahendam. Assensêre nihilominùs ad Conuentûs particulares se se referendo, reservata libera optione; vt, quo quæq; Provincia exactionis genere vellet, contribueret; auctis pœnis, in nociva pendendi moram, pigramq; convehendarum pecuniarum tarditatem: Scisscitur præterea publica sine divisione belli MOTIO, (id vocabulum retinet, vniversalis Nobilium in bellum Expeditio,) vnicum huius inclyti Regni,

1650.

Zarẹmba Episc. Kijoviē.
Horski.
Landzkoronski.
Niemierycz.
Tyszkiewicz.
Ozetwertynski.
Kossakowski.

in pace munimentũ, in bello præſidiũ. Trib⁹ quinetiam è
1650. Coſacorũ grege, merito & fide in Patriam haud obſcuris, Ius Nobilitatis collatũ, vt ea prærogativa donati, præmiorum Reip: laudatores eſſent, & exemplum. Ij fuêre, Margie-
Margiewicz. Gorſki. Doroſz. gievici⁹, Gorſci⁹, ac Iuan⁹ Doroſsi⁹, cui⁹ filius Petr⁹, ſequẽtib⁹ annis traditior Ruſsiæ audiet in manus Turcarũ. Ab Anglo quinetiã Rege, cuius poſt ſublatũ execrabili exemplo Patrem, afflicta tum fortuna fuit, legatus ſubſidium depoſcebat: pronâ omniũ in deiectum regali faſtigio Principem commiſeratione; etiam, quòd Iacobus VI. Avus moderni, Turcico ad Chocimum bello, aliquanto ære iuverat noſtros, redhibendum officium ſuaderet humanitas. Iuſsi itaq; quotquot per Regnum haberentur Angli, ac Scoti mercatores, ab omnibus bonis, ac mercimonijs decimã pendere, inde collectâ pecuniâ in iuvamen, à fortuna depreſſo Regi ſubmittenda.

Eodem Anno Cracoviæ, ſubitus exarſit tumultus, orto à Studentibus initio. Quod, etſi non eius momenti vt faſtos impleat, nihilominùs cautionis ergo inſerã, nè contẽpta ſcintilla quandoq; graviùs excitet periculum. Cracoviæ Studiorum celeberrima Vniverſitas viget, autore Caſimiro Mag: Rege Poloniæ inchoata; ab Heduige Regina deinceps erecta, & dotata; vt planè mirum ſit, quod Magnus perficere nequijt, fœminam abſolviſſe. Eius Gymnaſij alumni, privilegia quædam credunt aut iactant indita ſibi, quosq; à fide Orthodoxa alienos divexandi. In Iudæos potiſsimùm deſævijt procella, cum qua gente pueris Vatinianum odium perpetuò durat. Nec vltra puerilem inſolentiam ſtabat excordis populi vexatio, donec ſerpente Bohemica Hæreſi, indultũ aliquid Scholarium licentiæ fuit: quo obſtrueretur eo terriculamento via, nè malum Poloniam quoq; contagione noxia inficeret. Nulla ſiquidem peſtis promptius luem vulgat, quàm iſte fidei morbus. Vbi verò de Lutheri nido, novitij errores Sarmatiam

am quoq; involverant, incumbens ſtudijs iuventus, verbi
1650. Præcones ſibillis primò ac ſcommatibus excipere; & poſtquam reſpergere vivida odia auſi, manus quoq; intentavit. Hinc, in conſuetudinem abijt, quoſcunq; Heterodoxos divexandi Aſcenſionis Dominicæ die, pro anniverſatio turbarum delectâ. Ee tum recurrentæ coibant puerorum globi, inconditos clamores ſerendo; cæterùm, inermis turba, nec in tumultum valitura. Aſt, concurſu in populoſa vrbe exlegibus, graſſatoribus, celariorum incubis, à collegijs artificum excluſis, ac vt quisq; nocturnis latrocinijs ſuetus; dum ſub nomine ſtudentium impunitum crimen, & faciles rapinas ſperant, numerum auxêre in immẽſum. Non deerat quidem in reprimendis Scolaribus, Rectoris Academiæ vigilantia, (is tum Ioannes Rolinius Doctor Medicus) qui Contubernijs manſionibusq; Studentium clauſis, coëuntis turbæ agmen diſsipaverat; verùm nihil eo conatu in ſummam profici potuit. Namq; in ædes medio foro conſpicuas, impetu facto, irruptum eſt; ac evulſis foribus, acta præda: nihilq; omiſſum eorum quæ hoſtis ſolet, igne excepto. Inſidebant Prætorium armati Cives, forum Caſtrenſis miles occupaverat, vtriq; velut in conflictum expediti, cum incondito agmine illo in tabernas inſtitorias. (*Bogate Kramy*) vim iterum vertente: pedites in confertos iaculati, aliquot ſauciavêre duobus proſtratis. Vix (niſi ipſe vidiſſem) credibile, quòd non fulgore ferri, & armatorum oppoſita vi, territum puerorũ agmen abſceſſit; imò irritatâ ex vulneribus ferociâ, impari certamine congrediebatur; anteſignano Scholarium, vbi haſtili decurionis contubernalem traiectum videt, ea vi robuſtioris brachij in Centurionem involante, vt ferro ad manum, cætera inermis, armatum proſterneret. Effuſus oppleuerat forum populus, anxiæ matres requirebant filios; etiam Cives, ne ſua ipſi in pignora crudeles forent, vim inferre abnuebant. Sero diei, dum per plateam, quæ fraterna dici- Bracka-
tur, abſcedit in Arcem miles, complures è ſectarijs, ſumpto

Heyducorum veſtitu, Valvas Baſilicæ S. Franciſci fiſtulari
1650. globis traiecerant, irâ & odio, (vt creditum) ſub larva explendis. Ita finijt puerile bellum, ægrè triduano labore Magiſtratus, ac aliquot hominum cæde, ſopitum. Etſi poſthac complures è turbonibus, quorum notabilius delictum erat, brachio ſæculari traditi, condignas tumultus conciti pœnas, pependêre. Neq; intra ſectariorum vexâ, ea tempeſtas ſtetiſſet, in Iudæos proruptura; niſi ſeiunctim habitantes ij, præuiſo ante diſcrimine; iam Vrbico è Caſimiria, iam à Proceribus emercato præſidio, ſe ſe munijſſẽt. Equidem illi multorum ſub id temporis criminum poſtulabantur. Præter quippè enormia nundinis Iaroſlavienſibus furta; ab ijs, qui repoſitorium altaris, in Claro monte expilarant, ſacra vaſa nefario auſu cöemerant, autoribus in ipſo venundandi commercio præhenſis, ac igni addictis. Tum, quòd (ſi vera fama) Orſoviæ oppido, vbi Chriſtiani frequentiores degunt, geminos pueros, quorum ætas loquellæ impos factum prodere nequiret, clam parentibus circumciderant. In Pruſsia quoque, vt diris devotionibus Chriſtiano litarent ſanguine, puerum excarnificaſſe narrabantur. Vnde recutitam gentem, ſi pro pueris, pueri vlciſcerentur, multi mollio accipiendum putabant. Aſt, quòd in tempus tranſmiſsi, eluſam vim ſolertiæ ſuæ, aut importuno quorundam patrocinio debuêre.

Tunc etiam Vniverſale Iubilæum, medio ſæculo incidens, recurrebat celebrandum; reſeratâ Romæ aureâ Portâ, ac è largo Indulgentiarum fonte, Chriſti Vicario Innocentio tum X. Pont: Max:, dona Eccleſiæ, in fideles, quæ per latifundia Orbis Chriſtianitas diffunditur, pleno ſinu diſtribuente. Excipiebat Vrbs, terrarum olim nunc ſacrorum Caput, accurrentes ad limina Apoſtolorũ peregrinos, promiſcuè & humaniter: tota Italia in tractandis, profuſa humanitate certante. Neq; tantùm Europæi, aut qui vltra Alpes conſident; ſed è longinqua Perſide, Ethiopes, Georgiani, Chinenſes, aliæq; ad extimas mundi metas poſitæ gentes,

gentes, affuêre. Illud tempus adeſſe ratæ, quo Mediator ex Iſaiæ Vaticinio profitetur. *Vt medeatur contritis corde, & annuntiaret populis indulgentiam, ac prædicaret annũ placabilem Domino, & diem vltionis Deo noſtro.* Ritum hunc largiendarum gratiarum, & veteris Iubilæi normam originẽ traxiſſe, multi ſcriptores Eccleſiaſtici oſtendunt; quodq; primitùs beneficium tranſacto ſæculo dabatur, mox à centenario in dimidium, dehinc in quadrantem ſæculi, tranſcriptam. Occluſio Portæ finit feſtivitatem tardè redituram, quæ dein in Regna & Provincias, per Edicta Pontificia tranſmiſſa, communicatur. 1650.

Subnecto, quia cum tempore congruit, Eccleſiã Chebdovienſem quæ quinto milliari Cracoviâ diſtat, fulminis igne tactam exuſtamq;, eodem Anno die XX. Iulij. Ignes eiuſmodi ab exhalatione in æthere produci, peritorum opinio eſt, materiam viſcoſam excitatâ à colliſis nubibus flammâ, tanquam excuſſum ſclopo globum, in ſubiecta iaculante, Et fulmina, multi fortuitum quid putant, alij prænuntios ignes cæleſtis iræ credunt; etiam id quod Chebdoviam ferijt, haud dubiè incendium armorum, ſacra æq; ac profana per Vkraynam correpturum præſagiebat. Illic tunc Cruce in ſummo templi culmine violenter icta, vtrumq; muri latus ad fundamenta diſciderat: flamma primò ligneas contignationes, mox ſubiecta ædificia depaſcente; quoad totum Monaſterium antiquitate nobile, mirum in modum deformaſſet. Et Monaſterium quidem labentibus annis reſtaurari potuit; maius Ordini diſpendium à conſumpta ſacri inſtrumenti Camera, ac archivio percelebri, cum iuribus privilegijsq; in favillam redacto. Agit hîc Divi Norberti familia, olim, à præmonſtrante locũ Chriſto Præmonſtratenſium dicta; ſub Canonicorum Regularium titulo. Introducta in Regnum circa Annum Chr: 1170. ſub Boleſlao Criſpo, Nobilibus Polonis eius loci fundatoribus & dotatoribus: adiectâ primævæ fundationi clauſulâ, in loci Abbatem, ex eiuſdem Monaſterij Profeſſis per-

1650. sis perſonam Nobilem, perpetuò eligendam: qui idem Abbas, aliorum eiuſdem Ordinis in Regno Poloniæ PRIMUS PATER eſt. Ampliavêre dein iura loci Succedanei Reges, per collata gratioſè privilegia; haud conferendam cuiquã titulo Adminiſtrationis Chebdovienſem Abbatiam, niſi qui Ordinis ac loci eiuſdem alumnus fuerit. Aſt ea prærogativa, ſeu quod exiguus eius Beneficij cenſus, Religioſis de facili impetrabilis venit; ſeu quòd eo ex Ordine, raræ qualitatis ſubiecta prodeant, non bono magis Eccleſiæ quã obſequijs Regum nata & apta. Recens memoria tenet Ludovicum Stępkovium, loci Abbatem, ſimul Epiſcopum Camenecenſem, à ſeceſſu Cænobij ad curulem Senatoriam, inſignes animi dotes, ſub Caſimiro Rege transferentem. Etiam Albertum Tholibovium, eiuſdem Ordinis alumnum, Poznanienſem Antiſtitem, pro Eccleſia DEI, zelo, pro Patria, politicis artibus probè inſtructum, Senatorijs munijs ætatem impendiſſe. Hæc ex occaſione fulminis; quod, etſi à cauſa naturali proveniat, ſi tamen terminum à quo ſpectamus ab irato cælo immitti nemo negaverit, terrendis mortalibus aut præmonendis.

Stępkowſki.

Tholibowſki.

Annum conſigno rebus Sueciæ, conſtare vt poſsit, quãdo Carthago hæc, infeſtiſsimum nobis Annibalem parturierit. Sueciæ nomen etſi recentius, antiquitatem originis multi Chronographi ſui aſſerunt, Magog Nóè ex Iaphet nepoti, exordia eius adſcribendo: certè ex poſteritate Adæ, primævo illo generis humani ſeminario proveniſſe, extra dubium fuerit. Propaginis amplitudinem ſub nomine Gottorum demonſtrant; qui, proſeminatis ſtirpibꝰ augeſcentes, vbi diffuſam multitudinem Cimbricæ Herſoneſi, ac Scandinaviæ anguli non capiunt, trans maria effuſi, Thraciam ac Mæſiam primò, dein Italiam, Hiſpaniamq́; ſub Gottorum, Veſt-Gottorum, ac Oſtro-Gottorum vocabulis poſſederint. Horum vbi intercidit potentia, etiam nomen obliteratum: nunc Sueci vt loca primæ originis inſedêre, ita & ſtirpis ſucceſsionem iactant, & nomen vſurpant.

pant. Ab ipſo Diluvio regnari gens cœpta, Salicæ legis planè expers, ſexum in imperijs non diſtinguit. Hinc Thamirim clade Cyri nobilitatam, in ſtemmate Gottico recognoſcunt, & Margaritæ ſub regimine agitaſſe, pudenda viris ſubiectione, non diffitentur. Etiam noſtra ætate, tot annorum ac bellorum victores, muliebri imperio ſubdi haud dubitauêre. Siquidem Guſtavo Adolpho, in conflictu ad Lutham Saxoniæ cæſo; Filiam eius vnicam Chriſtinam, non modo vt Regni poſt Patrem ſucceſtricem, concordi obſequio coluêre: verùm, ſub nomine ipſius Iura, belli pacisq́; adminiſtrata ſunt, propè ſeptennio. Hæc tenella virago, nominis armorumq́; fragore, totam Europam concuſsit; paci leges, bello imperia dedit, in totumq́; virili officio functa eſt; donec maiorennis, ex tutela Eleonoræ Brandeburgicæ matris exiens, Holmiæ ab Vpſaliẽſe Archiepiſcopo, (qui olim Catholicâ Sueciâ Regni Primas) miro omnium Ordinum conſenſu & applauſu, diademate regio inſigniretur. Aderat Carolus Guſtavus è Palatina ſtirpe Biponti Dux, Guſtavi Adolphi Sorore genitus; qui dudũ cauſæ & armis Sueticis immixtus, per omnes militiæ gradꝰ merendo, dum excelſæ indolis experimẽta adſunt, ad ſummum per Germaniam armorum imperium, ſub Generaliſsimi titulo, (quod tum munus Leonchardus Dorſtenſonius abdicârat) conſenſu Regentium Sueciæ, ac miro militum ſtudio provehebatur. Hic itaq́; Conventu Norimbergenſi, compoſitis Germaniæ rebus in Sueciam veniens, iam collapsâ afflictæ Domus Fortunâ, iam merito edecumatæ fortitudinis commendatus, in Principem hæreditarium eius Regni, aſſentiente Chriſtina, deſignatur. Eaſpe ac deſignantium voto, vt matrimonio Reginæ iunctus, muliebre imperium, in virile mutaret. Aſt Chriſtina indignum animo ſuo rata, vt fœmineis affectibus regeretur, quæ viris & armis imperitaverat: Vbi Carolus omnem illi publico diplomate, caverat venerationem, conſilium & vota ſtatuum eluſit; facilius perſuaſa vt ſucceſſorem accipe-

1650. ret, quàm virum. Neq; diu erit, raro transactis sæculis exemplo, labentibus inaudito, cùm non Regnum modò, & opulentæ gazæ hæreditatem abdicabit Christina; sed natale quoq; solum linquens, (quod sine speciali illuminantis Numinis ope, fieri nequijt) Sectæ quam Augustanam Suecia profitetur, magnanimè ac perseveranter valedicet. Quæ per seriem annorum fusius, DEO dante, memoranda manent.

1651.

ANNALIUM POLONIÆ REGNANTE IOANNE CASIMIRO LIBER QVARTVS.

An. CH: M. DC. LI.

Elenchus Contentorum.

Post pacta Zboroviana, magis bellum desijt quàm pax cœpit; Cosacis exitiosa molientibus; Rege nihilominus, qui mitiora ingererent, ad Chmielnicium delegante. Ex occasione de militia Polona aliquid adiectum. Campidux in Vkraynam iter destinat; in Krasne Neczaium adoritur ac cædit; Scianam obsidet & capit; Landzkoronius Iampolium celeritate præveniens exscindit. In Winnitiam arma dehinc versa, quam Bohunus tutatur, acritèr & providè. Arce & oppido captis, obsessi vni Monasterio se committunt. Rumore interim sparso adventantis Cosacorum EXERCITÛS, properè nostri Winnicià abscedunt; abeuntes cur non carpserit Bohunus? Regis in Lubomirios indignatio, cuius causa ex possessione Fodinæ Salinariæ. Dirimendæ liti dati arbitri, sequius quàm par erat tractantur: inde acrior in Georgium offensa, velut facti autorem. Campidux à Winnicia exercitum reducit. Chmielnicius Camenecum obsidet ac oppugnat, irrito effectu. Abeuntem Campiducem Scythæ persecuti, commissa subitaria pugna retruduntur. Rex Varsaviâ Lublinum movet, indicta generali expeditione Nobilitati. Hic mediatione Reginæ, læsa Regis gratia Lubomirijs reparatur. Dona Regi à Pont: Max: per Nuncium Apostolicum exhibita. Regina Crasnostavi valedicit Regi; qui iter faciens conspectu exploratorem capi mandat. Potocius Generalis ad Socalium in Castra: quo mox & Campidux cum legionibus veniunt. Subinde animi militarium, ad divina Iubilæi Solennitate; simul in excessivos rigore pœnarum ad disciplinam imbuuntur. Interea

1651. *Napirscius in montanis turbat, seditiosam plebem in novos motus concitando: ijs turbis, submissa copiæ sopiendis. Poloni ad Beresleczko Castris considentes etiam Hostis, quantæ vtrisq; copiæ? Primus occursus, dein pugna, sequenti die atrocior commissa: tertia demum, decretorium certamen. Loci situs, & acierum ordo; impressio vehemens, quoad hostis in fugã se daret. Dzedzały carragine se suosq; tuetur, nocte prælium dirimente. Oppugnandane Carrago an obsidenda? discrepant Tribunorum sententiæ. Rebelles interim misericordiam Regis astutè explorant, continuò hostilia ausi & patientes. Dzedzałyo in regimine substituitur Bohumus: qui specie pugnaturi in fugam se conijcit, secuta Ducem multitudine. Abscessu hostium in Vkraynam Rex moturus, aversanti longinquum bellum Nobilitati, concedit domuitionem. Qui dum regreditur, Leopoli morbo succumbit; mox Lublini de morte vnicæ Filiolæ nuncium accipiens. Continuata dehinc tumultus Napirscij relatio, vt vigilantia Episcopi Cracovienſis præventus, tandem meritum supplicium cum sociis subierit. Discessus Regis Gedanum, & ea in Vrbe commoratio, per sumptuosam magnificentiam memorabilis. Mors Constantiæ Sororis Casimiri, Neoburgico Principi nuptæ. Exercitus sub hæc Polonus Vkraynam intrat, bellum continuaturus. Chmielnicij in reprimendis conatus, societate Scytharum erecti, cùm Lithuanorum arma altera Vkraynæ parte circumsonarent. Ad Pavolociam moritur non sine bonorum dolore Hieremias Dux Wisniovecius, Trelissijs municipio potitur miles & exscindit. Radivillus cum Lithuanis Polono Exercitui iungitur. Pacem flagitantibus, sed more suo Cosacis mittuntur Commissarij, qui indignè tractati ægrè ad suos remeant. Exercitus Białacerkiem versùs tendit, hoste primùm prælium adornante, mox in Castra refugo. Consilium militare apud Polonos de prosequendo bello; dehinc pacis leges discussæ. ac cõclusæ, quarum capita methodicè inserta. Chmielnicius in Castris Duces deprecatur: idemq; Radivillo verbis infestus, sub vesperam ad suos redit. Potocius Exercituum Generalis pace concluſa extremum diem obit.*

ADirempta ad Zborovum hostilitate, magis in respirium à bello transactus Annus, quàm in pacis stabilimentũ cesſit: siquidem, velut mutuo ex consensu partium, posita arma sunt: quæ mox infestioribus animis resumerentur. Poloni, convulsum Reip: Statum, contumeliam Maiestatis, ac opprobrium suum, vltum ire satagebant; ita tamen, mitioribus medijs pacari ferocia posset: Cosaci remedia periculorum, ipsa pericula arbitrati, aut asserere patrata facinora bello; aut excidio sui merita supplicia prævenire intẽdebant. Destinatum his, excussa directi dominij subiectione, Vkraynam independentem, ac sui iuris facere: indignum illis, vt qui multo maiorum sanguine constiterant limites Regni, rebelli protervâ lacerarentur. Inde istos iustior

iustior causa in fiduciam, illos præceps anteactorum successu animus, in extrema propellebant. Hucusq; Fortuna per incrementa ac gradus Cosacis læta, nobis infestior; iam velut in auge consistet, mox elassata decrescet; dein, ancipiti lance succeſſus dispensans, dum se alterutri parti venditat, neutrius erit. 1651.

Igitur Rex, vbi ignoscere irritum, terrere sine armis vanum putat; totus in apparatum belli versus, literas ad Metropolitanum Kijovienſem dederat, misso Machovio vetere Turmæ Ductore: qui fidem & pacem convulsa, bellum & vastitatem imminentia, nisi tempestivè pœnitentiam Cosaci præoccupant, suggereret. Effectus operæ Metropolitani in obscuro fuit: Chmielnicius à Machovio, multis ad resipiscendum suasus, haudquaquam mores vt exueret, induci quibat. Flebat, iurabat, diras ciebat, aliaq; in ostẽtationem innocentiæ: cùm de facto, IX. Mill: Scytharum, Karasz-Murza ductore (hybernantibus commeatum, ac pabulum, totâ suppeditante Vkraynâ) ad latus accincti starent: legiones Cosacorum suppletæ; novæ conscriptæ; oppida per inimicam operibus militiæ hyemem communita; Fortalitia præsidijs firmata; extra lineam agrestes ad resumenda arma solicitati; omnemq; conatum eius ad bellum versum, evidentissimè constaret. Machowski.

Res monere videtur, vt qui modus & ordo in militia Polona servari soleat, paucis consignem. In Equite (vt ait Aristoteles) omne robur militiæ apud antiquos fuit; etiam Sarmatis, eam militandi rationem congenitam apparet, vel Tacito asserente. *Omnem Sarmatarum virtutem in Equis esse; quibus vbi per turmas advenêre, nulla acies obstiterit.* Quippè regione campestri & plana, equorum maior vsus, & citius victoria paratur. Adsunt hîc generosi greges, opima, pascua alendi ac domandi animalis solers cura: ac, dum nõ muniminibus, sed pectorum obiectu patriam protegimus; equitatu duplicari vires solent. Bifariam is distinguitur, in Hastatos nempè, & Loricatos. Hastati principem in exerci- Hussarze. Panczerni.

xercitu locum obtinent, cataphractorum in morem armati, duplicem enſem accincti, quorum altero cæsìm, altero punctìm feriunt: manu haſta, acuminata cuſpide, ac fluitante ſerico inſignis, defertur. Iſti, ſeu commeat Exercitus, ſeu ſtativis hæret, principia legionum conſtituunt, robur virium & efficaciſsimum præliorum fulmen. Vnde ex Neotericis magni nominis Scriptor, inter omina collapſuræ Sarmatiæ poſuit, neglectam eius militiæ conſervationem, aut obliteratam. Levioris armaturæ Eques, more veterum Sarmatarum pharetras geſtat, loricis è ſquamis ferreis pubetenùs tectus, quæ ſagittarum ictus vtcunq; ſuſtinent, non item ſclopetorum. Vtrumq; militiæ genus, è Nobilitate conſtat, (nihil præcluſâ etiam plebeijs ex commendatione virtutis merendi viâ) ac Socios appellant; poſt quos ſervitia ſecundi Ordinis miles cenſetur: prout etenim quisq; ſociorum, gemino aut terno Equo meret, ita æs militare recipit, equosq; ac ſervos armatos, iuxta album cohortis alere tenetur. Legendorum peditum non eadem conſcribendi ratio, & vſus; isq; paſsim novus. Pulſatur inſtituendo delectui tympanum, oberrantibus vicatim diribitoribus, qui pagorum purgamenta, & ſueti laboris pertæſos vernas, aliquot obulis inautorant, ac ſub ſigna contrahunt. Vbi invaleſcunt numeri, miris circuitibus divexant agreſtes, rapinisq; imbuunt novitium militem. Ita, emunctis provincialibus, ſerò nimis conducitur in Caſtra legio: nec diu, cùm nullo commeatu proviſa, retentis à Fiſco, aut interverſis per Ordinum Ductores ſtipendijs, famelici tyrones ſigna deſerunt, aut fame penitus intereunt. Hinc vidimus, mancas prodire ad opera Martis peditum legiones, earum legatis, ærarij publici detrimenta, ſua in lucra vertentibus: mercede dilapſorum militum interceptâ, aut vitâ functorum in ſe derivatâ. Eum peſsimi exempli morem, plerosque Procerum imitari non pudet, infami quæſtu, quem glorioſo militādi nomine abſcondi credunt, compendium lucri faciendo.

1651.

Kalino-

Kalinovius Exercituum Regni Campeſtris Dux, omni ſpe pacis evanida, etiam ab hoſte laceſsitus, in Vkraynam (incertum an iubente ita Rege) armatus iter deſtinat. Quippè Neczaius Bracſavienſis Coſacorum Tribunus, Wołhyniæ, Podoliæq; plebem in arma concitaturus, Barium extra lineam invaſerat; eaq; ſuper iniuria requiſitus, ſuperbè ſcripſerat Campiduci, præterita exprobrando, ac in præſens ad conſerendam manum temerariè provocans. Irritavêre talia virum contumeliæ inſolentem, vt ex provocationis lege, arma armis opponeret. Intendebat præterea dolorem, ampliſsimarum poſſeſsionum Domino Vkraynâ arceri; perditiſsimo quoq; avita eius hæredia occupante. Iam Machovius in conciliando Commiſſarijs ſecuro aditu, nihil impetrato redibat; Chmielnicio fidem liberi commeatus dare negante ijs, quorum ſecuritati ab authoritate Regia, ac veneratione quod gererent officij, abundè proviſum eſſet: etiam eos inermes prorſus, nec niſi deſcripto à ſe comitatu venire volebat. Monuerat proin Campidux, per dimiſſa circumquaque Edicta plebem, ad obſequium rediret Regiæ clementiæ certa; Exercitum Polonum pacādæ tantùm ſeditioni venire, ſi abdicato turbarum ſtudio, Coſaci quidem iuxta pacta Zboroviana ordinariæ Iuriſdictioni ſubeſſent; ſubditi ad ſolitam ſubiectionem reverterētur. Vbi verò illicium clementiæ, inter pertinaces ſpernitur, ineunte Februario motis Staniſſavoviâ ſignis, excubantem Woroſzyłoviæ Spacienkij Centurionis turmam, nè nūcio cladis emiſſo intercipit; aliquâ hìc interiectâ morâ ſubſiſtens, vt & conſilia hoſtium probè diſpiceret; & ſeriùs excitæ cohortes, ad corpus agminis accelerarent. Deceſſerat iam Bario Neczaius, adventantes in ſubſidium maiores copias operiendo; cùm provocatorem receſsiſſe Campidux indignatus, ac comperto ſolutum curis bacchanalia in Kraſne agere, (namque excubanti Spacienkio fidens, ſub Carniſpriviū genio indulgebat) quantociùs inſtitit Lyæo Martem committere. Fervidum Ducem, ac triennalem

1651. Neczay. Kraſne.

rubigi-

1651. Piasoczynski.

rubiginem ferro detergere ſatagentem; ſequitur læta aciés, quam vix ſeptem Mill: componerent, aſt exiliratem numeri virtute ſuppletura. Præit ſocijs Piaſoczynius Nowogrodenſis Succamerarius, Korycio cum aliquot manipulis ponè ſecuto; qui ſub noctem ſubtus valla allapſi ſubſtitêre, quoad ſuperveniente Landzkoronio ingruerent vna. Conſtitit, vbi ſuggreſſæ cohortes, ex incolis Kraſnenſibus quêpiam, quòd ex concuſſæ teluris ſono, aut vehementiore quæ ſuburbia canum latratu, adventum exercitus conjectaverat, Tribunum periculi admonuiſſe; at is, è ſtatione excubitores regredi, aut ſuos advenire quos expectabat ratus, ſpreverat monentem, imminentium incautus, aut per temulentiam incurioſus. Vbi præcurſoribus noſtris revulſi poſtes introitum facilè concedunt, non niſi ab aliquot ſomno marcentibus ſtationarijs cuſtodita porta, obtruncatis iſtis irrupêre. Ad ſublatum mox clamorem euolvit ſe méſis Neczaius, ac inſcenſo ſpadicè equo, in contra tendentem Piaſoczynij Signiferum, eo impetu devolat, vt ſucciſo vexilli manubrio virum alioquin robuſtum proſterneret. Sequebatur Contubernalium turba, à mero & interrupto convivio violentior, irrumpentes arctâ plateâ ſuſtinens, maximè noxia, ex oſtijs ac feneſtris eiaculatione. Nam præter promiſcuum loci incolatum, ad ter Mill: è veteranis in præſidium deſcriptæ lineæ adfuerant. Vnde deſperata præcurſorum ſalus fuit, niſi Koſſakovius cum Bracławienſi Nobilitate, ac aliquot ſclopigerorum manipulis accurrens, refracto valli ſepimento, patentiorem ſecutis poſt ſe cohortibus aditum aperuiſſet. Iniectus etiam ædibus oppidi ignis, in pugnandum aut reſtinguendum municipes diſtrahens, perituras cohortes vindicavit, & cædi hoſtium initiũ fecit. Neczaius inter confertos pugnans, cum fratre cadit, temerarius & ferox, quod ei pro virtute fuit. Eum hinc inde ordines perrumpentem, Dobrocieſcius præhendens, reluctantem dehinc Zulius, penſilis plumbatæ impulſu, proſtravit; quo ictu debilis obtruncatur; Nobilitatis præci-

Dobrocieski. Zuk.

1651.

præcipuè Bracławienſis manibus, non iniquâ in invaſorem patrimoniorum irâ. Cæſo Tribuno, ac inardeſcentibus flammis, Hawratinius ac Krywenko Centuriones, in Arcem ſe cum ſocijs recepêre; velut obſidium toleraturi. Circumpoſitæ nihilominùs confeſtim legiones, extrema niſi ſe dederent minabantur; non ſegnius ijs in ſubeuntes tela regerentibus. Impoſsibilis planè credita expugnatio, aſperrimo gelu rigente humo; cum Coſaci moliuntur fugam, nocte concubia. Excivit ſtrepitus militem, frigidiore aurâ tum inſomnem, vnde intercluſi, per ſtagnum paſsim iugulantur; Hawratynio, ac Tyſzka ex fuga retractis, ac mox carnificis manu ſtrangulatis. In arce, non temnenda ſupellex armamentaria reperta; etiam Neczaij cadaver loculo impoſitum, ad quem ſacrificuli aliquot emortuale carmẽ occinebant. Eo triſti præliminari bellum cæpit. Quo Morachwa, dum illàc commeat exercitus, territa, haud diſtulit morari victorem; ſeq; dedens, manſit illæſa, præter imperatos commeatus traditione armorum mulctata. Poſt hanc Szarogrodum occludere portas auſum: Oſtium illud Vkraynæ habetur, naturâ & arte prævalidum: tum, præter dura municipum ingenia, Mill: Quingẽtis Coſacis præſidio tenebatur. Proin, quòd Zamoſcij Caluſsienſis Præfecti hæredium, ingerendæ reſipiſcentiæ Cholonievius Optio miſſus, ſpontaneam deditionem perſuaſit. Indè circumfuſo armorum terrore Scianam aggreditur Kalinovius. Aſpero colli impoſita ea, per abrupta rupis, maximè ardua via in ſuperius oppidum quod inferiori ſuperſtat, velut in æ̀re pendulum. Centurio Kaluſsius tuendo loco impoſitus, miſſos à Duce, qui ſeveritatis vel clementiæ exemplo ad deditionem flecterent, pervicax eluſerat. Nullam ſuppetere copiam æris dictitans, qua oppidum ſibi commiſſum redimeret, arma virosq; ſupereſſe, vt ſe defendant. Superbum certè reſponſum merebatur, vt pertinaciâ vi frangeretur. Proin, Kalinovius Caſtrenſi famulitio, per ardua in ſummitatem eniti iuſſo, ipſe in inferius oppidum irruit,

Howratynski. Krywenko.

Morachwa.

Szarogrod.

Choloniewski.

Kaluſz.

1651. brevi impreſsione deſerente hoſte, eo potitus. Reſtabat ſuperiùs maiore periculo tentandum, vndè, è iugo inacceſſæ rupis, ſaxa ingentia in ſubeuntes provolverentur; quib9 militùm multi miſerabili caſu obtriti, reliqui loco decedere cogebantur. Chrzaſtowſki. Cùm Chrzaſtovius ſolers iuvenis, fortè vilicum paterni ruris evocatum, imminentis in ſequentem diem oppugnationis admonuerat, tanquam miſeraretur. Ad hæc Senex, conſulere vitæ rransfugio ſe velle reſpondet, niſi pignora quæ deſerere nefas eſſet, vetarent. Rediens tamen, dum excepta ab hero obſeſsis divulgat, etiam formidinem communicavit. Mobilius vento multitudinis ingenium eſt, terret vbi in fortia impellas; ſi animos convellis, in pavorem reſolvitur. Etiam tum in extrema tolerandâ coniurati, trepidi ſenis hortatu, in deditionem ſuadentur. Nihil morante Kaſuſsio, quin vnâ portâ Polonis patefactâ, ipſe aversâ cum Coſacis abiret.

Iampol. Diſpar fortuna, & caſus atrocior Iampolij fuit, quod ad Tyram amnem conterminis ab vtrinq; prædonibus pro receptaculo habitum, Landzkoronius aggrediendum ſuſcepit. In rem erat, ſparſus, de abitu Campiducis Winniciam deſtinantis rumor: tum ingenium Tribuni extra moras poſiti, ac quo deſtinaret iter, exactè celantis. Equidem, ſeu togæ, ſeu ſagi conſilijs, nihil arcano conducibilius; imò ſilentium anima belli gerendi eſt: cùm nequid quam egregium eum præſtare poſſe credas, cui lingua ſoluta. Glocitant gallinæ vile ovũ pariendo: venatrix ales nuſquam vocalis, vbi in prædas agitur. Comperto nimiſquam ſecurè Iampolium agere, vtpotè celebri mercatu nũdinis, ſub id tempus recurrentibus; ipſo diluculo oppidum ſubeunt cohortes ſuſpenſo gradu, ac portam velut ſibi aperiretur intrant. Oſcitabant vix diſcuſſo ſomno municipes; experrecti alij tabernas inſtitorias aperiebant, quoad vici deinde forum, milite Polono non amica manu cædes ac vulnera intentante, complerentur. Ita deprehenſi, campani æris ſono ad arma conclamant: tarda diſcriminis depul-

depulſione, vbi ferrum iugulis imminet: neq; omnes in idē 1651.
conveniebant, incolis defendendi curas, advenis fugam agitantibus. Ergo iſti trans flumen eluctari conniſi, dehiſcente ponte, vorticibus rapidi amnis ſorbentur; Ciues ſuccenſo oppido, in cædes ac prædam patuêre, ſæviente paſsim victorum gladio; vt quos Iampolij nox ſecuros reliquit, in meridie ſol occidione deletos aſpiceret. X. Mill: hominum promiſcui ſexus interijſſe conſtans fama tulit; non temnendum meriti, trium legionum teſtimonium. Præda à milite & igne diſtracta, dum fortior quisque pugnat, viliſsimis ceſsit.

Winnica. Dein Kalinovius edomandæ Vkraynæ gloriam præſumens, in Winniciam arma vertit. Sita ea ad Bohum, qui Boh. Herodoro Hyppanis; ac, vetere ævo pro ſpecula Orientis habebatur: tunc invaleſcente ſeditione, incolis refertior, dum pagi in oppida, oppida rurſum accurſu convenarũ, in populoſas Vrbes excreſcerent. Bohun. Propugnandæ ſubmiſerat Chmielnicius Bohunum, in omnes belli caſus expeditum; ac quod in vno ſubiecto rarum, conſilio æq; valẽtem, ac fortunâ. Is, præter ambitum oppidi ac Caſtri, etiam Monaſterium in contiguo operibus complexus, proviſo hinc inde receptu, ſi vno loco pelleretur. Poſtquam Stribul. â Stribulo præcurſores Coſacorum in procinctu eſſe cognitum, Landzkoronius ſucceſſu anteactorum fervidior, ad Sadkowce in adverſos illatus, facili negotio leve hoſtium agmen fudit. Bohun9 quippè, confligendi ſtudio, pugnacem virum in iniquum locum pertrahendum facilè cenſens, ſuos oppoſuerat; qui, ſimulato in præſens metu, incũctanter recederent. Receſs9 fuit, qualis fugientium ſolet, etiam vt in victos inſecutio; itumq; ad Hyppanim inſtãdo alacritate ſumma; donec in adverſa amnis ripa, effuſi catervatim Coſaci, refugis ſe ſe iungentes adornarent in ſpeciem pugnã, dolo commodius tegendo. Nam, quâ ſuggreſſuros arcẽ Polonos opinati, exciderant in flumine ſpatioſas voragines, quæ ſuperiactis ſtramẽtis lento vnius noctis

1651. gelu concretæ, fallax baratrum occulerent. Progrediuntur ignari fraudis Poloni, animat Palatinus ac præit; cùm vt illata signa sunt, ita primi Ordines diffracta glacie hausti; eo dolentiore casu, dum, qui in postremo agmine, ne ab antesignanis superarentur virtute obnixè instantes, miserabile sociorum fatum protrudendo vrgebant. Vbi demum legiones aliæ adsunt, inarsêre animis indignâ virorũ fortium strage. Etenim, præter Palatinum, inter fragmina glaciei novissimè periclitatum. (Pacoslaus Landzkoronius opportunè Patruo subvenerat erigendo) Gregorius Kisielius Circassiensis Præfectus, vir egregij animi, cadit; Kisiel. Nicolaus item Melescus Dapifer Novogrodensis Cohortiũ Melleszko. Præfecti, ac ducẽti è cõmilitio. Kisielij cadaver, in adversa ripâ iacuit inhumatum, negante sepulturam hoste eorundẽ sacrorum sequaci. Enimverò, cædes in bello proritant ferociam, & fusus sanguis refundendi incitamentum est. Nam, vbi letale balneum cruentis vestigijs patens circũgressi nostri, in Arcem redintegrato impetu irruunt, eandemq; post primam impressionem, capiunt. Ab arce, in oppidum versa vis; nulli horum magis attendente Bohuno, quàm vt Monasterium, cui fidebat maximè retineret; minùs interesse arbitratus, si tota Winnicia pellitur, dum modò vna corte clausus, victorem exercitum moraretur, nec ambigens submittenda auxilia, vel sanè Chmielnicium ipsum rescindendo obsidio accursurum. Invadendum proin, à nostris Monasterium destinatur, quod iam abrupta rupe, iam alluente amne probè firmum: etiam subitis operibus permunierat industria Bohuni, in futura solicitudinem vertentis. Ad datum signum, ivêre summo fervore cohortes, nuda in destinatos ictus pectora, ad vsq; clausira hostium penetrando. Ast in irritum conatus cessit, reiectis non sine cæde, ac inter alios desiderato, Libiszovio Demetrij Wisniovecij Protribuno, notæ strenuitatis senc. Repugnabant quippè obstinatè Cosaci, in tantùm validiores. Vbi trifariam divisas vires, defendendo vni Monasterio cõ-

Libiszowski.

traxê-

traxêre. Attamen, per submissum Ascetram Bohunus su- 1651.
per deditione Ducem conveniebat; ablegatusq; fuit Baranovius Kijovienſis Dapifer deditionis legibus in pactũ de- Baranowski.
ducendis. Qvâ morâ vsus, cum CCC. Equitibus vltra Hyp. panim excurrerat, subsidijs si quæ venirent explorandis. Etsi non adeo bellè hospitatus; contigerat namque vt aliquot cohortes Polonæ, sub cura Strzyzovij, ac Vieyscij Strzyzowski. Vieyski.
exploratum missæ, sublustri nocte in Cosacos incidendo; vbi tesseræ militaris ignorantia hostes prodidit, summo ardore in adversos irent, reiectis aut dispallatis insistendo: sed maximè Bohuno ipsi discrimen incubuit, quem ex fulgore loricæ, ad radios lunæ micantis, cognitum, vt quisq; ex Polonis fervidior capiendum destinabat. Iam Rogalscius Signifer Kalinovij assecutus, manubrio vexilli tunde- Rogalski
bat, super armos equi reclinem; iam commilitonum alter manu prænenderat: cùm hic elasato equo, prior cespitante sessoremq; provolvente desistentes; ac si fatum eriperet manubias, irrito vterq; conatu abscessêre. Neq; hìc finijt discrimen, instabant iugulo fugacis alij; cum quo loco contortum in se flumen glaciem exuerant; aquis se credit, quarum circumactus vorticibus, glaciei fragminibus contusus, ac gelu rigescens, Syrtim illam incomparabilis equi virtute, superavit. In Monasterium dein regressus, non exantlato periculo, non lassitudine, aut necessariæ quietis vsu munia intermisit; sed sub diluculum in excubias nostras erupit, de die ad valla pugnavit, eodem illo scutulato equo vectus, cuius beneficio, ac pertinaci virtute, pridianum periculum exhauserat. Agnoscunt Poloni, & an satis salvus iocabundi quærunt? quibus ille respondet. Nuperum sub arce Winnicienſi balneum, consimili officio, eodem in amne sibi repensum. Ita viris fortibus, pericula, in materiam non infecti colloquij cedebant.

Quæ inter, missi Comoroviam exploratores afferunt; Komorow.
omnem circa oram copijs in subsidium Winniciæ venientibus compleri, propediem affuturis. Quinetiam interce-

1651. ptus emiſſarius Chmielnicij, edicta ad plebem, bellum imperantia ferens, narrata comprobavit. Vnde Campiduci deliberatum, relictanè Winnicia, adventanti hoſti in occurſum iret? an vnius adhuc diei mora, obſeſſos in deditionem compelleret? Iam ſub adultum Martium, altiores cæli tropicos repetente ſole, hyems in ſolitam áeris intemperiem reſolvebatur; quod anni tempus, hoſti commodiꝰ, noſtris inquum: ad hæc, attritus iniuria cæli miles, ac fatiſcentes diutino opere equi ſuasêre, vt priùs ſecuritati, quàm victoriæ conſuleretur. Viſum inde retromota carragine, expeditiorem venturo hoſti obijcere exercitũ: aſt, quæ ſemper ſanis conſilijs infeſta nox, etiam tum imperia Kalinovij intervertit. Etenim, Caſtrenſe famulitiũ, exonerare Currus inutilibus ſarcinis iuſſum, infrænabili per obſcura noctis licentia, ſociorum currus quibus revecta à Iampolio præda habebatur, expilare cœpit, vt evacuarentur imperiũ Ducis obtendendo. Eò maiore inter raptores & prohibẽtes tumultu, quòd Tribunis ſeveritatis exemplum ni deſiſterent minitantibꝰ, malè per noctem conſtaret authoritas. Hinc neceſsitas, in conſilium verti debuit, plerisq; ſignis ſponte dilabentibus, reliqua Caſtris eduxit Campidux, adversùm imminentia tutior, ſi hoſtem acceleratis itineribus ſupervenientem, aperto campo exciperet. Non vno quippè tractu, ſed laxato agmine veniebat Chmielnicius, vt numeroſis legionibus ſuccinctꝰ, Polonos indagine clauderet. Quod verò per nocturnum tumultum, haud ſegnis occaſionum Bohunus, illaceſsitos abire ſiverit, lepido caſu interveniente accidit. Dum abſcedit Exercitus, fortè aliqui ex gregarijs, largiore meraco ſomnum provocante altum indormierant, cùm à contubernali, vt ſopori ſatiùs quàm vitæ finem imponere mallent excitantur. Beneficium erat, ſed cui mentis impotes indignarentur. Ægrè tandem perſuaſi, dum in viam ſclopos inſtruunt, quia nondum ad ſe mens ex crapula redierat, eos in portam contiguam eiaculantur, ignari ſpeculatores Bohuni illùc delitescere. Iſti demum

demum abſceſſum ſtratagemati imputando, ardorem erupturi Bohuni in diem diſtulêre, & ipſum ſuſpicione anxiũ; Polonis interea ſine noxa abeuntibus. 1651.

Sub id fermè temporis, indignationem Regis domus Lubomirſciana incurrit; acriore in Georgium offenſa, quem in Supremum Mareſchalcatum Regni nuper provectum, memoravi. Cauſam hinc promanaſſe conſtat. Proventus ſalinarum in Regno, nativi perinde ac factitij ſalis, menſæ Regiæ adſcribuntur; è quo iugi theſauro, præter ordinarios ſumptus, ſi largiri placet, abundè æra Regibus ſuppetunt: ſi item congerendæ opes ſunt, non parcè coacervantur. Fodinæ iſtæ, Wieliciæ Bochniæq; ad ipſum Carpatiorum montium radicem exiſtunt, foſsilis ſalis copia tot ſæculis ſufficiente, & ſingulari Numinis providentia, in ævum ſuffectura. Iſtarum reditus, nè ſolers hominum curioſitas de novo reperiundo ſale imminueret, recẽtes ſcrutandis venis ſpecus aperire, cunctis lege vetitum. Quod ſi latens minera in fundo terreſtri deprehendatur, fiſco Regio cedunt bona, ſubſtituta poſſeſſori æquivalente compenſatione. Retroactis annis, Sebaſtianus Lubomirius Caſtellanus Woynicenſis, idemq; ſalinarum Adminiſtrator, in pago ditionis propriæ Lednica aperuerat eruẽdo Sali ſpecum, à cognomine ſuo Lubomirz nuncupatum, qui dum vbere proventu auget poſſeſſoris opes, facilè invidos concitavit, alienam felicitatem in ſui diminutionem accipientes. Itaq; poſcente id Rep:, Fodinâ & Villâ Vir Patriæ amans facilè ceſsit; aliquali Porembæ per legem Anni 1607. compenſatione redonatus. Verum contemptores ſui ſequuntur opes, & qui has Patriæ cauſa prodigit, maioris fortunæ capax eſt. Rurſus Staniſlao Filio, iam tum Ruſsiæ Palatino, in fundo ruris hæreditarij Sierſza Wieliciæ cohærente, ſal copioſus inveniendum ſe præbet; excitata officina à divite vena Cunegundis dicta: nimirum quod ea Sancta Hungariæ Regis Filia, ſalutare id menſarum condimentum, velut dotales opes, miraculosè in Poloniam tranſportâvit. Wieliczka. Bochnia.

1651. tâvit. Manſit diu penes poſſeſſorem vſus Cunegundæ habebatq; Palatinus tanquam rem ſuam haud controverſi Iuris; etſi quod ſciam Commiſſarij, vtrum fodina ea ſalinis Regijs præiudicaret? delegarentur. Verum per hos, in cognitionem rei ſeriò advertentes, lis dirempta fuit, vt dominium poſſeſſori integrum, confectis ac ſubſcriptis tabulis addiceretur. Ita tunc detrimento Fiſci ſine privati iniuria occurſum: ea namq; tempora fuere, quibus excellentia Civium merita in pretio habebantur; & Princeps non æq; de habendo ſolicitus, largiri magis quam acquirere amabat. Morte Staniſlai vſu capiunt Filij Cunegundem, extrema Patris voluntate in communem omnibus vſum addictam; nempè Alexander Stabulo Præfectus; Georgius Regni Mareſchallꝰ, ac Chriſtophorꝰ Sandecenſis Gubernator eum æmuli, ſine quibꝰ rarò eminens fortuna, vt nec Sol ſine vmbra ſtetit, tacita delatione incuſavêre: Proventus OEconomicos menſæ Regiæ interverti ab ijs, qui ex iactura ſalinarum Reip: ingentia lucra perciperent; & niſi repetundarum quamprimùm agatur, diuturno vſu, firmari poſſeſsionem, velut hæreditatem. Datur itaqué negotium Boguslao Leſzczynio Regni Theſaurario, Lucæ Opalinio Curiæ Mareſchallo, Franciſco Dembinio Cracovienſi Succamerario, ac Iacobo Michaſovio Lublinenſi Tribuno, rei vt ſe penitus haberet inſtituta *Commiſsione* dignoſcendæ. Aderat & Fiſci Procurator (Inſtigatorem appellitant) Daniel Zydkievicius ſubacto per forenſia ingenio & promptâ in vtramvis partem facundiâ. Commiſſarijs negotium agreſsis propè erat, vt antiquata litè, addiceretur vſus officinæ poſſeſſoribꝰ, ſecundùm tabulas olim ab Oſſolinio Cancellario confectas; niſi Zydkievicius, quo zelus hominem Aulæ probaret, obtunderet identidem grande regias opes detrimentum pati, etiam Reip: rem agi, quæ communis vniuerſorum Parens ſit, &c. Hîc Mareſchallus, irâ magis quàm ex vſu præſenti excitus, interpellat. *Solusnè tu Zydkiewici ad Matrem hanc te referendo Filium agis, & nos qui tibi videmur. &c.* Ille, Nobilem ſe quoq́ué & cuicunq; genere parem, aſſerens, provocavit impatientis fervorem, vt baccillum arundineum, contendentis capiti illideret.

Leſzczynſki. Opalinſki. Dembinſki. Michałowſki. Zydkiewicz.

Rara laus ex eo facto; equidem provocante iurgio affectum efferbuiſſe conſtitit, ſemper ita à moderato pectore auto-

autoris aliena, & qui magis meminiſſe, quàm vlciſci ofſenſionem crederetur. Certè Rex altiùs impreſſam offenſam accipit; *Commiſſarij* publicis inſtrumentis teſtatam faciunt; læſus Fiſci procurator liberiùs querulatur; etiam æmuli criſtas arrigunt, quibus pridem ſuſpecta eminentia viri, & ſupra menſuram aliorum qualitates. Infenſis mõſtrabatur facilis in vltionem via; qui incrementis inhiarẽt opima oſtentata ſpolia; neq; parſum amicis diſtrahendis, quorum tamen integerrima fides fuit. Vnde emiſſaria ſcripta volitabant, (non ignoto autore, qui lapſurus mox & ipſe, Comminiſtri fatum procuraſſe creditus) quibus, facti emphaſis exagerata, eo fermè ſenſu. *Letale eſt quidquid in Reges peccatur; & in crimina Maieſtatis non modò iuſtè, ſed neceſſariò advertendum. Oblitum enimverò Miniſtrum modeſtiæ & obſequij, quæ vtraq; Regi ſuo vti Domino tenetur: immemorem beneficiorum, quibus ad invidiam largientis, recentèr cumulatus foret. Atrox vtriq; crimen; & refractarium eſſe, & ingratum. Nam violata actus Commiſſorialis ſecuritas, quid eſt, niſi mera ex ſenſu legis perduellio? vnde, in Regem optimum iniuria, in Delegatos contemptus, in* Privilegiatum *Regni Officialem, contumelia promanaſſet. Præmeditato actum, ab ipſiſmet Lubomirijs efflagitata delegatione: vbi annuiſſet Princeps, diſcuſſam vi maiore ab eo, cuius maximè intererat, ex munere quod gerit, ſalvam præſtare actus ſecuritatẽ. &c. Non in eum vſum, virgam moderatricem Primicerio Aulæ traditam, vt ea innocentes viros fuſtigaret: nec decuit, qui legum cuſtos ac vindex habeatur, iura ſi quæ competebant, armis aſſerere. Illegitimum quippè eum proceſſus gradum, nedum ſubditi cum Rege ſuo, ſed etiam inter pares. Iam verò, ſi elaborata in tempus modeſtia veniã petit, non facilè ignoſcendã; recidivo deprecaturi errato, vt qui, poſt Philippũ Hutiniũ, Decretorum Notariũ, itidem fuſte depexũ, gradum facinoris in Zydkievicio feciſſet. Deniq;, ſi factum impunè abit, & Rex infra ſe ponit facilem contumelijs aperire Maieſtatem, inigenuum quemq; Aulâ deceſſurum, minore ignominiæ ſenſu vbi ferrum vulnerat,* 1651.

quàm ex fustis vibice. Iustus Mareschallo ex offenso Rege timor erat, statimque damnata vehementioris affectus impotentia, reparandæ quoquo modò gratiæ insistit. Totũ Rex in meditamenta surgentis belli incumbebat; quorum non postremum adiumentum in eo subiecto, seu consilium spectes, seu subsidium. Itaq;, opportunitate vsus, factum agnoscit, ac diluendo multa submissione agit, flagrantiore in vindictam affectu, per temporis intervalla despumante. Molliendæ iræ, non falsam præviderat viam, vir Aulæ intelligens; per Reginam huic institit, hanc appellat, valida in animo Regis coniuge, & arbitria plenè possidente. Vt redintegrata Lubomirijs gratia, infra tradam. Sed intro-spice quisquis es Aulam, cùm videris referta atria, obsessas penetralis fores, oppletum incubis limen; cogita larvato actu scænam instrui, & tot vertumnos esse quot homines. Amplum hoc diversorium hypocrysæos forum est, in quo præter fumum venale nihil. Hìc iusiurandum titulus fidei re carens, ineptum amicitiæ vocabulum, inanè prudẽtiæ nomen, nisi hæc omnia privatæ vtilitati inserviant. Per vrbanam comitatem, ac obvios in discursum sermones, abstrusa quæq; arcanorum sagacissimè vestigantur. Accedunt simulatio & dissimulatio, incognita veteri Ethicæ entia, nunc cardinales eo loci virtutes. Inter hæc, mira rerũ antiperistasis. Hunc Curulis suæ tædet; illum crescens alterius fortuna premit; ævum transit, neque gravidæ spes parturiunt: horulæ momento casus transigitur. Ita omnes sicut aquæ, alij alios trudunt, mox à sequentibus protrudẽdi: ac, dum felices oderunt, infelices aspernãtur, medij manent, inter eminentium contemptum, & parium invidiam.

1651.

Vkraynæ situs, vt fermè planus, ac campestris est; ita aquis per depressa stagnantib⁹, in lacunas ac crebriores scaturigines resolvitur, mirabili artificio variante naturâ: vt feracissima latifundia perennibus amnibus, herbidæ valles torrentibus, ac paludibus distinguantur. Hinc fit, vt per cænosa & vligine impervia, mitiori Anni tempore tractus difficilior: minori negotio commeant Exercitus, vbi per rigorem brumæ, flumina, ac fallacia paludum congelantur. Eo consilio Kalinovius instans Ver præveniens, confectum opere hyberno Exercitum, Winniciâ Barium, inde Camenecum reduxit; partem securitatis ratus; vt, seu Vrbi vis immineret, seu incursu hostili Exercitus præmeretur, in promptu mutuum adesset auxilium. Etiam Rex facilè fore iudicans, quin ad opprimendam pauxillam manum, vniversis viribus rebelles convolarent; quantociùs omni prælij alea, nisi suaderet aliter opportunitas inhibita; regressum literarijs edictis iniungebat. Tenebat namq; solicitum ora illa, exacti anni stativis commeatu penitùs exhausta, & vix Cameneco in ordinarium præsidium suffectura. Quid, si simul vrbs & legiones intercluderentur, angustiâ rei frumentariæ laboraturos vtrosq;? si annona novissimos in vsus oppidanis reservata, cum socijs legionibus dividitur, perfunctorium diutinæ obsidioni solatium forè. Melius, si interim vrbs fato suo permitteretur; quod & factum.

1651.

Abitu legionum Chmielnicius desertum Camenecum reputans, cum expeditis copijs Dzedzałum (die 6: Maij) præmittit lætus ex destinatione haud arduè patrandi facinoris, si cataractam illam Regni meridionalem, in emercandi patrocinij autoramentum, Ottomannis reclusisset. Ast cælum haloses fortalitiorum definit, & vrbium cardinalium claves, è zona fati pendulas, nulla vis humana extra assensum eius (*Qui custodit Civitatem*) extorserit. Pauca proin de statu & situ vrbis præmitto. Camenecia seu Camenecum Podoliæ, primævâ vrbis erectione obscurum, sub Annum Cн: 1300. à Ducibus Coriacijs, in formam elegantioris municipij redactum, superstat in prominenti colle, præruptis in modum coronæ cautibus ambitum: inter quas, per spatiosam convallem Smotricius amnis circumductis in gyrum aquis, prolabitur. Accessêre genio loci prævalido amœnoq;, munimenta ac artis opera, vnde in hanc diem, humana manu inexpugnabilis creditũ; donec

Kamieniecz Podolski.

Smotrycz Fl:

annis ſequentibus, Chriſtianitatis prædo (proh dolor!) eri-
1651. peret. Gemina porta aditur, quibus Polonæ ac Ruthenicæ vocabula: geminas item Arces habet, veterem vt autumo oppido coævam; nova autorem Sigiſmundum III. Re-
Szomberg. gem agnoſcit, curatore fabricæ Theophilo Szombergo, ingenioſo eius ævi militarium operũ Architecto: quæ ambæ perpetua munitione vrbi cohærent. Foſſas per adſita egerere, haud permittit duritia rupis, eò magìs latomicos ſpecus aperire; hinc adversùs cuniculorum terriculamenta, à ſoliditate fundi ſecuritas. Tuebatur arces Petrus Potocius Podoliæ Generalis; Vrbi ſuetum inerat præſidium præter circumſitæ oræ Nobilitatem; quæ, ingenua hìc ac bellax, Zaczwilichovium eo temporis, vt ſubintraret cum aliquot cohortibus, poſtulando induxit. Eam Dzedza-
Dzedzaſy. ſus dum repentina hyemis reſolutione tardante, abſcedentes Polonos aſſequi nequijt, recollectis ad Barium copijs cum XL. Mill: Coſacorum, obſidione cinxit. Smotrycius nuper vltra ſolitum exundans, aquarum eluviè quâ Polonam portam ſubit, murum ſubluerat: quod vbi Dzedzaſyo cognitum, ratus madore ſubtus labefactatum facilè deijciendum, ſi ſupernè concutitur, è tormentis in ſupercilio edicti collis locatis, quid in tantum munimen poſſet, experiebatur. Aſt in muros verberatio nullâ planè oppidi noxâ inſtituta fuit, globis per diductæ vallis ſpatium, evanido iactu intercidentibus. Immiſsi dein, per devexum iugum Coſaci, ſubiecta diverſoria invaſerant, ad ipſa molendina infeſtis cum ſignis penetrando; aſt ab erumpentibus præſidiarijs egregiè depulſi, conatum tentandæ vrbis mox omiſêre. In procinctu quippè erat Chmielnicij, qui, (Coſacorum X Mill: ac XIV. Scytharum, ad inſequendum Campiducem dimiſsis) ſibi ipſi occupandæ vrbis gloriam relinqui volebat. Fecit ſanè & ſuo more ferox oppugnavit, actâ in præcipitium magis quàm prælium turbâ; irrito ſucceſſu nec iacturæ expers. Nam Potocius Arci Præfectus, non tantùm egregiè vim ſuſtinuit, verùm etiam cũ expe-

expedita ſuorum manu in adverſos prorupit: idem ab vrbe
1651. Moravecius, & Niewierſcius Centuriones præſtitêre; di-
Moravicz. Niewierſki. ſploſionem machinarum libratoribus noſtris ea arte tractãtibus, vt aliqui anteſignanorum capita, condicto vt tempo tulit pignore ferienda, contenderent. Potocius inter primos pugnans, virilis animi palmam tulit, etiam ab evitato vitæ periculo felix; propè enim casũ fuerat, niſi turmæ Valachicæ ſubcenturio, præſentaneam opem periclitanti adtuliſſet. Debita certè ob ſtrenuum in diſcrimina auſum bellaci viro laus; ex lege militari non item, quæ Præfectis ex commiſſo locum tuentibus, erumpendi in perſona, ius non eſſe præſcribat. Ita tum de obſidione Cameneci (die 19. Maij) tranſactũ, irrito conatu, non ſpem ſolùm Chmielnicij, ſed & avarum Ottomanni deſiderium eludente. Demùm Paniowce pretium operæ fuêre, aliquâ bello Chocimenſi fortalitium famâ, quod oppugnatum Turcis reſtitiſſet. In id nunc vis verſa, & diu ab ijs qui intro erant ſuſtentata, donec Trzylatkovius inſanum caput, pactus in-
Trzylatkowſki. ter Coſacos Tribuni dignitatem prodidiſſet: aſt tradito loco, capite mulctatus, cõdignas perfidiæ pœnas dedit. Sed neq; ijs ex voto ſucceſsit, qui inſequendi Kalinovij negotium ſuſceperant. Comperto namq; is hoſtium ſuperventu, impedimenta omnia celeriorem Exercitus tractum morantia, abijci aut exuri fecerat, inter Caſtrenſe famulitium equis vectorijs diſtributis, reliquos equitibo in terga conſeſſores accipientibus: abibatq; pedetentìm agmen expeditum, fugientium oſtendens veſtigia. Invaluerat ſubinde rumor, laborantibus ſuis, Regem cum Exercitu quantociùs ſuccurſui præſto futurum; vnde Campiducem, qui iam rebellionem ſemivictam vulgaſſet, ſuppudebat refugũ in conſpectum Regis venire: nec minùs meruentem, nè pertinax Vkraynæ nullo ſucceſſu invaſio, exprobraretur. Itaq; ſigna ad Kupczynce obvertuntur. Intererat vadũ inter abeuntes & inſequentes potentius; ad quod, relictæ cohortes aliquot ſunt, quæ hoſtem ſi diſtinere non poſſent,

1651. saltem ludificando morarentur. In has ille, lassi exercitꝰ reliquias ad vadum desidere ratus, impetum facit, Scytha præcipuè, cui omne vincendi in celeritate compendium est. Objiciũt se temerè provectis nostri, sustinẽtq; haud in summã perstituri; cùm ad exortũ à tergo certamen Campidux gradum sistens, vbi dimidia pars hostium vadum traiecerat, sat pro tempore ratus, in quos experiretur, animosè invehitur & pugnat; adeò infesta vi irruens, vt primò impetu disiecti Scythæ, ac vt quisq; ex ijs ferocior, circumventus è vestigio caderet. Moniak-Aga è primoribus interimitur, Karasium triplici vulnere saucium arundinetum texit, Neczay Murza vivus præter alios in manus venit. Giganti compar erat, fusco in colorem Ethiopis vultu, & supra humanam corporis molẽ, carneum quoddam propugnaculũ, à natura formatus. In hunc retrusis suis, obsistentem, Ioachimus Łaccius commilito devolat, ac vehemẽti collisione, excusso hostis acinace, vi lacertorum prehendit, ex equo detrahere conatus. Pessima sors capientis fuit, vbi interam actum, Barbarus subtùs se involverat, præter immanè corporis pondus, etiam tenaciori limo immersum. Luctantibus superveniens Curovius turmalis, ac casum pereuntis socij misertus, Scytham clavo adunco ferit, & postquam repetito ictu viribus langueſcebat, ambo demũ deditium cepêre. Exhibitus Regi, ex grandi statura suspicebatur, non impar duobus Hercules. Laudatus Łaccius ex animoso aggressu, laudatus & Curovio ex servato socio, quos inter controversia est, pro captivi lorica, quæ egregiè elaborata, pretium periculi, vtriq; poscebatur; sed ea datis in litem arbitris Curovio cessit, adpromissa alteri Principis munificentia, remunerandæ strenuitati.

Łacki.

Kurowski.

Postquam depulsum Vkraynâ exercitum nostrum constitit, Rex omni mora exclusa (Pridie Idus Aprilis) Vistulã traijciens, in viam se dedit. Pauci è Senatu præter Sigillorum Præsides aderant, dilapsis à latere permultis, quô curatiùs instructi, Principem in id belli sequerentur. Lublini dum

ni dum accurrunt expectati, dum vaga damnosis circuitibꝰ confluunt signa, aliquantum Rex præstolatus, identidem per Edicta accelerandum iter militi pœnasq; ingerebat. Etiam omissa cunctatione literæ *Restium* tertiò iam dimissæ sunt, nè signis evulgatio (vti ad Zborovum accidit) inter causas contingentis periculi audiret. Infero programmatis essentialia. 1651.

IOANNES CASIMIRVS
DEI Gratiâ REX POLONIÆ,
Magnus Dux Lithu: &c. &c.

Licetsi in solicitudine ac cura paterna, nihil enixiùs Sac: Reg: Mai: habuisset, quàm vt interno bello sopito, consummata pace Regnicolæ *sui fruerentur: neq; ad publicam* Motionem *Nobilitatis, vnquam devenire necessum foret. Verùm, quoniam fœdifragus hostis, iam à S. R. M. eo nomine obnuntiatus, iam à delegatis Reip: super resumendo tractatu pacis requisitus, oblatam Clementiam aspernari præsumpsit: ingruentium periculorum provisu, cogitur tandem S. R. M. vim iniustam, necessaria armorum oppositione, repellere. &c. &c. Accedendo itaq;* In Dei Nomine *Ad novissimum in extremo periculo remedium, scilicet Generalem Expeditionem, (cuius maioribus nostris salutaris vsus, neq;* Deo *dãte improficuus nobis futurus) innotescimus hisce tertijs literis* Restium, *&c. Pro fide itaq; Orthodoxa, incolumitate Patriæ, ac Libertatibus tuendis, vt quisq; vocatione Equestri, ac generis prærogativâ obstrictꝰ est; arma indicere omnibꝰ: ac, pro die quinta Iunij, locum ad Constantinoviam veterem, Conventui generali, vbi armilustrium ac census militaris condetur, assignare. &c. Datum Lublini die 20. Aprilis, Anno reparatæ Salutis M. DC. LI.*

Hìc læsa Regis gratia, Lubomirijs reparatur eo modo. Vacabat Rex devotioni in Æde primariâ; cùm, peractis sacris, Proceres latus propè accedunt; is officia venerantium præstari ratus, recipit subinde literas, à Primate Łubienio,

quibus

1651. quibus post vota impertiendæ de cælo victoriæ deprecabatur Lubomirijs ex malè tractata *Commissione* noxam, vt qui se errasse non abnuant, & factum meliori actu reparare intendant. Subdidit oretenùs plura Leszczynio Procancellarius, eadem postulata, cunctis è Senatu quì aderant in adiuncto ferentibus. Reluctabatur Rex, vim sibi per preces fieri vetans; iamque propè erat, vt intercessio successu careret, donec Regina non irritus mediator accedens, gratiam in solidum reparasset: cunctantiùs promoto indulgendi negotio, quo è viris Clarissimis titulus clementiæ augeretur. Ita finijt dissidium illud, cùm in antecessum Zydkievicius non temnendo æris hostimento placatus foret.

Tunc quoq; ab Innocentio X. Pont: Max: Ensem cum Galero Regi; Rosam Reginæ; Ioannes Torresius Præsul Adrinopolitanus reddidit: non ingrata Paternæ solicitudinis insignia. Actæ solenniter gratiæ; maximè, quòd in superficie Epistolij; Encomium, DEFENSORIS FIDEI Regi Sarmatiæ tribuebatur, velut debito titulo, Rege lætante. Quidni enim ex constantissimo erga Sedem Petri obsequio meritum, imò debitum id, dicere liceat? Polonia vtique Hæreses non parit: &, si quando fulmen anathematis in se vibratum sensit, paternam animadversionem accepit morigerè, spontè abdicans Regium honorem titulumq;; non nisi vbi crimen expiasset, Apostolica authoritate resumendum. Protrudit enimverò aliquis Regum, accisas Maurorum reliquias, aut impuram recutitorum fœcem, ditionibus suis eijcit; hinc in superlativo Catholicus dicitur. Assuit alter speciosam pietatis laciniam, & curam fidei temporalibus obtendens, pro primogenito Ecclesiæ audire amat. Non invidemus Poloni, vsurpatos mero vsu appendices, si Reges nostri meritissimo iure, FIDEI DEFENSORES, dicuntur. Siquidem, Regnum hoc, velut rosam Catholicæ fidei odoribus fragrantem, circumstant spinarum aculei; Machometanq Oriens, Schysmaticus Septemtrio, Hæreticq

reticus Aquilo, Gentilis Taurica, superstitiosa Dacia, etiam illa ipsa cervicosa in obsequium Roxolania. Hos inter scopulos immobilis Poloniæ fides, trophæum Crucis latè expandit, & bella Domini acerrimè præliatur. Ex condignò & meritò, Clypeus ac Antemurale Christianitatis appellanda. Nisi, quòd insit quædam bonis verecundia; cùm nulli minus laudari cupiant, quàm qui magis meruerunt. 1651.

Regina Krasnostavo Varsaviam regressura, valedicit in tempus Regi. Fama fuit, pertentatos ab ea modos, vt interesse bello liceret. Non incredibile, ab amore coniugali proveniisse solicitudinem: multi insitam maternæ stirpis animositatem dixêre; namq; è Lotaringicis ea supra sexum erectioris animi, bellis non interfuit modò, sed præfuit: vnde Amazon Galliæ dicta est. Verùm remeare ob belli casus visum; tum, quòd non expediret, consilio eius, quo valuit maximè, intima Regni nudari. Sub valedicendū immotum animum præseferre ostendit, quoad scandente Equum Rege, diu coercitæ lachrymæ prorupissent. Adstabat Gynæceum, quod è toto Regno lectissima formâ componunt viragines; quæ suas quoq; in dolore partes ratæ, Dominæ lachrymis socios fletus addiderant. Dixisses venusta Phidiacæ manus simulachra imbre perfundi, aut molle corallum in gemmea resolvi stillicidia. Solabatur subinde mœstas, Aulica Iuventus vrbanè pollicendo, innoxias quas funderent lachrymas, mox cruore hostium pensandas. Motis signis, equitanti ante Prætoriam cohortē Regi, obvium se dat mendicabulum hominis, detrito germanicum in morem bubalino amiculo, morticinum quid circa viam deglubendo. Conspectum, palàm edixit Rex speculatorem esse. Requisitus, quis & cuias? constanter respondet, ex pedestri legione quæ vicino oppido subsisteret, inter gregarios haberi. Ast, propiùs adducto, hæsitat; mox, ad conspectum Maiestatis tremit: quæstionibus dein subiectus, emissarium se Chmielnicij, qui videndi in persona Regis negotium suscepisset, fatetur. Igitur, quia in Præto-

Krasnystaw, Gramōdus.

Prætoria Vladiſlai Regis militaſſe cognitum, tanquam proditori & transfugæ ſuſpendij pœna irrogata. 1651.

Ad Socalium quoad Bugus alluit, ſubſiſtente Exercitu, Generalis Potocius, inſigni militarium cominatu adibat Regem, ſub impreſſum manui oſculum, non viſam exacta trieteride Maieſtatem ſalutando. Etiam Rex gratum ſibi tanti viri reditum; tum fide alijsq; veterani Ducis qualitatibus laudatis, ijs ſe vſurum ſpondit, ſi modo fracta laboribus bellicis valetudo eius reſtituta manet. Dehinc patentiſsimo campo copiæ. *Stipendiariorum* recenſitæ ſunt; illis quales & quantæ, ſe ſe velut in præſentem conflictum monſtrantibus. Aderant armorum Præfecti ambo ſubinde interequitantes; Potocius inclinata ætate & recenti morbo languidior; Kalinovius, (nuper à Cameneco Caſtra cum legionibus introierat) recens commotæ Vkraynæ merito erectus; vterque conſummatam maturi Ducis famam implentes. Hîc Princeps, Imperatorem ſe Ducibo, Ducem militibus, cunctis Regem oſtendens, per flagrante æſtivo Sole diem, aciem inſtruxit. quæ vbi regulata methodo diducta in cornua fuit, adequitabat hinc inde ſignis, cumq; adderet militi alacritatem, viciſsim conſpiciens recipiebat. Neq; omiſſum per divina, animos in ſpem cæleſtis auxilij præparare particularis Iubilæi indulgentias, Exercitui in hoſtem eunti Pont: Max: impertiente. Sub Corporis Dominici anniverſarium, eas è theſauro Eccleſiæ opes, in Orthodoxam militiam viſum diffundere; circumferendo Chriſti Corpori myſtico, è Prætorio Regis proceſſione inſtitutâ. Deferebat ſacram thecam Leſzczynius, Regni Procancellarius; inſtabat aliquo ſpatio præcedenti Rex, ad obverſam Hoſtiam cum accenſo cereo, vbiq; poplite cernuus: ac, quò palam eſſet, ad præſentiam æternæ Maieſtatis temporalem faſces ſubmittere, regiam vmbellã ſupra velatam involucro Panis Divinitatem, à quatuor Proceribus præferri voluit. Senatus ac Tribuni ſtipabant, circumquaq; dein militaris turba. Prælegendis de more Evan-

Sokal Buk Fl; Kwarciani,

Evangelijs excitatæ erant, apud principia legionum quatuor Aræ; ad quas dum cum ſacris myſterijs itur, Aquilas, deferentis Antiſtitis pedibus cohortium ſigniferi ſubſternebant; in recognitionem terrenæ poteſtatis ab Eo, qui Deus exercituum eſt, immediatè dependentis. Equidem ingẽs bellatori fructus, ſi ſpem firmam in adiutorio Numinis figat, eamq; externo cultu exaggeret; iſta quippè patrociniũ in partes ſperantis validè trahunt; nam, cum quo Deus, quis contra hunc? Neq; inibi ſeveritatis exempla deſiderata; nonnihil laxatæ inter continuos belli actus militari diſciplinæ inſtaurandæ; quæ præcipuum imperij, ac obſequij ſtabilimentum eſt. Nam, vt crebriores conflictus ſtrenuos milites reddunt; ita fiducia armorum, reſolvit diſciplinam; niſi opportuna ſeveritate Ducis contineatur. Permulti tunc è cohortium Præfectis, demeruerant, turmales conniventer incolas mappalium acerbè habendo: repertis, qui, ſine pudore flagitij, aut cura honoris, à rapinis ac violentia neutiquam temperarent. Hinc quærulantium impulſu, à Generali die dicta, (nonnullis callenti iudicio ſubductis) Pawłovij duo turmarum ductores, nimis licenter egiſſe comperti, capitis ſupplicium ſubiêre. In propatulo Caſtrorum exacta pœna, quô & Nobilitas, non impunè vexam provincialium abire videret, & ſtipendiarij formidine exempli à ſimilibus deterrerentur. 1651. Pawłowſki.

A Socalio ſextis demùm Caſtris Bereſteciam ventum, agitata cum præcipuis deliberatione: Tranatonè ſtyro, in patentia camporum eluctari? an prætenſo ad lævam amne, locum obiectu paludum tutiſsimum occupare, expediret? ſecuriora plures ſuadebant: vſus prudentiorum commendabat conſilium, quominùs patenti planicie, ingentis aciei explicandæ opportunitas, antecaperetur. Vtramq; ſententiam Rex in ſuſpenſo tenuit, necdum adventus hoſtium certus, & in arena conſilium formaturus. Feſtinantem inter hæc ingens ſolicitudo advertit. Quippè, Petrus Gembicius Epiſcopus Cracovienſis, per ſubmontanum tractũ, Bereſteczko. Gembicki Epiſ Cracov:

1651. quà Carpatij montes Hungariam diſterminant, tumultuari plebem, & exitiabilis ſeditionis iacta ſemina, celeri nuntio exponebat. Autor turbarum Alexander Napirſcius, dudũ Napirſki á ſervitijs Aulæ, dein mendicata ſtipe erro, mox impoſtor, ſceleratum animum ad curas enormis facinoris aptaverat. Exſtimulabat turbidum & nequam caput, præceps ex alieni ſceleris ſucceſſu audacia; præſertim, quòd ſubalpini incolæ, genus vulgi per latrocinia exercitum, ſodalitium ad nefas facilè promitterẽt, pari locorum ac hominum feritate: deniq; ſi nefaria cœpta malè ceſsiſſent, ad Hungariæ conterminos latrones, tutum deprehenſus receptum prævidebat. Hanc itaq; telam ordiens, primò meritiſsimæ Koſtcarum domus, nomen ac ſtemma ementitur; dein, diploma Regium confingit, quo miſſum ſe illi tractui præſidio, firmiter perſuaderet. Sic, aſtructa apud imperitos fide-, Czorſtini. Czorſtinum Arcem ad Dunaiecium ſitam (Platembergus Platemberg eius Præfectus, Iudæum loco Curatorem impoſuerat) cum Præfect. ſequacibus invadit, poſſeſsionem vſurpat, & pro legitimo loci Præfecto agit. Aſciverat iam ante ſocium ſibi, quendam Czepiec, verſipellem illum, ac dudum ciendis turbis artificem, eoq; Mareſchalci cognomen, (credo per antiphraſim) ferentem. Hic itaq; per rura volitans, exuto herili iugo, alleviationem onerum, & lene recentis Præfecti dominium, quæq; aliæ trahendi in ſeditionem vulgi illecebræ ſunt, inſinuabat; Coſacos in exemplum monſtrans, ac Regem ita velle, impoſtorio diplomate pervincens. Facilè dein aliquot turbonum confluxêre, mox ſuperventuris alijs; alijs ſucceſſum facinoris tacito conſenſu præſtolantibus. Occupato Czorſtino, minus habuit, ſpes in cõtigua oppida, aut privatos domos avertere; niſi Metropolim Regni in ſpolia deſtinaſſet. Submiſsi qui ſtatum vrbis explorarent, dum pyrium pulverem aliaque eiuſmodi cóèmunt, intercepti, in quæſtionib⁹ ſeriem inſtructi diſcriminis, quod in proclivi erat, aperuêre. Vt malũ, vigilantiâ Epiſcopi, in herba oppreſſum, infra tradam. Enimverò percel-

percelluit atrox nuncius cunctos, ingenium vulgi ſumma imis miſcere natum expendentes: dolebantq; velut vniverſali claſsico excuri ſubditorum perfidiam, ad circumquaq; invadendum per ſeditionem inclytum Regnum. Augebat ſolicitudinem, nè oræ illius Nobilitas laribus pignoribusq; metuens, Caſtris iniuſſa abiret: ſi item opprimendo molimini vires diſtraherentur; non ſine diſcrimine ac turbamento fore; cùm Nobilitati ſine copiarum diviſione-, belli gerendi modum, vetus lex præſcribat. Quodſi emanaret arcanum, intima Regni à tergo miſceri? dein, bipartiri Exercitum: augendam inde rebellium ferociam, & qui nunc vniverſis Regni viribus, tanquam pares arma opponant, diſtractis, graviores ac ſuperiores ſe ferant neceſſe. Evicit tandem ratiocinationem neceſsitas, vt Michaël Zebrzydovius Enſifer Regni, Alexander ac Chriſtophorus Zebrzydowſki. Lubomirſcij, ille Hyppocomus, hic Sandecenſis Gubernator, cum bis Mill: virorũ ſelecta manu, ſedandis turbis mit. Lubomirſcij. terentur. Quod multarum eo tractu ditionum Domini, vel herili autoritate obſequium, vel oppoſitis armis tranquillitatem, facilè ingeſturi forent tumultuantibus.

Excurrerat interim Koniecpolius Regni Vexillifer, confirmando ad imminentes belli caſus, Brodenſi fortalitio ſuo, ſimul è paterno armario, machinas in id belli ſuppeditaturus. Tantum namq; Heröis iſtius in procurando publico commodo ſtudium fuit, vt poſt tot fortunarum & Regalis propè patrimonij diſpendia, vitæ prodigus; etiam extremum Patriæ halitum donaturus videretur. Is, ex itinere, vbi Olycam hoſtilibus armis quati cognoſcit, cum aliquot cohortium aulico comitatu, hùc properus ivit, niſi evulgato per agreſtes adventu, cuti timentes Coſaci, obſium Olycæ ſolvendo, raptim abitum maturaſſent. Poſt hunc Gabriel Stępkovius exploratum miſſus, hoſtem ad Stępkowſki, veterem Wiſnioveciam, immobili ſtatione hærentem com- Czarnecki. periens, facilè perſuaſerat, totis viribus in occurſum eundi. Aſt, vbi Stephanus Czarnecius, ac dein Koniecpolius ite-

1651. rato excursu iunctos iam Cosacis Scythas comperêre, caq; captivorum relationibus firmarentur; mota iam Carrago sisti, & hostem versùs procedendi, mutari consilium debuit. Nunc, quibus quantisvè partium viribus, grande hoc prælium gestum, ex peritorum æstimatione, consigno. Merebant Regi *Stipendiariorum* XXXVI. Mill: sed qui hyberna expeditione rarescentes, deducto calculo tetrantem desiderarent. Hùc pertinebat peditatus octo legionibus comprehensus. Nobilitas, quæ sub nomine publicæ Motionis audit XL. Mill: superasse credita: complurium Provinciarum è Maiori Polonia signis ob loci distantiam adhuc dum absentibus. Hæc trutina peritorum de numero: etsi militia Polona numerosior appareat, circumducto per solitum morem frequentiore famulatu, ad privata magis servitia, quàm in vsum præliorum. Eæ Polonis vires. Contra Hanus Crimensis Centum Mill: selectissimi Equitatus adduxerat, cum tribus Soltanis, qui è Stirpe Cereca agnati, Præfecturæ armorum per Tauricam imponuntur; præter innumeros Murzas ac belli Duces. CC. Mill: Cosacorum censebantur, exceptis, qui circumcirca pabulando ac vastando, non affuêre His copijs Chmielnicius Dux; inter nos natus ac educatus, nostra in militia didicerat; quid in adversa faceret? Armantur Scythæ arcu ac sagittis, acinace latus accinguntur, præcipuos lorica ferrea tegit, aliqui breviores lanceas Arabum more vibrant. Potior in danda vulnera vis in manu ac equis consistit, quæ potissimè ignavos à frontibus distinguunt. Dandorum quippè ictuum efficaciam Caballi iuvant, præter pertinacem cursum, in volubiles gyros, expediti. Cosacorum pedites longiores fistulas gestant, ab excussa è silice flamma scintillantes. Similes equiti sunt, qui, vbi opus ex equis pugnat; vbi statarium prælium imminet, desiliens in pedes densatis Ordinibus aciem constituit. Eos planè Dymachas Macedonicos rectè vocaveris. Verùm omne robur in coadunatâ Curruum seriè consistit, quæ vt nostris, etiam illis, Thabor seu Carrago dicitur.

Samopaly.

Quar-

1651. Quarto Idus Iunij, passim fumantibus à longè stativis, palam erat, hostem in procinctu esse. Ibant quidem redibātq; exploratores nostri; aliqui tamē fallaces coniecturas, pro certò indicio ferebant: donec Sereda è Lubomirscia- Sereda. na ala Valachorum caput, quatuor veteres Cosacos; Zarudny item è legione Wisniovecij Centurio totidem Scythas adduxissent, præcursores hostium gemina leuca tantùm abesse nunciantes. Sol propè meridiem erat, cum ij in lixas, pabulatum egredi cotra iussa Ducum ausos, invecti; ac nonnihil è fastigijs collium, situm loci speculati; ad conferendam velitari certamine manum, nostros provocabāt. Ast Zamoscio Excubiarum Præfecto, id pugnæ genus (ita à Rege iussus fuerat) omnino inhibente; suppudebat Polonos formidinem exprobrantibus Barbaris, velut congredi abnuentes stare: quoad increscentibus catervis, ac magna speciè & clamore involantibus, vt quisq; eo pugnæ genere notior miles, equum sortemq; tentare permissus. Discurrunt ergo singuli, binivè; tolutim aut incitatius vt placet; ac cum destinato æmulo, quem non ira aut delectus, sed casus obtulit, sinuosis equorum gyris, & suo ingenio experiuntur. Concursant, instant, refugiunt; deinde feriunt vel capiunt, activo aut passivo, prout se fortuna dat, eventu. Anceps consectatorij ludi finis, vnius victoria, cædes alterius, aut captura. Certè non ingloria eo in theatro monomachis scæna, quibus immensa humani sanguinis sitis, occidere aut occidi volupè facit. Probè gens nostra inhumanas Taurocertaminum luctas ignorans, vel abhorrens; nec adeò per gladiatoriam artem cruoris avida, maius fundendi sanguinis incitamentum gloriam, hìc cum Barbaris decertando æstimat. Postquam nonnihil velitatum; tum verò Scythæ non obscurâ suorum iacturâ in prælium accinguntur. Solent illi, ex primo certaminis præludio, eventum imminentium solicitè vestigare; nam, si primum interempti hominis cadaver, prono in adversam partem capite cadat, pro omine prospero accipiunt: sin ad se

versùs

versùs relapsum provolvatur, sortis adversæ infallibile præ-
1651. sagium reputant. Neque tum curiosos sua haruspicina fefellit. Quippè notabilior versicolore equo barbarus, interequitantem Polonum pilo Arabico invadens, ab eodem sagitta per transversum pectus acta, cecidit prostratq. Quē sui retrorsùm procumbentem conspicati, sinistro præsagio vecordes, in aciem nostram agminatim effusi ivêre. Insistebant campo ordinatæ legiones, lenioris auræ spiraculo signata Cruce vexilla ventilante; cùm Koniecpolius, ampliorem gloriam fore non nescius, si primitias discriminis in oculis tot exercituum occupasset, copiam à Rege pugnandi poscit, habetque. Vt resonuêre tubæ, dat se eunti socium, Mareschallus Regni Lubomirius, necessitudinem sanguinis quâ iuncti Herões, non alibi rectiùs demonstrādam ratus, quàm vbi sanguinem, à consanguineis fundere vsus Patriæ postulat. Initium hìc pugnæ, non animosiore procursu, quàm conflictu obstinato. Quâ inardescente succedebat Campidux; hunc dein, circumfusum erigebat Wisniovecius Palatinus, simul Cracoviensis, Sandomiriensis, Lencicienſis, ac Russiæ Nobilitas, ferrum impigrè stringens; vt planè dimidio virium in primum fortunæ experimentum à nostris ageretur. Quoad inumbrante vespera, Scythæ, in non simulatum abitum solverent aciem, crocodilino planè gentis impetu; vt, qui perculsis instent acerrimè; rursùm fortiter reiecti, cedunt instantibꝰ. Pulsos campo etsi nox ingrueret, leuca Polonica Koniecpolius consectatus, ad satietatem ferro in traiectu paludis vltus est: hìc namq; cædi amplior locus, quo in fugam angustior fuit. Creditum, agitasse proxima nocte cum primoribus Hanū, de modo renovandæ per pacta cum Rege amicitiæ; nisi Chmielnicius numerum roburq; nostrorum elevando, in adversas meditationi pacis curas, retraxisset. *Nesciunt (aiebat ille) delicatuli isti, quomodo ferendus sit pulverulentus aëris afflatus, æstivi solis ardores, transigendarum sub dio noctium intemperies; vel si maximè adversùm iniurias cæli obdurue rint,*

ruerint, si modo Quarcianorum *prima vis vtcunq; frangitur: reliqui, aut in Regem male affecti, aut inter se se dissidijs agitati, deniq; invicta armorum nostrorum coniunctione terrefacti, enervis longa pace militia, ægre in officio manebit. Neq; signa tātum, sed Regem suum turbidi deserent, prout nuper quod probè sciret; aliquot legiones Regi infensæ, Castris iam abijssent.* Tanti erat Napirscij molimina celasse, grandi ex revelatis nocumento. 1651.

Succesit dies Petro & Paulo, cœtus Apostolici primicerijs sacer; quo rarescentibus sub diluculum vmbris, equestres alas Rex in campum prodire imperavit. Etsi namq; vniversali prælio, de summa rei decernere cuperet, nihilominus ardorem prudenter in æquilibrio continuit, donec quid vltra intenderet hostis, quævè certa potentiæ eius mensura esset, penitùs explorasset; nunquam futurum iudicans, quin Barbari tota virium mole in se venirent, pridiano conflictu malè mulctati. Ast contra vertit, vix enim vt pedites Cosaci accurrerent morati, quà Campiducis statio, effusis agminibus Scythæ invecti sunt. Præliando ij, dum à sinistra manu emittunt sagittas, in dextrum aciei cornu primò ingruūt. quod si iactu telorum Ordines confundi vident, ibi vlteriorem vim vertunt: si irrita impressio nihil turbat, velociter in medium aut extrema agminis feruntur. In eum modum tunc præliati; quippè Kalinovio ad fusam volatilium telorum procellam immoto, in Szczavinij Brestenſis Palatini legionem, ac qui ponè stabāt incubuêre, immensis suorum catervis totam lævo cornu aciem involvendo. Eâ parte Landzkoronij statio, idem impetus incubuit; qui festinus in gloriam felicitati suæ imputavit, quòd transmissis levi assultu collateralibus, velut ex destinato impeteretur. Excipit itaq; animosè vim, stricto ante signa ferro præcurrens, cietq; prælium atrox & anceps, nullo inter permistos, qui sui, quî hostes discrimine, nisi infestos signa distinguerent. Siquidem cum Chmielnicio Hanus, quidquid penes vtrosq; roboris, hìc exerebāt.

1651. Laboranti ſub immenſa multitudine, ſubmittitur Campidux; dein Wiſniovecius; Coſacis opponitur regia phalanx ſtipendiariorum; Prætoria Generalis Legio, Palatini Podoliæ, ac Sobieſciorum Fratrum alæ, & quæ alia Nobilitatis ſigna hîc ſtetêre. Pugnatũ vltra quatuor horas collato gradu, colliſione adeo infeſta & gravi, vt præter Landzkoronium, ac qui alij in eodem ordine locati, vi maiore reiectum; Potocij Generalis cornu, confuſum planè nutaverit, ac ſignum Prætoriæ cohortis ex manu Vexillarij Brzo-
Brzoſto wſki. ſtovij, ab hoſte raperetur. In oculis Regis ea prælianti fortuna, vbiq; accurrentis, & diſponentis; & niſi retraheretur, omnino diſcrimen gregariorum ſubituri. Si repulſi ſui, generoſam vivacibus oculis iram, & motu ingruentis vindictam oſtendebat; ſi pulſus loco hoſtis, pio ſuſpiriorum fervore, ac maturo ſuccurſu vincentibus aderat. At enim, vbi reliquum Equitatus Polonici robur, in hoſtem ruit, Scythæ fluctuare, mox tergum reſpicere, dein pedetentim regredi occipiunt; neq; diu Coſacis abſceſſu ſociorum morantibus. Pulſis Campo nè inſtarent Poloni, datum receptui, ſignum cohibuit: quòd Carrago hoſtilis in-procinctu adeſſet; tum nè ex fuga pugnax Barbarus, fracto per acclive montis inſequentium impetu, iteratam vim in laſſatos effunderet. Nullum quippè probrum Scythæ, regredi aut fugere, dummodo rurſus inſtet; is hoſtis, improviſus aggreditur, providens elabitur, ſi ſequatur intercipit, ſi fugiat evadit, exercetur clade non ſuccumbit, & cui ſoli bellum, bellum eſt.

Rex militari teſſera DEUS NOBISCUM, quo cæleſtis opis fiduciâ augeretur, enuntiata, ſub primum conticinium, de proſequendo bello conſultavit. Fixum ei manebat, in decretorium certamen tandem accingi, cum idem Ducum Exercitus ſenſus eſſet, & veterrimorum militiæ. Niſi quod Leſzczynius Cancellarius, antiqua reſumpta theſi. *Intereſſenè pugnæ Regem? an ſeponi melius foret?* deprecabatur modeſtè, quòd togatus ſecuriora ſuaderet; exemplis

plis ac rationibus oſtendens, ambiguis prælij Principem eximi oportere. Ita vi populi ſepoſitum à confligendi periculo Davidem, nè extingueretur lucerna Iſràél: Vladiſlaum Iagielonem, cum ad Grunevaldum, tum alibi prælio ſubductũ: Sigiſmundũ III. geſsiſſe bella, magis quàm tractaſſe: Hanũ quinimo ipſũ, quâvis pro audaculo cenſeri amet, ſpectatorem, non actorem, hac vtraq; die prælij fuiſſe. Quod veró Rex tot ictibus, tot telis, ac diſcriminibꝰ ſe obijciat, periculoſæ audaciæ videri. Ad hæc ab Rege reſponſum. *Incolumitatem propriam, non ſupra ſalutem Civiũ, curæ ſibi eſſe; unanimem populi cum Rege vitam, proinde vnum corpus, vno animandum ſpiritu. Ego verò* (inquiebat) *nequaquam me à pulcherrimi operis conſortio excludi patiar, videant ante ſe Cives Regem, & hoſtes formident. Eximi dubijs præliorum, eſto ſanè placuerit Regibus alijs, ſibi minimè: vt qui inter ancipitia fortunæ eductus, magnis experimentis didicerit; ſucceſſus victoriarum poſt* DEUM, *adminiculo imperãtium parari. Iungenda facta conſilijs, vt nec provocemus diſcrimina, nec ſuſpecto abſceſſu, elabi ſinamus vincendi opportunitatem.* Nec quisquam vltra diſuadere inſtitit, cùm æq; anceps videretur, adeſſe Regem prælio, & ſubducere. 1651.

Tradunt noſtrates Chronographi, ad Coronoviam cum Crucigeris Polonorum prælio, terno reſpirio, velut partes mutuò condicerent, ab armis ceſſatum; quo acriùs in cõſummandam victoriam animi accenderentur. Etiam hîc, terna per integras noctes interſtitia data; ſiquidem, binis diebus reiectus hoſtis, dum identidem reparaturum ſe prælij fortunam minaciter iactat, etiam noſtri quid anceps fortuna ferat; aleam periclitaturi expectabant. Vix albeſcente cælo, per depreſsiorem tubæ ſonum excitæ legiones campum inibant. Quibus ordinatim conſiſtentibus, videre erat redivivam Chriſtianæ militiæ normam; cùm Rex cæleſti Viatico refectus, in idem pietatis omnibus præiret. Ad extemporaneas aras, incruenta ſacrificia Myſtæ offerebant, multis ſparſim quò pœnitentium animos noxis expi-

1651. arent, fortuito ceſpiti incumbentibus. Memini tum, in prima armorum rudimenta vocatus, veteranorum ſermones, qui refricata variarum expeditionum memoriâ, nunquam in eum numerum Poloniæ vires excreviſſe, affirmabant. Loci ſitus is ferme erat. Obiacebant orienti Soli Caſtra, excitatis operibus à fronte munita; alluebat ſiniſtra Styr Fl: parte Styrus, tortuoſus ille, & multo limo vadis fallacibus: à dextris hinc inde paluſtria ſuberant, reſtagnante amne, vel loco ipſo, per depreſſum ſitum humenti, ac cænoſo. A Bereſteczko. tergo oppidum Bereſteczko ditionis Leſzczynianæ, interquod ac Caſtra, ſuper decurrentem amnem, gemini pontes, acri cuſtodia firmabantur. Ex adverſo ſpatioſi latè campi per diductam planitiem in exporrectos colles deſinebant. Diſpecto loco, ac ordinata probè acie, nonnihil moræ iniecit ſuborta in primo diluculo nebula, quæ tamen caligine ſua, in diſsita tantum proſpectum adimeret. Cauſam maligni effectus, adſcribebant nonnulli magicis præſtigijs, (interceptæ aliquot ſagæ fuerãt, quæ capita artusq; humanos, recens à corpore reciſos caſtris inijcientes, diris devotionibus inceſſere crederentur) quibus nec aſſentiri, nec contraire animus eſt, prono in eius modi artes Ruſſorum ingenio: cùm tamen à nocturno humore, ac paluſtri exhalatione nebulas produci, veriſimile fuerit. Vbi tamẽ decretorium momentum inſtat, liquidiſsima ſolis lux, velut complicato in exhibendam ſcænam Aulæo, vt ſe partes mutuo contuerentur, fecerat. Inſero triplicatum aciei noſtræ ordinem, ex commentarijs aliquot inter ſe collatis, excerptum: nam ex memoria, quæ mortalibus labilis eſt, præſertim interlapſo tam grandis ævi ſpatio, haudquaquã auſim. Primæ campo inſtitere, Alexandri Zamoyſcij, ac Zamoyſki. Iaſkolſki Marij Iaſkolſcij pro munere Excubitorio, equeſtres alæ ſubmovendo veliti attendentes; nam id pugnæ genus, interminato capitis ſupplicio, omnino Rex vetaverat. Pandebatur dehinc media acies, ſtipendiariorum ſub Kłobukowski. Kłobukovio Protribuno Legione Regia, ac ſeptem ſignis ſub Piaſoczyński. Piaſoczynio Succamerario Novogrodenſe præeuntibus. Aliquo poſt intervallo legiones peditum ſub cura Sigiſmundi Przyemſcij ſecutæ, inter quas ſparſim campeſtres machinæ, trahentibus equis ibant. Iungebatur à latere Chryſtophorus Houvaldus, cum tribus; ab altero Zamoyſcij cũ Howalt. vna legione Bergemannus Tribunus. Rex dehinc ſcutulato equo inceſsit, armis pubetenus tectus, ſed quæ militare ſagulum velaret. Quatuor viros lateri comites adhibuerat, quorum expertæ ſtrenuitati fideret maximè, nempè Chmielecium, Kłodzinium veteranos turmarum ductores, tum Głovovium Novogrodenſem Dapiferum, ac Samuelem Nadolſcium Czczevenſem Præfectum, reliquis ad ſigna quemq; ſua dilabi iuſsis. Medium Regem conſepſerant, gemina bipartitæ cohortis ſigna, ex flore gentium, Evocatorum in modum, lateri adhærentia. Caſimirus Tyſzkievicius Lithuaniæ Pocillator, Signifero Iacobo Michałovio Tribuno Lublinenſe vni: alteri Ianuſsius Weſellus, Capitaneus Oſtrovienſis, Vexillario Alexandro Iendrzeiovio, utroq; Quingentis gravioris armaturæ militibus conſtante, imperitabant. E veſtigio Regis ibat Phalanx, cuſtodiæ Corporis ſueta, (Guardiam nuncupant) ſub Fromholdo Wolphio à Ludinghauſen, Prætorianis Præfecto. Ponè Ludovici Weyheri Pomeraniæ Palatini, ac Boguſlai Ducis Radivilli, Denhoffijq; Sokalienſis Præfecti Equites Germani, (quos Raytros dicũt) locati: ſubſidio his Iacobi Weyheri Marieburgenſis Palatini, ac Hyacinthi Rozrazouij ſub quindecim ſignis deſultorij. Dehinc Grudziniorum, Leſzczyniorũ, aliorũq; Procerũ alæ, ac ſub Valderodo à Duce Boruſsiæ miſsi D. Equites Sclopigeri: exilis, nec pro debito aut amplitudine Vaſallitij iuris, eo caſu Poloniæ ſuccurſus. Ad medium item agmen pertinebant, Siradienſis, Łancicienſis, ac Breſtenſis Palatinatuũm Nobilitas, iuxta quam Sexcentorum legio, à Carolo Principe ſubmiſſa, ſub Georgio Comite Schaugotz, ac Cremſio Tribunis, Schaugotz, Crembs proceſsit. Hic aciei & robur Exercitus. Quidni enim ad prin-

1651. Przyemſki. Howalt. Chmielecki. Kłodzinſki. Głogowſki. Nadolſki. Tyſzkiewicz. Weſſel. Michałowſki. Iendrzeiowſki. Wolph. Weyher Denhoff Rozrazowſki. Grudzinſki. Leſzczyńſki. Walrod.

1651. principale mẽbrũ, vis potiſsima convolaret? cùm cor in homine, iam firmo membranæ involucro tegi, iam coſtarum & pectoris muro muniri, quòd ſcilicet theſaurus illuc vitæ ſit, talium periti prodant. Dextrum cornu Potocius Exercituum Generalis regebat; vbi, per ſolum imperia dividi nequirent, Stephani Czarniecij, ac Adami Kazanovij Legatorum, vicariâ operâ vſus. Iungebatur Landzkoroniana, ac Szczaviniana Legiones, Mareſchalci Lubomirij, Sapiehæ Procancellarij Lithuaniæ, Opalinſcij Palatini Poznanienſis, ac Sobieſciorum alæ Equeſtres: extremum aciei cornu, Koniecpolio Vexillifero, cum turmis ſuis claudente, Siniſtrum Campiduci Kalinovio parebat, cui adſtites, Potocius Podoliæ, DOMINICUS DVX Cracovienſis, Palatini; Suſtinebat Hieremias Wiſniovecius, cum Kalinovio Metatore Regni, ac Ioanne Zamoyſcio Caſtuſsienſe Præfecto. Dehinc, iſtis Cracovienſis, ac Sandomirienſis Nobilitas, vt pridie ſuffragata. Modo conſimili, dextro cornu in ſubſidium erant, Ordinatus ſub Korycio miles, ac Palatinatuum Ruſsiæ, Lublinenſiumq; cohortes. Quippè militia *Quarciana*, primum locum & diſcrimina ſortiebatur, vbi iſti adornaſſent pugnam, Nobilitas non numero magis, quàm virtute, inſignis, ſtipendiario militi æmula ſtetit. Præcellebat Sandomirienſis legio, viris armisque inſtructiſsima, ſupra duo millia militaris iuventutis continens; cui tum Vladiſlaus Marchio Myſzkovius Palatinus imperitavit: Legato legionis, Martino Dembicio Pocillatore Palatinato. Similiter alijs alij præerant, Cracovienſibus Zaſtavienſis, Lublinatibus Tarło, Siradienſibus Koniecpolſcius, Mazovijs Warſzycius, Wołhynijs DVX Czartoryſcenſis, &c. &c. quibus ea prærogativa ex officio incumbit; vnde Palatini, quaſi Duces belli vocantur. Quotquot verò haſtati milites aderant, inutiles eo conflictu ſariſſas in vallo Caſtrenſi defixerant: quæ dum fluitantia ſerica lenior aura ventilat, velut alteriùs exercitûs imaginem emino oſtendebãt. Deſidens interìm nebula, Regij Exercitus quã-

Czarnieckì. Kazanowſki. Szczawinſki. Landzkoronſki. Sapieha Sobieſki. Opalinſki. Grudzinſki. Koniecpolſki. Dux Zaſtaviæ. Dux Wiſniovecius. Kalinowſki. Zamoyſki. Myſzkowſki. Dembicki. Zaſtaviæ Dux Tarło. Koniecpolſki. Warſzycki. Czartoryſki.

titatem & ordinem hoſtium oculis, qui primi vincunt, aut vincuntur, aperuerat. Vnde Hanus, ad primam redditæ lucis vſuram, aciem Polonam adhibito perſpicillo ſpeculatus, quærentis in modum dixiſſe fertur. *An iam Bohdan eadormitâ crapulâ compos mentis eſſet? qui ſibi tamdiu futilibus ſomnijs extenuando Polonorum vires; illuſiſſet. Iret enimverò in anteceſſum ad deſtinatã mellis vindemiam, vbi tot aculeata apum examina abigeret.* Alludebat quippè, ad conſuetam Chmieli parœmiam, in bella Hanum invitantis: venirent Scythæ vel inermes mel collecturi, dum Coſaci recluſis alvearibus, fumo apes diſpellunt. Demum, velut emerſo ab admiratione animo, quâ parte periculum rei faciendum eſſet, cum potioribus agitavit. 1651.

Animadverſo, à cunctabundo Hano differri pugnam, Rex moræ impatiens, per emiſſarium, ad conſerendam manum provocavit. Simulq; Otſinovio, moris Scytharum ad Arabicæ literaturæ notitiam perito, illuc Hanum eſſe, quà caudatum viride ſignum appareret, aſſeverante; iuſſus librator in oſtenſum ſcopum machinam dirigere, vbi modicum aberrante ictu, ipſum prætervolantis globi impetu concuſsit, ſigniferum eius lateri adſtantem proſtraverat. Quo præſenti diſcrimine territus, nec vltra letali ſpectaculo cõmodare oculos ſuſtinens, ab extimo colle, quis tandem prælij ſucceſſus foret, proſpectabundus egit. Mox ſignum pugnæ, clangentibus tubis ac continuo machinarũ fragore datur. Ab hoſte præter promiſcuum clamorem, ac diſſona murmura, nihil audiri potuit, nullo apud Scythas lituorum vſu, cùm agminum ductores elata voce, aut levi tympanulorum pulſu vicem tubicinum ſubeant. Tum verò Gałga ac Noradinus Tauricanæ militiæ impoſiti, diu ſuorum agemmata per collium declivia ſuſtinendo, vbi pedetentim in ſe Regios ire vident, ſummo impetu Potocianum cornu invaſêre. Ad collata vtrinque enixè ſigna, ruunt immiſta Scythis equitum Coſacorum Vexilla, eorũdem hinc inde pedeſtres advolvuntur cunei; demum car- Otſinowſki.

rago

rago ferreis torquibus connexa, latitudine frontis ad medi-
1651. um milliare consequitur; quam intra pedestre agmen, velut post vallum incessit. Lævorsum ea deflectere visa, cũ Hieremias per Denhoffium Socalienſem Præfectum, invadendæ provinciam deposcit. Factâ pugnæ copiâ, non segnis idem dictorum executor, transmisso ad subsidiarias cohortes imperio, quò cumularent aut erigerent prælian-tis fortunam, agmini suorum prævius in adversos incurrit. Ibat fortissimus Heros ferro ad manum, cætera inermis, athletica in gloriam libidine ardens, vt in tripudium ire diceres. Sequitur Ducem alacris miles, & aliquot simul invectis legionibꝰ, cruento admodum congressu per vtrumq; cornu præliabatur. Accidit percommodè, quod sol medium cæli pervectus, adversis radijs hostem everberaret; simulq; ab occiduâ plagâ reflante vento, excitatus pulvis in eundem verteretur. Subinde Rex calescente pugna ad vexillum Evocatarum allapsus, stricto ferro & oculis acer, his formalibus infit. *Ea me tenet virtutis vestræ vetero-Polonæ opinio Milites, quod contemptum Maiestatis æternæ enormiter læsæ; Templa ac altaria Divûm abominabili desolatione profanata; Iura Dei & hominum violata vlturi: in hanc rebellem colluviem, extirpando nomini ac generi Polono Barbaris associatam, non degeneres Maiorum posteri, viriliter agetis. Hîc vnà mecum, eius quam Deus dederit sortis participes, aut laudabili vita, aut præclaro fine, sociandi.* Præsto aderat Leszczynius præliaturis benedicens, alijq; è Castrensi Clero, præcipuè Minoritarum instituti vnus, qui grandiore ad manum Cruce, advolutus signis, pathetico in rem præsentem sermone, militem erigebat. Resonabat interim horrendo phalaricarum fragore aer, machinis per opacum pulveris fumiq; flammas ructantibus; ac concussa tot vestigijs terra, exciti pulveris caligine, velut cædes mitigatura, involvebat præliantes. Nè sic quidem erepto oculorum vsu, in vulnera ibatur; hostium Ducibus, vbi æstus prælij vocat, pervicacitèr ingruentibus, Noradinꝰ maximè Szczarvinia-

viniana, ac Metatoris Regni alis repulsis, in lævum se con-
1651. iecerat cornu, eo consilio, vt interscisso subsidiario agmine, imminentem carragini peditatum, ab impressione averteret. Eius incursu Cracovienſis ac Sandomirienſis legiones nimis quàm periclitatæ, nisi Hieremias maturè animadverso discrimine, aliquot signis è legione sua iam tum pugnante submissis; magis Civibus servandis, quàm perdẽdo hosti institisset. Ante meridiem cæpta pugna, in serũ diei perduravit, quoad Scythæ in supremum conatum vacillantes, ordinibus suorum perruptis, recessum cædi prætulissent. Neq; Cosaci abscedentibus socijs vltra institêre, plerisqué in fugam vna abreptis, reliquis intra carraginem se recipientibus, Chmielnicius speciè retrahendi Hani, fugæ comitem se dedit: vel vt pleriq; tradidêre, sub custodiam acceptus, conductusq;; quo renovando bello incolumis autor staret, aut certe impensi sanguinis maneret vadimonium.

At Dzedzały, peditatus Cosacorum caput, magis à socijs quàm ab animo desertus, ad fluvium Plesnia cum Carragine, inter lutulenta paludum consident, subitario per noctem eggesto vallo, cum reliquis qui aderant Tribunis, curas defensionis in sequentem diem partiebatur. Cùm interim à nostris nescio quâ consiliorum morâ, differretur impressio: Porocio Generali asseverante, fugienti Scythæ põtem sternendum esse, vt suo frustratus stratagemate, abiret nullo victoriæ turbamento: tum, quod sub ipsum prælij finem vehementius plueret, ea repentini nimbi violentia, vt non modo humectata tellus, nitentium vestigia falleret, sed Equi viriq; ea procella fœdè affligerentur: pedes præcipuè vbi madore corruptus pyrius, inutiles sclopos gestaret. Suberat quidem pluviæ causa naturalis, attractu áeris diurnam caliginem in eum vaporem resolventis; nihilominus belli periti asseverabant, vbi conflictu Martio fusus mortalium sanguis, solitum in fortuitos imbres resolvi cælum, ac si spontaneæ cædis misereſceret, taboq; & cruo-

1651. re oblitam humum, cæleſtibus aquis expiandam vellet. Ita finijt memorabile eius diei prælium ad VI. Mill: hoſtium cæſis; minor certè pro numero præliantium iactura, cum Scythas ſua celeritas, Coſacos ad carraginem receptus, eripuiſſet. Neq; noſtris incruenta victoria obtigit. Cecidêre ex præcipuis, Adamus Kazanovius Caſtellanus Halicienſis, Adamus Oſſolinius Lublinenſis Gubernator, Sigiſmundus Landzkoronius, Iordan, Ligęza, Rzeczycius, Turmarum ductores è Quarcianis. Ex Lubomirſcij Mareſchalci cohorte XX. Nobiles commilitones; inter quos Staniſlaus Xięſcyus, præter Martiam indolem ad gratias fact9: è Sobieſciorum item ala plurimi, quod inclytum fratrum par Heroica animi magnitudine, tùm & poſthac in bellis claruit. E Provincialibus, Adamus Stadnicius Ductor, & Succamerarius Sanocenſium, Georgi9 Stano, Matthias Bal, viri proſapia illuſtres. Cracovienſis Legio à Scythis invoKazanowſki. Oſſolinſki. Landzkoronſki, Iordan. Ligęza. Rzeczycki. Xięſki. Stadnicki. Stano. Bal. luta, ſupra XL. Provinciales amiſit; inter alios Prædiſlaum Pieniązek, fortiſsimi illius per Livoniam exterasq; gentes bellatoris, Cavalleri nepotem, Przerembſciũ Krupkam, &c. Similis Sandomirienſium contribulium meorum ſors fuit, quorum ex ſola Martini Dembicij haſtata cohorte, viginti quatuor contubernales interempti, inter quos Olbrachtus Kochovius, glande traiectus occubuit. Ad latus tum veterani ſtabam, qui dum ad fortuita belli tyroni attêPieniązek. Przerembſki Krupka Kochowſki. dit, præclaro fine, ante victurum Nepotem Patruus moritur. Reliquorum qui interiêre tranſmittendis ad poſteritatem nominibus, haud ſegnis nomenclator adeſſem; ſi incurioſa protunc adoleſcentia connotaſſet gloriosè cadentes, vel ſingulos deſcripſiſſent eius belli commentarij. Subiſigam illudentis (vt ſolet illa) fortunæ caſum. Carol9 de Szembek, florente iuventa ſed magis egregia indole cõmendabilis, pactus nuptias Virginis in id belli ierat, Marti prius quàm Veneri litaturus. Proch inſana ſortis ludibria! dum pugnat, longioris fiſtulæ globo, vtrumq; oculum amittit, enormi vulnere, quanquam peritia medentis ſanabiliSzembek.

bili: Videt Rex & condolet, ac archiatris mandat ſuccurrerent deſperato viſui: ſed fruſtra; cum tenerrimum læsâ pupilla organum, quod ne iocum quidem pati dicitur, humana ope haud quaquam reſtitui valeat, ſemel violatũ: obducta nihilominus vulneri cicatrix, diuturna medentis cura, nec exili patientis dolore. Etiam inter vulneratos fuêre, Georgius ac Ioannes Potocij è ſtirpe Sreniavitarum fratres, tum Albertus Męcinius, cui periculoſa verticis plaga, dediſſe cauſam implicitæ per balbutiem loquellæ, credita. Ita ſanguine ſanitate vitâ, Bellonæ litandum eſt. 1651. Potocki Męcinſki.

Inumbrante veſpera feſſ9 Rex, Deo victori acceptam tulit prælij proſperitatem, Procerum præcipuis medium Regem genu flexo circumvolutis, ac in gratiarum actionem Te Deum Laudamus occinentibus. Multis poſt fuſum ſanguinem, prorupêre lachrymæ, reputando, quàm in præſens evidenti divinæ providentiæ argumento, comprobatum foret, infirma adverſùm vim ſuperam humana conſilia, ac præſidia haberi. Exercitus ſub dio totus manſit, iam diurno per æſtum labore, iam frigida fuſi per noctem nimbi procella, tum continuo tridui actu laſſatus. Obiacebant paſsim humenti ſolo milites, in ſoporem tunc vetitũ reſoluti, quem non imperatæ vigiliæ, non Tribuni excutere poterant arguentes, vt nè mortem quidem recuſare viderentur, quieſcendo. Ac licetſi Præfecti ſomnolentiam increparent, mox miſerabantur; vt quæ non neglectu muneris, ſed naturæ exigentia proveniret. Poſt perſolutas Deo grates, Rex vt equum inſcendit, ita eidem ſola animi conſtantia fretus, in primum diluculum inſedit. Equidem ſubit admiratio, quomodo animus tot curis diſtract9, corpus fractum vigilijs, ætas deniq; graveſcens, inter eos, negotiorum æſtus, valetudinem illæſam ſervaverint. Cõplures noctes, etiam præſentem inſomnes egerat, quem ego noto albicantib9 maculis caballo, bis de nocte circumeuntem excubias vidi. Sed ea vis fuit erecti igneiqué ſpiritus, vt cura omnium ſui obliviſceretur. Vt verò magnitu-

1651. gnitudo exempli proderat, ita grande vitæ periculum subijt, cùm propè Evocatorum vexillum, quod protensius è ferico cæruleo erat, subsistenti; tormentariæ pilæ globus, subtus equum procidens, pedem qua crus talo iungitur, violentia impetûs concussit. Adeo nè Regibus quidem in bello casus parcere solent.

Hanus effusissimo cursu Wisniovecium oppidum primo conticinio veniens, inde mox mutato Equo iejunus ac exlomnis ante diluculum abijt, qui se pridie in Castris Regijs, *Bairanum* suum exacturum iactaverat. Quominus abeunti insisteretur, nox & imber, etiam lassitudo tardauê. re: attamen expeditus fuit, Celebi Murza è Tartaris nostratibus, extremo hostium agmini carpendo. Is, celerrime more suo ivit, per constratum vndiq; cadaveribus iter, multis sauciorum, qui agitationem terræ non possent, sparsim iacentibus. Neq; vulgus tantùm, sed è potioribus Scythis multi per viam strati visebantur, inter quos Murtazi, ac Suliman Agas semineces repertos, vehiculo quale fors obtulerat, secum in Castra conduxit. Fatebantur ij grandi prælio victos se, DEO violati fœderis pœnam reperente. Postridie afferebat non nemo, ex captivis literas Hani, quibus in fuga furiosus, & extra periculum audax, victoriam ac si dolo partam convitiabatur, ac fortunam reparaturus, in tertium diem ad Constantinoviam certamen indicebat. Contemptim accepta provocantis temeritas, quasi vero hostis arbitrio stare necessum, vbi de summa rei periclitãdum: attamen nè vanus provocator sibi ex temeritate placeret, cum alis Equestribus Campidux in occursum ire iussus; qui, dum nihil ex pernicitate fugiendi Barbarum remittere comperit, regredi debuit, accelerante iter Hano, & quia vivus evaserat victoriam vocante. Verum astu Chmielnicij fiebat omnia extenuantis.

Carraginem Cosacorum, non pro hesterna opinione expugnatu facilem, sequens lux aperuit: quam eggesto nõ temnendæ altitudinis vallo, per noctem illi munierant, per cuius

cuius summitatem infarti terra currus supernè locati sunt, 1651.
inditis hinc inde loculamentis tormentorum, vnde commodior ex eminentibus in subeuntes explosio. Iuvabat situs loci admodum opportunus, vtrumq; latus alluente fluvio Plesnia, mediocri quidem illo, sed quod omnium Russiæ fluminum peculiare, admodum lutulento. Is Styro immistus, vtriusq; aquis passim stagnantibus, palustria circumquaq; efficit. Vnde quo securiùs pabulatum suos mitterent, à tergo traiectum geminis pontibus constraverant: ita, dum postica parte tuti agunt, omne suorum robur ad propugnandam frontem vertendo. Sub diluculum, quâ clamore, quâ tibiarum concentu, castra eorum personuêre. Mos militiæ obtinet surgentem auroram, excitantium se se vigilum cantu salutare; alij lunam sub nomine Diannæ, eo modulamine venerari dicunt, quod luminare istud præsideat tenebris, indeq; miles, transactam sine periculo noctem, sub abitum sideris, sibi gratuletur. Eum morem imitati illi fingebant lætitiam canendo, verius metum imitatione lætitiæ tegentes. Ast vbi ex compluribus maioris modi machinis in carraginem collimatum, chorus ille; ferali crebrorum ictuum pausâ dissipatus, cessavit. Quoniam verò omne respirium dabat, à tergo traiectus liber, hùc cura incubuit, obsessos circumductis ãgminibus intercludendi. Nam, si venturis (vt fama vulgaverat) subsidijs erigerentur, illàc recipi ea oportebat; vel si fugâ saluti cõsulendum esset, non aliâ parte, per compendia viarum abituris. Re iraq; in militare concilium delata, post acrem disceptationem placuit, (etiam Regi) dum recens sanguine miles calescit, in instanti aggrediendos, nè is procrastinatâ impressione commeatus penuria enervis, in consummandum victoriam satisceret. Stabat, (vt tum videbatur) potior ab ijs ratio, qui Civili sanguini parcendum volentes, tempore, & fame, & quæ alia sine cruore vincendi adminicula reperiri mos, in obsessos agere censebant. Discrepantibus sententijs, ante omnia placuit, liberum aquandi

1651. pabulandiq; commeatum, si à tergo includitur hostis, constrinxisse. Ecquis verò ei spartæ sufficeretur; in dubio erat. Hieremiam Wisniovecium Rex, & omnium vota destinabant, neq; ipse affinem periculo gloriam detrectare visus; nisi quod à militari prudentia cautior, adæquatis pro numero discriminis viribus, in possessionem loci mitti volebat: eum in vsum XV. Mill: selectioris Exercitus, à Rege poscendo; cùm quantùm in sustentato periculo gloriæ, tantùm in tuendo loco discriminis appareret. Ergo hîc sermonibus vt fit enatâ occasio, quasiverò Hieremias non Exercitum modo, sed ingentis victoriæ decus, inter se ac Regem partiri præsumeret: plura mox ausurum, qui aura populari nimium velificatus, se in cooperatione victoriæ Principi adæquaret. Proin, eo dilemmate iusta poscentis desiderium elusum, Aut prælio experiri Cosacis decretū; aut fuga. Si pugnant, in eam partem incubituros, quâ penes Regem summa belli & fortunæ manet: si fugiunt, aversa parte prorupturos: quibus insectandis, nullo vsu pedes; sistendis, modicæ Equitum cohortes sufficerint; & eatenùs tergo attendendum, vti prius Regi pugnaturo, iusta acies & primitiæ gloriæ relinquantur. Negatis verò quas pares opponeret copijs, mittitur Landzkoronius cum Tribus Mill: intercludendæ Carraginis negotium suscipiens. Equidem fatale erat, quod gloriam Wisniovecij vbiq; subrueret invidia, quæ frequens inter militares, maximè vbi in æmulandi certamine, minores virtutes adultis committuntur. Non tamen generosam æmulationem damnaverim, invidia obfuit.

Cosaci, vbi in dies stringi se operibus advertunt, reventuri subsidij spe penitùs evanescente, notam mille experimentis victoris clementiam, prensare constituunt. Missi è gremio tres, nihil apud Generalem Potocium omisêre, quidquid elaborata simulatio comminisci solet; ac quo rem seriò agi ostenderent, flebant, & si non ignari nihil citius lachrymis arescere. Haud fallebat Ducem, dissentire ab animis supplicantium vultus, vnde ad eos commotior infit. *Vos verò qui estis? non Regni huius mancipes, qui adversùs supremam potestatem impia arma cæpistis? non Christiani, qui Barbaris associati, aras focosq;, imò pignora propria perditum itis? Itanè spreto legitimo imperio, magis Ottomanni aut Scythæ tutella placet? & abdicato Rege, nefarium turbonē, vt sanguinem vestrum licitetur, præfertis? Facessite confestim vitâ indigni, nisi aliter misericordia Regis iusserit.* Post ad Regem ducti, in conspectum Maiestatis reluctanter venientes, ab ipso prætorij accessu confidentem salutabant. Vbi aliquantum hæsêre, tandem Piotraszenko alias Piotraszevius vernaculo sermone proloqui cœpit, in eum sensum. *En qui nuper, ab vltore gladio tuo Rex potentissime victi, condignas perfidiæ pœnas tulimus; nunc quantum à cade nostrûm supersit; supplices ad ima victricis solij subsellia procumbendo, dū reatum defendere non valemus, misericordiam imploramus. Humanæ malitiæ mensuram planè excessimus, haud diffitentes demerita; quæ quantumvis enormia, non tamen innatæ clementiæ terminos supergressa, credibile fuerit. Parce igitur fatentibus, aut quantocius nocentes mori iube: si namq; innatam à te seponis benignitatem, non refugimus iustitiam. Centum & amplius mortalium millia, protendimus paratos in necem iugulos, si fuso tanto cruore enormitas sceleris nostri expiari potest; aut fundi illum etsi nocentem, clementia tua patitur. Indigni plane sumus qui vivamus. Ad quid verò arma in eos stringere Rex iubes? quos tortor conscientia exagitat, & vita ipsa si non abrumpitur, pro supplicio est; decerne vtrumvis, occide aut parce: qualemcunq; vltimæ instantiæ Sententiam dixeris, huic incluſi carceri, exequutionem expectamus. Etsi, qui ob crimen læsæ Maiestatis tuæ, iustè occidi possumus, maiore gloria tua, si benignè errata condonas, odio peccati, quotidie moriemur. Augere potes victoriæ famam nostri excidio, sed minues imperium; nam quidquid vltioni impendes, tibi peribit.* Aliquid visa movere dicentis energia, nisi sociorum, lacinias

1651. Piotraszewski.

1651. nias conopæi exoſculantium moroſa impoſtura, pleriſq; ſtomachum, aliquibus & riſum moviſſet. Ad quæ breviter Leſzczynius reſpondit. *Quæ de Rege optimò, pronuntiarent, admodum vera eſſe: quæ de ſeipſis, nihil ſinceri adferre; ac vbi deſperata ſalus ipſorum, tempori convenientia fingi. Cæterum ſi fidem dictis adſtruunt, abſolutè quæ Rex iubet, præſtarent, niſi extrema pati maluerint. Hæc autem Regem velle, ac iubere. Eiurarent rebellionem; abdicarent Chmielnicij obſequium, Scytharum amicitiæ renunciarent. Legionum Tribuni, tũ qui nunc Coſacis ac plebi cum imperio præſunt, Regis clementiæ ſiſi, ſe in officium ſiſtant, captivos dimittant, Caſtra, arma, machinas, omnis generis, in manus Delegatorum conſignent; demũ iureiurando aſtricta fide, in milites ac originarios diſcreti, domum incolumes abibunt. Executione præmiſſorum non vltra craſtinum differenda.* Ita citius venia promiſſa fuit, quàm ijs vt eam peterent perſuaſum. Dictam legem non aſpernari ſpeciè tenùs oſtendêre ſolummodo temp⁹ in præmiſſorum executionem prorogari poſcebant; vnde priores duo ad populares regreſsi ſunt; manſit Kreſſa, ſeu regreſſum ſociorum operiri iuſſus, revera à ſuis nihil effectivè præſtandum certus, indeq; in Caſtris noſtris ſalutis ſecurior.

Vbi non comparent mox reverſuri, vehementior è machinis verberatio, in carraginem inſtituta fuit, alis equeſtribus vndecunq; compararent Coſaci, infeſtos paſſus tenentibus. Cæterum, quod tam protervè illuderent, dolus ex Tribunis ſuberat, qui haud falſo rati, vbi ſe miſericordiæ Regis plebs permittit, culpam quæ omnium eſſet, ſua pœna expiandam; variè interpretati dedendi conſilia, aut eludentes, opportunam ad elabendum moram, captabant. Etiam inter illos non planè conveniebat. Quippè Dzedzaľyo in præſens amoto, Bohunum regimini ſubſtituerat Bohun. multitudo; adeò in favorem vulgi prolatum, vt non ab alio efficacius deſperatæ ſaluti conſultum iri exiſtimaret. Is verò ab aſtuto ingenio vafer, pacis leges ita expendebat, vt, ſibi maximè providens ac timens, cauſam multitudinis

nis agere oſtenderet. Educebat ſubinde agmina, ac non tantùm retundebat vim; verùm etiam oppugnans ac laceſſens Piaſoczynio, ac Sokoľo turmarum ductoribus ſauciatis, continuò infeſtas noſtris vigilias effecerat: Pontibus in Pleſnia tuendis, geminæ impoſitæ erant è ceſpite munitiones, has ſub intempeſtam noctem, adeo inobſervatus invaſit, vt in vna XXVII. pedites, exſcinderet: alteram inclammantibus ſuccurſum ſtationarijs, bihorio oppugnaverit; quoad Campeſtris primùm cuſtodia accurrens, mox vniverſus exercitus eo tumultu profunda nocte exciretur. 1651. Piaſoczynſki. Sokoł.

Hìc ſtatus fuit à pridie Calendarum ad VI. Nonas Iulij, cùm anceps ac ſuprema fatiſcente animo volutans Bohunus, re cum Tribunis communicata, eo modo ſe indagine expedit. Primo diluculo, verſùs Landzkoronij ſtationem digreſſus, à tergo carraginis partem equitatus ſtare iuſsit, ipſe interim traiectum prætervectus, metationem militarẽ (Quartieram vocant) diſpiciebat, nihil ambigentibus ſuis, quin mox confligendum eſſet. Vbi verò nonnihil campo inerravit, ſenſim in abitum, qui conſilij non erant ignari ſe dantibus, etiam ipſe præcurſores ſecutus. Ad propalatum Præfecti abſceſſum, animo & conſilio multitudo deſtituta, quo iter metus monſtrabat, deſperatam ſalutem pedibus credit. Nunquam etenim hortamenta requirit pavor, exemplum ſufficit. Ita porrò deſertus pedes, tranſuectis equitibus felicem fugam invidens, non ideo minus ſubſtitit, inter ſe contortus premensq;, & ipſa fugiendi feſtinatione, ſibi exitium ac mora. Landzkoronius recta in ſe hoſtem tendere credens, dum obliquè intra paluſtria ſubducit ſuos, patentiorem fugientibus viam aperiebat, cùm eum magis pares ad opponendam vim copiæ, quàm in prælium animus deſtitueret. Strepente demum tumultu excubiæ noſtræ prorupêre, pugnam apparari exiſtimãtes: dein Mazoviorum aliquot ſigna fortè condendo armiluſtrio tunc campum ingreſſa; donec cohortes alæq; con-

 ſectan-

1651. ſectandis irent deſtinatæ. Imminebat fugientibus traiectus, profundo limo immeabilis, cuius voragine plurimi abſorpti; etſi lutulentam abyſſum, iam ſupellectile Caſtrēſi, armis, veſtibus, etiam cadaveribus ſuorum, exaggerare contenderent. Sanè divinitùs immiſſum pavorem conſtitit, & velut ab irato cælo irrogatum exitium, vt magis perſequenti Nemeſi, quàm fævitiæ victoris, ſtrages imputanda foret. Equidem ore proprio in pœnam peccati cladem immiſſam fatebantur, latini ritus templorum deſolationem, ſacrorumq; vaſorum abuſum, ſeverè vlciſcente DEO. Cōſecuta fugam præventorum cædes, fævijtq; promiſcuè miles, ad XXII. Mill: trucidatis, præter eos quos lacunæ abſorpſerant. Videre erat paſsim per campos expirantium corpora, conſtrata cadaveribus paluſtria ac ſilvas, cùm in deditionem obſtinati, vltrò irritarent noſtrorum ferrum. Etiam in milite iuſtiſsimam iram accendebant reperti in Caſtris illorum, ſemineces Poloni, manuum pedumqué ſummitatibus detruncatis, pecudum in morem excoriati, verubus ad lentum ignem aſsi, extractione viſcerum exanimes, ac multiplici carnificina recens abſumpti. unde miſerabili ſpectaculo efferatus victor, ſævijt velut iure talionis, vt fermè

regi frenis nequit
Et ira, & ardens hoſtis, & victoria,
Gladiuſq; felix, cuius infecti ſemel
Vecors libido eſt.

Repertum in Caſtris Eudoxij illius Alexandrini cadaver, ſub prima rebellionis cunabula acerrimi plebis concitoris, cum infula ac rituali græco, alijsq; altaris paramentis, quē in proximo Ruſſorum delubro, quiſquis fuerit ſepeliri, ac infauſta ſpolia ibidem reponi Rex iuſsit. In Caſtris, vltra LX. diverſi modi machinæ interceptæ, cum plurimas ſub abitum voragini paludis immerſiſſent. Gladius quinetiam à Bizantino Patriarcha miſſus, Vexilla duo à Vladiſlao, ac Caſimiro Regibus, in autoramentum fidei Chmielnicio

nicio data, velut pœniteret fortunam contuliſſe, tùm recepta ſunt. Literæ item externorum Principum; Album Exercitus Coſacorum; Rationales; ſed quod mirum, invēti Commentarij, quidquid in Comitijs, Senatus Conſultis, etiam intimo cubiculo Regis actum dictumvè, cōtinentes. 1651.

Arduam vincendi artem, longè difficilior partæ victoriæ vſus conſequitur, vt olim prudenter Maherbal conterraneo Duci exprobravit: quæ vtraq;, niſi prima cauſa concurrat, nemo à ſe ipſo præſtare poteſt. Conſummando bello Rex, cum vniverſa copiarum mole, in intima Vkraynæ progredi deſtinaverat; non indignum operæ pretium ratus, ſi Kijovia Ruſsiæ Metropolis, prima victorem Regem ſalutando, nomen & vſum pacis, in reliqua vtili communicatione tranſmitteret. Extra dubium erat, non aliter finem bello imponi poſſe. Aſt Nobilitas longinqui climatis iter deteſtabatur; adeo proſequendi belli conſilijs renitens ac infeſta, vt ſi per preces miſsio ægrè tribueretur, per detrectationem militiam abnuere palam oſtenderet. Hinc petiēre iſti habendi congreſſus facultatem; ac licetſi multis formidoloſa videretur campeſtrium comitiorum imago, annuit nihilominus Rex, quod tum prudenter negari non potuit. Equidem ſuſpicionibus laborare, innata genti noſtræ qualitas videtur; quas tamen à libertate removere tam arduum, quàm cohibere oculum, ne ad caſum feſtucæ cōſulat obiectu palpebræ ſibi. Inſtabat Rex per Senatorum complures populariter obſecrando, nè indefeſſos pro Republica conatus ſuos medio in curſu belli Cives deſererent; verùm eo iam deſcenſum erat, vt preces in opprobria deſinerent: quo nomine dum emaſculata virtus, ac turpe militiæ tædium Provincialibus objicitur; etiam illi perperam adminiſtrati belli rationes, & ſtudio è naſſa dimiſſum hoſtem, vicisſim exprobrabant. Quippè arcanum ſuberat; quo deproperatus Nobilitatis abitus, impelli credebatur. Mali moris eſt, per Provincias, præcipua Nobilium capita Proceribus privato nomine obliga-

1651. obligari, dum clientelis adſcribunt, beneficijs augent, epulis, comitate, & quæ aliæ inſenſibili ſervitio artes, manente in ſpeciem libertate, mancipant incautos. Per hos, velut inſtrumenta depoſcendæ miſsionis inſuſurratum conſilium fuit, ſuggeſtis rationibus, quòd lex Generali Expeditioni bimeſtre tempus præſcribat: neq; valeat Rex educere Nobilitatem in hoſticum, niſi prius exolvat cunctis viritim ſtipendium. Talibus imbuti, miſsionem flagrantiùs vrſêre. Proceribus autem privatâ iacturâ ſtabat belli protractio; illi quippe publico gratificaturi, aut quo ſe inter arma Togati oſtentarent, conductas cohortes deduxerant; pleriq; vt apertiùs expromam, ex opimis Præfecturis Regia largitione collatis, præſtitêre tanquam ex debito. Itaq; ſi bellum traheretur, graves ſumptus in delectus quisq; ſuos evitando, dum impenſarum piget, aut pudet anguſtiam æris profiteri: decentiùs ſe ſumptibus ſubducere, niſi regreſſu Nobilitatis, non poterant. Hinc diſtinctus Provincialibꝰ petendæ miſsionis. Ne tamen contra inſtituta maiorũ diſceſsio foret, per Vladiſlaum Rey Libuſſenſem, ac Czapliciũ Rey. Czaplic. Horodlenſem Præfectos, precabantur Regẽ, vt poſt tot heroicè ſuperata diſcrimina, ſaluti ſuæ parceret; Sat gloriæ, ſat vltioni datum, vbi victor ac ſoſpes reddit Patriæ Cives, qui trophæa parta gratulentur, & grandi prælio victum hoſtẽ, præconem ingentis virtutis haberet; ſimulq; XII. Mill: recentis delectus quo legiones Quarcianæ ſupplerentur, inautorare præſenti ære polliciti. Ita tum obhæſit tantarũ copiarum impetus, quâ robore, quâ numero memorabilium, qualesq; non anteacta ætas vidit, non ſequens (affirmare auſim) viſura ſit. Etenim, ſupra Quadringenta armatorum millia: binis è diverſo caſtris haberi, easq; copias triduano certamine in ſe concurrere; demum, poſt ſtatariam pugnam, vincendi rationes in obſidium verſas, vbi virtute, dolo, obſtinatione, ſævitiâ certatum; nihilq; eorũ quæ in bellis accidunt intermiſſum eſt.

Ad Cremeneciam Rex penetraverat, cùm literæ Reverſoria-

ſoriales abituræ in *domu-itionem* Nobilitati conceſſæ, ac ſoluta balteo ex more patrio ea militia fuit. Iſthàc retromoturus & ipſe, curas proſequendi belli Ducibus de manu tradidit, ex potiſsima valetudinis ratione, quam bellici labores ac incommoda cæli concuſſerant, inſtaurationem ſui vrgente. Brevi itaq; primores militiæ in noviſsimum pacandæ Patriæ conatum adhortatus, (neq; reticebat quam nolens imperfecto bello abiret) audere illos agereq; propitio Numine iuſsit, quod è Republica ac Maieſtate Regia videretur: vbi miteſcit plebis ingenium ferro parcerent, in ſolam rebellionem fortes ac metuendi. Demum XVIII. Iulij in viam ſe dedit, Brodenſem in arcem nonnihil divertens, inde Leopolim celeriter pervectus. Hìc exquiſitæ pompæ, quas elegans vrbs apparaverat; detraxit ſequior valetudo eius, ob quam, ingreſſum ſolennem intermitti neceſſe fuit. Colicis doloribus pertinaciſsima febris acceſſerat, omnia artis remedia eludens, vel Medicis, vbi incisâ venâ, ad pigra præuſti ſanguinis ſtillicidia horrentibus. Beneficium DEI ſingulare creditum, brevi convaluiſſe: qui, dum Lublinum tranſit, ferali percellitur nuntio, mortis Filiolæ, ſub id temporis Fato extinctæ. Grave vulnus erat, primitias prolis intra infantiam amiſiſſe; verùm caſum eũ, cordatè admodum perferre oſtendit: erecti animi Princeps, fortè, quòd compenſabilem iacturam non deſperaret, Regina tunc quoq; ferente vterum. Sacris intentum apud Carmelitas, nuncius is excipit ab amicis ſuppreſſus, donec Prædicator pro concione ſolatia daturus, exemplum Iephtes allegaret, vnicam filiam in holocauſtum cæſorum Ammonitarum, immolantis. Non inconcinnum extenuando dolori argumentum, dum non temerario voto obſtrictꝰ Rex, ſed conformi in Deum beneplacito, acciperet præmaturum filiæ obitum vt homo; toleraret vt Chriſtianus. Varſaviã dehinc veniens, Baſilicam primò D. Ioannis adijt, non Cleri, ne Reginæ quidem perfunctoria ſalutatione excipi paſſꝰ, donec primò Victori DEO grates perſolviſſet. Ita, hoc au-

læum prosperitatis fortuna vix expandit complicat; & gu-
1651. ſtum dulcium, felle amarorum interlinit.

Seditionem plebis per ſubmontanum tractum, inarſiſſe ſupra innui; nunc, quomodo ea flamma reſtincta, obitèr re-
Napirſki. Czorſtyn. fero. Napirſcius ſeu Pſeudo-Koſtka, vbi Czorſtinum Arcem cum ſequacibus inſedit, quo cæpta velut legitimum
Platemberg. nefas aſſereret, per literas ad Petrum Gembicium Epiſcopum Cracovienſem incuriâ Platembergi accuſata, limitaneam arcem ſine curâ habentis, receptam à ſe Regio iuſſu illâ, & nè hoſtis potiretur defendendam ſuſcepiſſe, nuntiabat. In quem vſum petijt mitti tormenta aliquot, in iuſtam loci, ſi vis deforis ingrueret defenſionem. Prudens, & in publicum vigil Epiſcopus, quantociùs congreſsibus ſeditioſæ
Iordan. Iarocki. Rebach. plebis cohibendis, præmiſsâ turmâ Equeſtri, Iordani Præfecti Dobczycenſis, Severienſium ſuorum ſub Iarocio alam, ſub Rebachio aulicum, cui item Muſsinenſes ſclopetarij acceſſerant peditatum, versùs Czorſtinum expedit: qua tum celeritate effectum, vt proditor in ipſo nefarij conatus limine opprimeretur. Siquidem repentè arcem ſuggreſſi Epiſcopales, Napirſcium per tubicinem invitavêre, vt ſi is pacatum Civem ageret, ad habendum amicè colloquium arce deſcenderet; eſſe enim Iarocio, quòd nomine Epiſcopi cum illo ſemotis arbitris conferre velit. Ad quæ, negato ſuperbè congreſſu, in ſubeuntes hoſtiliter iaculatus eſt. Neq; Epiſcopales cunctati, inſtitutâ è duabus machinis exploſione, imparatos adoriuntur, (LV. intro capitum præſidium erat) ac deiecta ictibus tormentarijs turre continuo immiſſus miles, puteum caſtello ſubiectum intercepit; vnde, non diu obſidium toleraturos conſtitit, ſiti deditionem accelerante. Czorſtynum ad Donaiecium amnem ſitum,
Donaiec Fl: vnam portam habet, clivoſo ſitu, quem inacceſſa rupium ambiunt: vnde pars conſilij videbatur quantocius veſtibulo portæ diſiecto, impreſsionem ſeriò apparare; vndiqué Nuncijs afferentibus, iam prædonum montanorum globos, iam concitæ plebis agmina, propediem obſeſsis ſuccurſui ventu-

ventura. Deproperata proin vis effecit, vt animo ad fu-
1651. tura lapſi, è feneſtra protenſo pileo, confeſtim impetum inhiberi petierint. Impares ſe namq; videbant mille armatorum irruptioni, nondum inter ſe coaliti, ac rarâ vt fit in recenti ſodalitio, in extrema perdurandi fiduciâ. Itaq;, loci ac nocentiorum capitum traditione, reliqui ſalutem paciſcuntur. Ratum habet Iarocius pactum, ac conſignata demum arce, vinctos Pſeudo-Koſtkam ac Mareſchalcum abducit, reliquos incolumi vita dimittens. Ducti incunctantèr captivi Cracoviam, ac per ora effuſæ multitudinis plauſtro traducti: dein, vbi inſtructa lite convicti, Napirſcius palo; Mareſchalcus (erat ſcultetus Czepiec dictus, concitandæ plebis dudum artifex) in truſtra conciſo; Ludimagiſter, diplomatis impoſtorij machinator gladio finiêre. Requiſitus de origine ac natalibus autor, fatebatur Mazoviâ ſe oriundum, ac Napirſcium vocari, cognomen ac Stemma Koſtkarum impoſtoriè vſurpaſſe, autorandis cœptis. Quæ vltra animo deſtinaſſet? ſi ſucceſsiſſet (*inquiebat*) molimen, in Metropolim Regni Cracoviam, vires quæ triginta millium forent, converſurum. Statura erat gracili, capillitio criſpo, & nihil vſpiam in vultu virile. In aula Vladiſlai inter poſtrema ſervitia moratus, idiomata externa perdidicerat, hinc veſtitu Germanico vſus. Ita finijt novus Regni Catilina, vigilantia ac celeritate Præſulis oppreſſus, cui eo nomine memoriam & venerationem Polonia debet, opimos ex patrimonio Chriſti reditus, quos Patria contulerat, in vſum eius convertentis. Prodierat ſubinde vaticinium ex aſtris conceptum, ab Adamo Broſcio dudum in Vniverſitate Cracovienſi, Matheſèós Profeſſore, qui, etſi tum profundioribus diſciplinis addictus, horis tamen ſubſecivis, obſervata ſiderum configuratione poſituq; ; eventurum fore prædixerat, vt rebellionis Coryphæus, vinctus victusq;, pridie Nonas Iunij, in Vrbem duceretur. Sub ſecreto primùm communicata amicis prædictio, in plures emanavit, ac curioſorum animos ad futura
Broſcius
inten-

1651. intentos tenuit, fatigavitq; ; eventu neq; in totum vero, neq; in vniverſo falſo, & tam in Victum Chmielnicium, quàm captum Napirſcium, vtrumq; perfidum ac rebellem, conveniente. Ita ſatisfactum ijs, qui multiformes artis canones, velut decreta aſtrorum, ac infallibilia oracula putant.

Ineunte Autumno (die 19. 7bris.) Rex, cum Regina, ac omni Curienſium comitatu, ſecundo Viſtula Gedanũ perrexit; compluribus navigijs eum in vſum inſtructis, ex quibus liburnica ingens Prætoriæ inſtar Maieſtates vehebat. Aderat Cancellarius Regni, tum alij intimioris admiſſionis Miniſtri; ſtipabat latus primaria aulæ iuventus, magna contentione ornatu eminendi; vt quos ſpiritus in bello geſſerat, illa quoq; plagâ monſtraret. Thorunio obiter inviſo, Mariæburgum quominùs exſcenderet Rex, viſendæ loci illius OEconomiæ dedit. Occurrebant per viam Provinciæ eius Senatores, officia venerantium exhibendo, quæ melius bellanti Regi præſtitiſſent. Dein, per placidã áëris temperiem, accelerante remigio Gedanum ventum; cè compoſitâ, paratâq;. Paucis ingreſſum memorabo. Vbi in conſpectum Regia claſsis venit, ad militares numeros Civium agmina in occurſum prodiêre, còércita plebe, nè dum ſpectandi avida eſt, ſolennitatem & ordinem pompæ confunderet. Regulatè ſtabant toto amne navigia, ex quibus depreſsioribus tranſtris prodibat ſcapha vectoria, multa arte picturisq; inſignis, quæ ſubter Prætoriæ latus, declive tabulatum ingerens, egredientium in terram veſtigia ſuſtinebat. Inde, per inſtratum coccineo panno ſolum, ivit Rex ad carpentum, quô comitum coronâ circumfuſus, Vrbem ingrediebatur: prælatis quòd ſerum diei eſſet, funalibus. Detonuêre ſub ingreſſum machinæ, fulsêre artificiales ignes, & quæ alia in triumphis Principum mos ſolennis obſervat, aut vſurpat. Peracta ab vrbis Magiſtratu ſalutatione, exquiſito ad multifaria venatione inſtructas menſas convivio, exceptæ Maieſtates: remotis iſtis ſuccedebant

bant varij generis ſpectacula, non magis ex ingenio actorũ laudata, quàm ex magnificentia ſumptuoſæ voluptatis. 1651.
Ac primò quinquaginta paria ludionum, ſtatura ac habitu conformia in proſcænium venêre, infuſcatis atro colore vultibus, quovè veriſimilius aduſtos ſole Mauros mentirentur, è nigerrimis agnorum pellibus capillitium aptaverant. Saltatio ad numeros fuit, inter obiectorum mucronum cuſpides, aut innocuos rotatæ lanceæ ictus; nihil mirabile illis, qui nuper iuſta acie dimicando, quid ſit vulnera dare, & feriri ſenſerant. Hæc de die. Neq; noctium ſpatia ſimilibus carebant oblectamentis, exhibita ſcæna, in qua idem, qui intererat Rex aſpiciens, videbatur. Quem eo ſchemate ingenioſus plaſtes expreſſerat, vt pleriq; niſi præſens adfuiſſet, rem ſeriò agi exiſtimarent. Eques prodibat ille, lauro caput redimitus, læva frænos ſubſultantis Equi, dextra bacillum militaribus deſignandis imperijs tenens, vbiq; vividos bellaci aſpectu oculos, circumferebat. Siſtebantur item ſub larva rebellionis choragi, Chmielnicius, Bohunus alij, damnatorum in morem: quos vbi imaginarij iudicij ſententia ſupplicio addixit, depaſcebatur ſubiectus ignis perſonatos reos, meritis equidem illis, quorum non larvatæ ſtatuæ, ſed autores ipſi realibus flammis vrerentur. Poſt ad gymnica itum. Quâ ingenti oſtio, Iſtula Oceanum ſubit, proceſſerant in altum complures onerariæ, in ſpeciẽ inſtructæ claſsis; quæ, ad datum tuba ſignum, clamore remigum, ac fragore colliſarum navium latè reſonante, veri in ſpeciem certaminis depugnavêre. Dati & accepti à cõtis remisqué ictus, ſed qui tubera, non vulnera provocarent. Plures ex Neptuni filijs, ab antennis in aquas excuſſos, epibatæ admotis lembis excipiebant. Aſt, nihil magis adverterat ſpectantium oculos, proiectâ Neurobatæ cuiuſdam audaciâ. Is, à ſummitate turris Prætoriæ, ſuper extẽtum rudentem reclinis, violento duorum ſociorum impulſu præceps protrudebatur; facili, etiam ſi nemo adiuvaret caſu, & actu non agenti modo, ſed & ſpectatoribus horribi-

1651. li. Excuſſum curru ſolis Phàètontem, non vsq; diſsimili referebat imagine, cùm pro Eridano Viſtulæ ripa, & quæ infortunatum fratrem plangerent, adeſſent homini binæ ſorores, defunctũ tumulo, aut perfunctum lectiſternio exceptura. Enimvero attigit incolumis metam, datumqué accepit pro hiſtrionia lucar; exiguum certè quæſtum, quo audax protervia procuraverat voluptatem ſpectantiũ. Talibus tum, à ſanguine & bello recentes animi, velut quodã oculorum paſtu, recreabantur: cùm ſimilia à Romanis, Græcisq;, qui olim ſe Orbis dominos, & non ficti nominis Martes dixerunt, vſurpata: non citra dignitatem ſpectantium legantur. Fas eſt quandoq; capaces arduorum animos, ad minuta iſta & oblectantia demittere, curis mixta hilaritate diluendis: præſertim, ſi inſania Circi, impudicitia Theatri, atrocitas arenæ, deniqué Xyſti vanitas removentur. Cur non Princeps ingenuo oculo ſpectet? etiam poſt ſcænam eiuſdem ſupercilij Cato manſurus. Hinc popularitas regnanti, & non nimis auſteræ Maieſtatis veneratio maior, cùm corona ſubditorum arcumfuſus, ita ſe Regem meminit, vt neq; hominem obliviſcatur. Quæ honeſtæ lætitiæ data, vbi ſalva Maieſtate ſpectavit Princeps, nequé nobis faſtis inſeruiſſe inconveniens fuerit. Pharus dehinc digna videri fuit, quàm Laternam vocant. Littori maris imminet eximium fabricâ opus, in cuius ſummitate ſpecula ſuperſtructa manet, errantibus per Oceanum Balticum navibus, de nocte amicum lumen oſtendens. Locum, naturæ & artis adminiculo probè firmum, tuentur Gedanenſes, ob ſtationem in portu percommodam, quô ad Emporium iſtud, dum merces ſuas exteri afferunt, noſtras recipiunt. Quid ſi Rex Sarmaticus, ſalo quoq; imperium ſum inſinuaret? cùm Polonia velut globus terraqueus, ac mediterranea orbis portio, vtraq; manu gemina prædat Maria, ab Ortu Euxinum, Balthidem ab occaſu, lateribus cohærentia. Etſi liquidò conſtet, molimen eiuſmodi ægrè laturis tranſmarinis, ex metu frænandi maris; ſi gens campo

cãmpo pugnax, poſſeſsioni æquoris inſtaret, inſtructa claſſe & apparatu navali. Ita dum nos negligimus, illi maris dominium ſibi vſurpant, campeſtrem Polonorum gentem ſalo inidoneam rati; cùm tamen amphibia virtus, pleriſq; gentibus inſita videatur, quidni noſtratibus? qui à natura & aſuetudine formati, fortiter pericula ſubeunt, magis quàm contemnunt. Nec de iure diſquirendum, cùm ad poſſeſſorem littoris ſubiectorum marium dominium, ex lege naturæ ſpectet. Olivam poſt, quæ Gedano milliari diſtat, obiter divertens Rex ibidem pernoctavit. Cænobium id Suatopelkus Griphius Pomæraniæ Gubernator, Ciſtercienſi D. Bernardi familiæ fundaverat, dotaveratq;, impoſito Olivæ nomine, quæ ſingulare pacis hierogliphicum eſt. Non inani nominis myſterio, cum labentibus ſæculis, eo loci ſeptennale cum gente Suecorum bellum, concluſa nobiſcum pace, ſopietur. Hìc conſtans traditio meretur fidem, aliquando panem in naturam lapidis obriguiſſe. Quippè, ſub annum 1217. fame invaleſcente, dum cænobiarchæ loci accurrentes mendicos, è religioſo penu ſportulis reficiunt, fortè evenit, vt peregrinus quidam Pruthenus à Gerdaven, exacto pro ſe fruſtulo Panis, trium liberorum matrem, in itinere haberet obviam, plorantibus parvulis ac requirentibus eſcam, quæ deerat omnino afflictæ Matri. Quid ageret? poſcebat vel micam ſaltem ab obvio, emorienti proli niſi miſereretur inediâ mox extinguendæ. Negat ille quidquam ſe panis habere, & quia è ſinu prominebat buccella, lapidem eſſe impio commento deieravit. Sic duriter eluſa, & pluſquam Agar, interquæſtus maternos ab immiſericorde relicta eſt. Sed neq; is idem ſportula ex voto vſus, eleemoſynario pane, in lapidem divinitus converſo. Qui lapis advenis monſtratur, non negandæ afflictis opi, hortamentum. 1651.

Neq; interim omiſſa ſeria, iſthàc veluti è ſpecula Rege cum Senatu, in longinqua proſpiciente: Lubecam maximè, vbi tum à Republica *Commiſſarij*, cum gente Suecorũ

1651. perpetuæ pacis ſtabiliendæ, conditiones diſcutiebant. Induciæ quidem Sztumdorfienſi fœdere ad Annum 1661. pactæ, mutuò inviolabilem pacem ſanxerant; verùm novus gentis Rex, famam propenſi in Martia animi, initijs regnādi circūdare quærens, totus in bellum ferri viſus: cui cùm iuſtæ armorum deeſſent cauſæ, veterem illam aſſuebat, agni turbantis aquam. Delegati quippè Suetici perperam nitebantur, vt Caſimirus hæreditario Regni Sueciæ titulo, ſe exueret; Livonia in Ius eorum tranſcriberetur, cui retinendæ erogata in militem per XV. annos ſtipendia ac ſumptus, ærarium Polonicum refunderet. Talibus nec Regi, nec Poloniæ tolerandis, diſſuendi Conventus cauſam dediſſe, nè ipſi quidem Sueci inficiabantur. Indoluit vehemēter Caſimirus, conſanguinei eiusq; novitij Regis, pacem temerè ſpernentis elatione; etſi pervaſerat rumor, iniecta aliquali ſpe, abdicationis tituli Sueciæ Regni, potuiſſe in rotū eo *Ente imaginario*, aut *Sereniſſimo nihil;* imminens belli diluvium obſtruxiſſe. Etiam enatum recens diſsidium inter Electorem Brandeburgicum, ac Principes è linea Palatina Neoburgicos, exortem curarum Regem non habuit. Nāq́ué Philippo Wilhelmo iuniori Duci, nuptum data Anna Conſtantia, Sigiſmundo III. genita, affectu & officio obligantibus, in ſenſum iniuriæ, ac partes conſanguinei Principis, traxerat Regem; eo vel maximè reſpectu, quòd Elector, vti Vaſallus Regni, æquanimem Caſimiri mediationem, non omninò poſtpoſiturus crederetur. Motus is, exarſerat anno præſenti, ex cauſa familiæ herciſcundæ, Ducatuum Iuliæ, Cliviæ, ac Montium: revera prætextus religionis inerat, quam Elector Auguſtanam, Neoburgicus, Catholicam profitebantur. Indecorum namq; viſum Principi Lutherano, ſubditos pati in ſenſu religionis à ſe diſcrepantes: indignum Catholico, vt vetuſtus ijs in terris Deum colendi ritus, novitijs opinionibus ſupprimeretur. Hinc diſsidium, mox querelæ: & vbi vtriusq; cauſæ patrocinium apud ſequaces non deeſt, prior Elector prætenſionem armis

mis aſſerere præſumpſit. Verùm Cæſare litem iure ſuo dirimente, (etiam Rex Polonus non defuturum ſe Socero, ſi pacifica compoſitio temnitur, ſcripſerat) tandem ſuſpenſis per inducias armis, in redintegrata fœdera, certis legibus ibant. Aſt, non diu frui licuit, pacatis rebus Principis coniugi, die nona Octobris. Fato Conſtantiam è vivis tollente. Convixit illa marito etſi improlis concorditer, cui exdotandæ paternam gazam Vladiſlaus IV. pœnè exhauſerat, munificus Princeps & ſolius gloriæ egens. Exangue corpus Coloniâ Vbiorum, Duſſeldorpium, quæ Neoburgicorum ſedes, deportatum, ac inibi tumulatum fuit: ſterili Sororis deceſſu, nihil Regi præter mœrorem, & pullam adferente. 1651.

Dum occiduus Boruſsiæ limes, imitamentis triumphi occupatur, ad Orientalem interim plagam fervebant arma. Siquidem Exercitus Duces, componendis rebellium motibus, Kijoviam in ſedem belli deſtinavêre: ita ab Rege iuſsi, vt inſeſsâ vtraq; Boryſthenis ripâ, vtriq; Vkraynæ legem darent; ſimul, quòd hac parte facilior commeatus, intacto per hyemem citeriore tractu, ac illatis primo Vere ſeminibus, hornæ frugis non inferaci. Supra XVIII. Mill: complebant *Stipendiarij*; Nobilitas, inter legendi militis & redeundi feſtinationem, VII. Mill: Tyronum addiderat; Peditatus VI. Mille cenſebatur. Aderant præter Generalem, Campidux Kalinovius, Wiſniovecius Ruſsiæ, Kiſielius Kijoviæ, Potocius Podoliæ, Landzkoronius Bracſavienſis, Szczavinius Breſtenſis, Sapieha Witepſcenſis, Palatini, ijdemq; Legionibus Præfecti. Odrzywolſcio præterea Czerniechovienſis, ac Cetner Halicienſis Caſtellani: Samuel Kalinovius Caſtris, Zamoyſcius Excubijs, Przyiemſcius armamentario impoſiti: Sobieſcij, Wiſniovecij, Danieſovicij, aliaq; Ruſsiæ decora, adfuêre; ſolis Potocijs novem turmarum ductoribo, velut Romæ contra Volſcos Fabij; gentili odio adverſum rebelles conſurgentibus. Ijs cum copijs vltra Sſuczam lentiori quàm vt Duces vellent itinere

1651. tranatum; cum per exhauſtam oram miles, fame ſimul ac lue epidemica affligeretur. Quippè Sſucza amnis, pro trâſverſali linea pactis Zborovianis deſcriptus, quidquid agrorum cìs & trans continebat, omne id à noſtris iuxta & hoſte deſolatum manſit; vnde commeatus inopia maximè legionarijs infeſta: quibus, in excurſus pabulatorios nulla facultas, ac omnis conquirendi cõmeatus ratio, ex empto conſtat. Quòd, ſi æs militare inexolutum aut interverſum manet, miles interim eget, egens eſurit, ex inedia morbi, ex fame invaleſcunt mortes; poſt Ductorum incuriâ, aut quæſtorum iniuriâ, rareſcunt Ordines, ac demùm inopiâ diſpereunt. Quàm verò eius generis militia, enormi impendio conſtet, vexata tributis Nobilitate, emunctis per rapinas ruricolis; ſentimus probè, quærulamur acerbè & poſtquam rapax malum verborum remedia ſuperavit, neſcio quam ob rem tolleramus Et gregarios quidem complures fames, aut lues abſumpſit: dolentius fatum Hyacinthi Rozrazevij fuit, Lubartoviæ vltimum diem explentis, Rozrazewſki. Tribuni dignitate meruerat legioni impoſitus, vir probitate inter paucos, ſtirpe illuſtris, nec inferior meritis, ſi vita ſuperfuiſſet. Namq; foris honorem, quem arma faciunt ſectatus, etiam in Patria exoticam militiam exercuit, maiorum æmulatione; an inſito ei ſtirpi genio, quàm Piaſecio germaniſmum ſapere ſcripſit. Hunc ſecutus, Otto Erneſtus Maydell, è Livonibus, Capitaneus Piltinenſis, aliquantum Maydell. ſerius deceſsit, per multa militiæ experimenta, Regi probatus æſtimatusq;.

Chmielnicius, hactenus in alieno vt putabat theatro beligerans, iam intra Vkraynam retractus, ſi quid vſquam reliquum virium colligebat. Is Hano ad Bereſteciam fuſo, abſcedendi ſocius, deinde ſub cuſtodia habitus, tandem gratiam indignantis ex clade Scythæ, eo modo raparavit. Nihil gente ea avarius, amicitias lucro æſtimat, bella ob ſpolia gerit, humana mancipia licitatur, ſanguinem deniq; humanum, ſi operæ pretium manet, prodigere commodi causâ

causâ non ambigit. Intimè horum ſciens Bohdanus, pro- 1651.
in dimiſſo quantociùs ad Thymothæũ filium Czechryniã (quem ei loco in omnem belli caſum impoſuerat) Wyhovio, præter alia ingentis pretij donaria, VIII. Cent: Imp: Mill: redintegratam amicitiam Barbari, ac libertatem emercatur. Quâ grandi largitione evictus, quamvis in præſens feſta Bairani ſui cauſatus Crimum abiret, attamen Bairam Krym. pollicitis auxilis, fortunam partium ſe mox erecturũ ſpopondit. Itaq; diu ad Olſzanicam expectatus, nec comparens, noſtris ſpem fecerat, non tanti æſtimata dona ſibi, quin magis ſequiore ad Bereſteciam ſucceſſu abſterreretur. Cùm inſuper Generalis, datis per Ioannem Giebuſtovium literis, iuratæ fidei eundem ac beneficiorum Regis Giebuſtowſki. commoneret, nullo condigno pretio armis rebellibus ſe ſe immiſcentem. Dum tardè is ſuccurrit, Chmielnicius interim Mechaz Murzam, è Dobrucenſibus Scythis, menſtruo ſtipendio cum Sex Mill: pertrahit, quo præcurſore, famam mox venturi Hani ſpargeret. Mittitur & Kotarzny Kotarzany. legatus ad Turcam, flagitando afflictis Coſacorum rebus ſubſidio, quos erigere ſi negat eo ſtatu rerum Ottomannº, invitos, nec felici Turcarum aſtro, in obſequium Regis Poloniæ redire nunciaret. Ad Białacerkiew interim metatus, quidquid vbiqué rebellium virium convocabat: è diverſo Ducibus noſtris, edicta ad plebem emittentibus; quæ, ſi vitam ac pignora ſalva vellet, ad ſubiectionem reverteretur, ſi contra faxit, extrema quæ imminerent ſibi imputaturam. Perferendis edictis ſimul explorandis rebus, miſſus Caryna, cum aliquot Ordinatorum manipulis: Pawołociam ve- Caryna. Pawołocz. niens, oppidi Advocatum, qui pro præfecto loci agebat, vt ſuis paterent portæ Zamoſcij loci domini nomine compellatum, haud ægrè vt id faceret induxit; qui mox, ſtationes militi per ſuburbana diſtribuit, donec circumquaq; tranſmiſsis edictis, quid animi in vulgo aut obſequij ſperandũ, cognoſceret. Interea (reſpirante Polono,) fingunt municipes diuturni belli tædium, accuſant Chmielnicium, malè impre-

1651. imprecantur Cosacis; ac quo solutius miles ageret, recondita domuûm pandunt, victum ac potum, quo maximè militaris licentia provocatur, largius submini-strando. Advocatus sub hæc Cosacos quos haud procul abesse scivit, iugulandis de nocte Polonis accersit, præmeditatò agens, vt casui imputata clades, à culpa præstaret immunem. Enimverò subsequebatur, quod Carynæ ignarum, Michael Woyniłowicz. niłovicius cum quinq; legionis Wisniovecianæ signis, qui in proximo vico ante ortum solis subsistens, seu ex concussâ tellure, seu animi præsagio, imminere aliquid suspicatę, paratos in omnem casum suos continuerat. Cum ecce Carynæ miles, iam ex fide tractantis advocati, verius ex meracia nativi potus solutior, ab irruentibus Cosacis invaditur. Perierant sanè omnes, etiam qui in subito periculo equos nacti, Cosacis, ac Scythis, quorum DC. erant, effugium præcludentibus; nisi succurrens Woyniłovicius, recolligendi spacium circumventis, ac hosti exterrito fugæ necessitatem imposuisset, qui mox vtriq; iuncti, manum illam metu maioris potentiæ consternatam, ad alterum vsq; à Pawołocia lapidem, consectati sunt.

Lithuanica quinetiam arma eo temporis, per vtramqué Borysthenis ripam, consonabant; submiserat ante Chmielnicius, destinendis Lithuanis, nè Polonis iungerentur, Thymothæum in Severiam: dein metu periculi, aut quòd fideret minus notæ inconstantiæ Filio, admoverat in locum Or- Orkussa Dudziel kussam, ac Dudzielum Tribunos; qui Provinciæ eius vires in se versuri, inter confluentes Sossæ amnis, constiterant, sub munitionibus Castrorum tuti; ac corradendis prædis firmo receptaculo. In hos Radivillus leviori Equitatu præmisso, mox secutus ipse, peditatum machinasq; pontonibus impositas amne submisit: præfervidus Dux, famâ magis anteactorum, quàm præsenti apparatu formidabilis. Terro- Polesie. ri augendo Vincentius Gasievius, Subsilvano tractui quatiendo expeditus; quód non extra rem fuit, prout Cosaci diversionem armorum nostrorum intendebant, consimili arte vires

te vires eorum distraxisse. Interim Lithuani, in munitio- 1651.
nes hostium adornata impressione, irritis primò & altero insultu, ea invasêre, quoad omni Equitatu in pedestrem cõflictum se accingente, diu repugnantes Cosaci succumberent, ac simul Łoiovia perampla Civitas recepta est, diffugiente præsidio. Inde ad maiora audenda instinctus Radivillo fuit Regis ad Beresteciam victoria, ac rebellium resvndiqué conclamatæ: siquidem rerum cursui insistens, Czerniechovienſem tractum, à cœptis motibus belli securum, & omnigeno commeatu luculentèr instructum, armis complexus, vndiq; concusserat, nemini velut hostili in solo parcendo. Post vbi successus & præda accendit militem, etiam mandato Regis accedente, vlteriorem Vkraynam introgressus, Polonis iungi destinabat. Nec diu hæsit haud contemptor famæ, quin incunctantèr Kijoviam fœcundam laudis materiem peteret; intimè gnarus eodem Polonicos Duces collimare, nec sibi infra gloriam fore, si prior velut metam victoriæ præcepisset. Præsertim cum iam Gasievius disturbato cum sex Mill: Orkussa Tribuno, etiam tractu Kijovienſi quâquâ versùs per exploratores decurso, plo terroris quàm præsidij ea in vrbe, ac in Polonos versa Chmielnicij arma, nuntiaret. De ea vrbe, vt olim sedes Monarcharum Russiæ, vt vastati Orientis ditata spolijs supra retuli: etiam vt nunc pristina amplitudine imminuta manet, quod rebellioni imputandum. Ea agitantem, opportunè allapsæ literæ in spem erigunt; Metropolitano loci pro Clero & templis, vt à vi militari immunia essent, enixè velut victorem deprecante. Auxit animum cùm in brevi à Magistratu Vrbis delegati veniissent, si se vltro fidei Lithuanorum committunt: quâ tandem conditione, aut securitate, inclytæ vrbi consuleretur. Vrgebat etenim malè tutos Cives, præter inclinatam partium fortunam, patratorũ conscientia, ac metu anxij expendebant, Polonorũ, nè an Lithuanorum fidei, committere se se tutius foret? donec potiorem iure qui prior tempore veniisset, iudicarunt, nec

1651. adeò metuendum Lithuanum, qui pro gloria tantùm vti auxiliaris, in Provincia Polonica depugnaret. Nil cunctatus Radivillus propè vrbem Castris consedit, quæ copijs cincta & succursu destituta, agitare super deditione cœpit, stipulatione verbi aut scripti, securitati incolarum caveri satagens. Aſt comperto venturi auxilij spe inflatam studio moras nectere, Noldius Tribunus machinas navigijs subtus Nold. Ielski. Monasterium DEI-PARÆ subvehere; simulq; Ielscius cum peditatu Hungarico, aureæ Portæ advolvi iubetur, reliquo Exercitu in eminenti clivo ad impressionem stante instructo ac minaci. Nec vltra hæsere Kijovienses quin se suaq; arbitrio Ducis permitterent. Qui vrbem ingressus, exarmata plebe, Magistratum, etiam Clerum, in nomen Regis iureiurando adigit, indicitq; diem, qua Tribunali suo nocentes, ac turbarum rei sisterentur. Sub adventum namq; eius Makiera cum præsidiarijs vrbe profugerat, quodq; dolo malo emissus, municipes arguebantur. Vbi verò absentes sisti non potuêre, indicta conscijs mulcta, aliquot noxæ manifestis præsenti supplicio affectis. Minuit dehinc successus famam, ortum in vrbe incendium, quòd vehementiore austro flammam exagitante, ternas regiones ædificiorum fori absumpsit, omne restinguendi studium eludens, donec ignis interveniente platea sisteretur. Namq; in restinguendum ciendæ plebi, campanum æs pulsare, sub pœna suspendij vetârat Dux, tumultus metu; hinc maior ex igne ædium strages, grassante acrius dum non inhibetur, elemento. Defijsse videbatur malum, cum rursus die VII. Augusti reviviscentes intertitiones flammæ, maiore quàm dici possit pertinacia recruduêre: ædesq; sacras, inter quas vetustissimum DEI-PARÆ ascererium, cum Gymnasio: Palatia item Nobilium, aliasq; ædificiorum structuras, redivivus ignis in favillam redegit. Ea vrbis calamitas, aliquam famæ Lithuanorum notam inusisse, videbatur, sparso rumore, studio suppositum ignem, nè si integra vrbe supervenirent Poloni, ex subacta in se fructum præ-

prædamq; derivarent; Aſt rumori nihil inerat verisimile, 1651.
autore incendij etsi solicitè quæreretur haud quaquam reperto: Magistratu vrbis, ex institoris cuiusdam audacia, igni fuisse initium comprobante, qui velut æstro percitus, per gulæ facem, se demùm igni iniecerit. Sic tum vetustate superbam Kijoviam, vnius mangonis rabies, miserabili incendio deformavit. Nihilominus Antonius loci Tribunus, vindicare de manu Lithuanorum satagens, Makieram nuper vrbe profugum, cum bis Mill: Cosacis expedivit, vt per adsita flumini saliceta suggressus, navigia Lithuanorum negligenter vt rebatur custodita exureret, vel in adversam ripam traducta, sui iuris faceret. Orkussam dein cum totidem Equitibus ac Scythis præmittit, tantisper circumsitas speculaturum, quoad sex Mill: peditum, terrâ suggressi; demùm ipse navigijs prono amne immissis, vrbem simul & Castra adoriretur. Verùm Makiera obsequij insolens, Antonij consilium temeritate corrupit, cùm nihil tentatis põtonibus, quâ ibat Orkussa, eidem se iunxit, ac ex improviso non procul disita tuguria, in dandam socijs navalibus tesseram incendens, Lithuanis se in hostem expediendi opportunitatem dedit. Proin Dux, Clero, ac Magistratu, vt se in Officio continerent, severè admonitis, invectum Makieram facili negotio repulit, ac rursùm pugnam restaurantem ad milliare propè insecutus est. Eo successu subsidiarium peditum agmen consternatum, solutis mox ordinibus dispallatur: Antonius quoq; temeritate rem perditam advertens, obversis & ipse in vlteriorem ripam navigijs, abitu sibi consuluit: naves suas Lithuanis non ea celeritate vt assequi valerent, expedientibus. Siquidem Borysthenes Dniepr. aquilonarium fluminum post Tanaim maximus, vorticosq; nimiùm est, nec semper vbi ventis exagitatus remorum ministerium patitur. Oritur is ex nemoribus Hercinijs in Moschovia, vnde directo in Orientem cursu Vkraynam intersecat, hinc in meridiem per campestria, multorum aquas fluviorum trahens, ingenti ostio in Pontum Euxinum e-

volvitur. Vaſtum id flumen, fuſci coloris aquas habet, ſil- 1651.
veſtrem originem referentes, quarum eâ natura, vt ſupernè
nimiſquam pigrè labi oſtendant; aſt ſubtus, incredibili ra-
piditate feruntur, navicularijs ægrè contos in imò defige-
re permittentes.

Subſtiterat in reſpirium Exercitus noſter ad Pawołociâ, cum grave vulnus infligitur Poloniæ, ex morte Hieremiæ Ducis Wiſniovecij Terrarum Ruſsiæ Palatini. Genus illi è Korybuthæa Ducum Lithuaniæ ſtirpe, familiâ olim ſanguinis Regij, poſt Regnatrice. Pater Michaël Caſtellanus Kijovienſis, Mater è Mohilorum domo, penes quam exacto ſæculo, dominatus Valachiæ manſit. Hieremias namq; Mohiła Regulus gentis, per filiarum connubia, potiores in Polonia domos complexus fuerat, quo lubrico illi ſolio firmius inſiſteret. Inde Wiſniovecius nomen avi materni inditum tulit. Staturâ erat mediocri, vivacibus oculis, renidente ac ſubfuſco vultu, membrorum ſymmetria teres, atq; rotundus. Aſt animus magnorum capax, & omnis in arma inclinatio; nullam bellicam expeditionem præterlabi paſſus, quin adeſſet; aliquas proprijs auſpicijs geſsit, vbiq; Ducis ac militis, fortiter æqvè ac feliciter munijs perfunctus. Nulla in eo diſſolutæ aut indignæ voluptatis nota, procul erant rapacis ingenij ſordes, à natura ſplendidus ac munificus, cui tribuiſſe ſua, quàm appetijſſe aliena præplaceret. Hinc militum mirus in eum favor; & vltra quàm credibile populi ſtudium. Sed non eo apud regnantes gratiæ loco ſtetit, præcipuè ſummam in aula tenentibus Miniſtris minus gratus: quibus non rarò eminentes militarium virtutes, ſuſpectantur. Inde tradendæ armorum Præfecturæ, ab Rege cunctatio, dum vt ardentiùs quàm conſultiùs in arma promptũ, vel fortunæ, vbi in apicem rerum evadit, immodicum, æmuli differunt. Equidem Caſimiro, ex merito compertæ dexteritatis æſtimavit: erant tamen, qui ſuggererent, velut arcanum aphoriſmum. *Regem in hamiſpherio Regni ſui ſolem agere, Proceres ſtellarum loco eſſe; quas ita lucere oporteat, vt meminerint, Soli lucem debere: nec offundant caligi-*

nem autori claritudinis ſuæ. Patrimonium ei trans Boryſthe- 1651.
nem amplum, ac pro fortunarum amplitudine liberalitas,
grata militi virtus: vbi per bellum exutus opibus, abrupta
facultate benefaciendi, eadem promptitudo manſit; & quæ
eiuſmodi aliæ qualitates, multa inter erepti deſideria lau-
dabantur. Quid bello hoc præſtiterit, plena ante ſcripto-
rum pagina loquitur. Immaturæ mortis cauſa in eſum me-
lonum referebatur, vnde ſtomachi languore, dein arden-
tiſsima febri correptus, in oculis totius Exercitus extingui-
tur. Vbi mortuum rumor Caſtra pervaſit, quisq; accurre-
re, mœrere, cauſam deceſſus ſciſcitari, & ad expoſitum ſub
Conopæo corpus, debitas Hëroi non negare lachrymas.
Aſsiſtebant loculo Centuriones, ibant, reveniebantq; paſ-
ſim commilitones, tentorium circumſtante in cuſtodiam
pedite. Dum effertur (XXIV. Auguſti) compleverant
campum mæſtæ legiones, omnesq; tanti viri occaſu, etiam
qui videri poterant non amici, indoluêre. Auectum dein
in Poloniam corpus, ad Grizeldim de Zamoſcio, fidam pro-
ſperorum adverſorumqué conſortem, manente apud cun-
ctos, vbi ſublata cum ſublato invidia, amiſſæ virtutis me-
moria, aut deſiderio. Hìc finis Hieremiæ Wiſniovecij Du-
cis, qui à plerisq; columen Regni, non falſo dictus. Auxe-
rat ſparſa fama dolorem, medicata potione interceptum,
ac ſi extingui Heróès, niſi procurata morte non poſſent:
falſum tamen rumorem docuerunt, nulla deprehenſa ve-
neni, vbi exenteratum corpus, indicia.

Lentius demum à noſtris promota arma, legionarijs inopia ac itinere afflictis: etiam Generalis Potocij graveſcẽte valetudine: inſuper à plebe, ſubmiſsis qui pacem precarentur, & acerrimo in indulgendum ſuaſore Kiſielio, ad Hermanowkam non nihil diſtinuêre. Venerat Hodyniec, Hermaseu Aper, cum Andrea Kulka, tentandæ magis, quam petẽ nowka.
dæ paci; ad prima poſtulata ſolito more demiſsi: rurſùs, vbi
ad rem ventum, alia mox, idq; audaciùs velut mandata
proferebant. Productis Chmielnicij literis eo ſenſu. *Irent*

1651. *paci procurandæ ſed ita, ſi pactio Zboroviana de toto & in ſolidum reaſſumitur. Fortunam partium in æquilibrio ſtare, & ſequiorem Bereſtecenſis prælij ſucceſſum, innumeris fortunæ experimentis rependi. Quòd, ſi fuſum cruorem ac deſolatæ Ruſſiæ vaſtitatem, ad calculum Poloni revocant, fateantur neceſſe incomparabili iactura paſſos, quæ agerent. Multa interim deſperantibus ſperanda; Ottomanni patrocinium, Scytharum auxilia, Tranſilvani ſuccurſum, & ſi cætera deſint, vindicem Deum, nec torpentem ſuam ex innocuâ clade dexteram. Interea claudenda oppida, firmandas arces, traiectus paludum ac fluminum occupandos, quæ dum grandi temporis impendio revelluntur, interim cæli iniuriæ domabunt obſtinatos: deniq; ſi in ſummam armis prævalent Poloni, ſuamet municipia ſuos exſcindent incolatus, damnosâ quæ multos pauperes reddet victoriâ.* Superba cunctis viſa poſtulata ea, placitumq; toties ingeſtam clementiam, non impunè contemni, Proin faceſſere iuſsis, vt qui per illuſionem alia facerent, alia loquerentur, Biaſocerkwam verſùs, iter inſtitutum eſt: ex captivis cognito, nõ diuturnam paſſuros moram Coſacos in Caſtris Chmielnicij, ob intercepta à Lithuanis pignora latereſq; abitum vrgentibus. Præterea angi Chmielnicium, quód Vkrayna in ſedem bello delecta, plus numeraret capitatim hominum, quàm ariſtarum; ac omnes ſubitis malis conſternari, à nemine ſuccurri. Si quid extaret ſegetis, tranſlapſo meſſis tempore, imtemperiè autumnali corrumpendum, vnde famem ſuboriendam; nec multum intereſſe vt hoſtilis gladius parcat, ſi ab inedia pereundum ſit. Etiam in futurũ annum eandem tranſmitti calamitatem, vbi in hyemem non ſeminatur.

Træliſſy Dum tranſit Exercitus, Træliſsij oppidum, primum in exemplum neceſſariæ ſeveritatis venit. Kiſielius loci Dominus, miſerat è ſuis, qui iuberent municipes recludere portas, ac eiurata rebellione fidem Reip: ſequi, quominus pignora & bona eorum ſalva manerent, ſpondens ſibi curæ futurum. Contemptêre iſti monita, ſubmiſſo præſidio tumidi,

tumidi, ac cohortes noſtras ſuburbium propè euntes, primò fiſtularum ictibus, dein eruptione laceſsivêre. Stringere in pertinaces vim Przyiemſcius iuſſus, duas legiones peditum cum tormentis admovit; è quibus verberatione in roboreum ſepimentum inſtituta, diu reſtiterant: quoad famulitij caſtrenſis accurſu, corona militari cinctum oppidum captum eſt, ac ex merito ſuo tractatum. Centum ex legionarijs interîêre; inter quos Wahlius, ac Strauſius, Ordinum Ductores, quorum poſterior fragmento falcis fœnariæ, ab imbelli fœminæ manu necatus. Vnde à gregarijs talionem reponentibus, atrociter & promiſcuè ſævitum. Correpto flammâ oppido, recipiunt ſe in vallum exterius fœminæ, quarum impubes tympanotriba (Theutonem ſermo prodebat) acuminata ſecuri, ad XXX. iugulavit, ſub muliebri habitu viros tegi dictitans. Sat dexter lanius, ſi vna die tot capras mactaſſet: perpetraſſetqué enormis matricida omnium cædem, niſi a quopiam explosо in hominem ſclopo vitæ ſuæ attendendo, alienæ peperciſſet. Enimvero eiuſmodi ſunt fructus belli, ea Gradivi meſsis, perire aut perdere: òccidimus & occidimur, ac reciprocante ferro confodimur, velut mortale genus extingui, niſi ab humana manu non poſsit, Nimis quàm verum. 1651. Wahl. Straus.

Vnus homo per ſe poteſt occidere mille,
Vnum hominem poſſunt, vix generare duo.

Trælisſorum præiudicio, retinendis adverſùm vim oppidis diffiſi municipes, confeſtim avia, aut Caſtra Chmielnicij petiêre. Vnde Chwaſtovia, Waſilkovia, Stayki, aliaq; oppida deſerta ſunt, repertis, non niſi quos ætas aut ſexus, deniq; ſecura vitæ paupertas intra lares continuit. Dein, quo vnita virtus fortior eſſet Lithuanicus Polono Exercitui iungitur. Lætum viſu, vbi ſe mutuo Duces gentium ſalutavêre: gratum legionibus, alterutrius militiæ recognoſcere decora. Vbi robur Legionum oſtentaret Polonus, fulgentibus ſignis armisq;, denſato agmine, anxia retinẽdi ordinis cura conſpiciendus: non inferiorem ſe præſtitit Chwaſtow. Waſilkow. Stayki.

Lithua-

1651. Lithuanus, loricatus bracteatusq́; , in acie, in tractu ac Caſtris vigil; & quamvis numero inferior, Bereſtecenſi attamen trophæo, Łoiovienſem pugnā, ac receptæ Kijoviæ decꝰ æquivalere ſatagebat. Quarto iam in caſtra venerant Coſacorum internuncij, toties negato acceſſu, reiecti: vix tándem enixè petentibus, quorum cauſa veniſſent ediſſerere permiſſum, convocato in conclave militari concilio, quòd tum æger Generalis decumberet. Illi breviter pro miſericordia ſe venire dixerunt. Iam verò, Chriſtianè admodum, ac ex ordine facturos Duces, ſi inhibitâ per armiſtitium hoſtilitate, Commiſſarij ad Caſacos mitterentur: vel ſaltem aliquis in anteceſſum iret, de loco ac tempore præliminaria negotij diſcuſſurus. Ad hæc reſponſum eſt. Ita ætate ac naturâ formatum Ducem, vt rebus quàm verbis agere malit; eo præſertim in negotio, quòd promptius ſit ferro decidere quam verbis protelaſſe. Non tamen adeo obdurati animi fore, vt non malit ſupplices videre Coſacos, quàm reos; qui ſi ex animo rebellionem exuunt, hæc illis præſtare neceſſum. Scythas ablegarent; Zaporoſcenſis Coſacorum militia, duodecim Mill: eſſet: Fides Reip: Iuriſdictio Præfectis, Heris ſubiectio, integra manerent, nec aliter conſtituram pacem. Dum conditiones expenduntur inhibere hoſtilitatem placuit, ac quò non vanum armiſtitij nomen intelligerent, iſti ſeverè cóèrciti pabulatores noſtri ſunt, nè quis ignes tugurijs, aut cædes incolis inferret, neu rapinas exerceret; exceptis ſine quibus vita tolerari non poſſet. Ac quo præſens rigor efficacius in officio contineret lixas, ſex qui delubrum Waſilkovienſe expilarânt, præſentibus interncncijs in furcam acti. Enimverò Machovius, iverat de loco condicendo, Commiſsioni. Ex Maieſtate quippè Reip: videbatur, vt Rebelles, qui impunitatem erratis petterent, Ducibus coram ſiſterentur, amneſtiam beneficio tribuentis Reip: habituri Verùm Wyhovius tranſlatâ ab vſu forenſi ad bellica diſſertandi promptitudine pervincebat, grande pacis opus ex dignitate autoris qui Rex eſt, & extra-

Macho-wſki.

Wyho-wſki.

ex tractantium perſonarum ſecuritate, nullibi commodiꝰ ac decentiùs tranſigendum, quàm in arce Regia Białacerkiew. Miſſuros quidem haùd illibentèr Coſacos, ad tractandum, in Caſtra, ac id quidem ex officio facturos, qui ſubditos ſe Reip: agnoſcant: aſt tempus & operam fruſtra inſumenda, haud quaquam conceſſura in eas conditiones plebe quæ non ſe coram, in excluſionem ſui, ſancirentur. Similibus pacandis diſsidijs ſolitum, à Republica mittere Commiſſarios, velut in rem ſuam, non è contra; qui vſus ſi invertitur, etiam inclinatos in tranquillitatem, incolarū Vkraynæ animos, ſuſq́; dequé verti neceſſum. Ordinatiùs in conclavi ſemotis arbitris cuncta proceſſura; ſi in propatulo congrediuntur, convolaturos vtrinqué ſciendi nova curioſos, hinc ſtrepitum, mox verborum licentiam, & quæ conſequi ſolent, inter infenſos metuenda. Neq́; pro Scythis ſpondere, qui abdicatione ſocietatis ſuæ, vtrisq́; inimici, diſturbando negotio nihil intentatum relinquant. Talibus per Machovium ſuadentur Duces, ac confeſtim Kiſielius Bracławienſis, Georgius Hlebovicius Smolenſcenſis Palatini; Vincentius Gaſievius Dapifer Lithuaniæ, ac Nicolaus Koſſakovi⁹ Subiudex Bracławienſis, vltimam manum impoſituri negotio, mittuntur: præter privatum comitatum, duabus legionibus ſtipantibus. Quis crederet tanti nominis viros, adeo obtuſa mentis acie egiſſe; vt ſine interpoſita fide, ſine obſidibus, remiſſo aſsiſtentium legionum præſidio, inimicæ ac periuræ genti credendo ſe ſe, velut voraciſsimo Eurypo iniecerint? Etiam verò, dum ſapiens errat, graviter errat: & quamvis ſimplicitas in errores impingat, craſsius exorbitat prudentia, quia ſapientis immortalis error eſt. Venientibus, Wyhovius honoris cauſa occurrit; deductos in arcem Chmielnicius perbenignè ſalutat, ac menſæ adhibet: cùm interim veſperâ appetente, iam portæ arcis, iam valla firmantur præſidio, circumfidetq́; miles armatus hoſpitia, velut non hoſpites, ſed capti bello forent cuſtodiendi. Senſim dein increſcente tumul-

1651.

Czerſn.

Kiſiel⁹ Chlebowicz. Gaſiewſki. Koſſakowſki.

1651. tumultu, probra & ludibria, ad cuſtodiam aut mortem deposcentium audiri cæpere, graviore anxietate quòd initiò liberali⁹ accepti, nec reſponderent vltima primis. Nocte concubiâ, Chmielnicius inſomnes adijt, infrænabilem accuſans plebis ferociam, cui impar ſit in officio continendæ; ſecura tamen in craſtinum omnia ſpondens, vbi lymphatos per noctem animos, diurna recollectio compoſuiſſet.

Perſtrinxit ex merito indigna tractatio Duces, etiam ſparſo rumore, iam cæſos, vel captos cuſtodiri; vt efflagitando à Turcis patrocinio, Bizantium vades mitterentur. Vindicandi contemptus ſpem amplexus Generalis, Kalinovium cum parte copiarum verſùs hoſtem præmittit, qui ſilenti agmine in Scythas oberrantes intentus ageret, (iſti recens ſeptem Mill: aderant) & aggreſsionem cœptantes, ſubitâ vi moraretur. Is, vbi trinoctio per adiacentes convalles, vigil exegit à nuntio celerrimè allapſo accepit redire Commiſſarios, quibus tamen imminente periculo opitulari neceſsū. Ægrè hos furenti plebi ſubduxerat Chmielnicius, deinde vbi in patentes campos eminus reducti, novo diſcrimine involvebat Dzedzaly, innocuis capitibus cladem Bereſtecenſem vt rebatur penſaturus; idemq; Karaſsio autor intercipiendi, aut certè excutiendi abeuntes. Non vsq; arduum factu erat circumvenire paucos & inermes, vix iam CCCC. comitatu ſtipatos, attamen Gaſievi⁹ ac qui alij in diſcrimen prompti, tamdiu vim repreſſêre; quoad Wyhovij, ac Chmielecij accurſu, Coſaci etiam Scythæ ſubmoverentur: tanto ſanè ſtudio pro noſtris ferrum ſtringentes, vt Chmielecius vnum è Centurionibus Coſacorum, qui ſarcinis Commiſſariorum, pulveres nitratos avehi, concitandæ in tumultum plebi clamitaverat, acinace protinus obtruncaret. Idem alij præſtitêre, ſeu revera exhibendæ ſecuritati abeuntium, ſeu ijs ſinceritatis indicijs, quàm non fictè paci ſtuderent monſtrantes. Ita tunc diſcrimini exempti viri inſignes; aſt currus ſarcinæq; cum

Bohum. Chmielecki

cum ſupellectili menſarum argentea, direptæ Scythis ceſsêre. 1651.

Białacerkiew (quo iter Exercitui die XX. Septembris) fertilibus circum paſchuis flumen Roſsia alluit, in protenſas vbiq; reſtagnans paludes, quibus ampla municipij pomœria ambiuntur. Patentiſsima hac orâ planicies non collibus tumet, aut in montes aſſurgit; niſi quod hinc inde proſtant, exagerati humo tumuli, veterum bellatorum *Sepulchreta*, vel quod ſatius crediderim hoſti obſervando manufacta conſpicillia. Notabilior Perepetycha vaſta in faſtigium mole, quam incolæ narrant, bellaci ab vxore viro, erectum mauzolæum. Appropinquans agmen plano campo ordinatum inceſsit, cuius ſiniſtrum cornu Campidux Kalinouius, dextrum Radivillus cum Lithuanis, medium Generalis tenuêre: corpus agminis peditatu ac machinis firmantibus: Carrago vtriusq; gentis ponè ſequebatur, à latere & tergo aſsiſtentibus turmis, ſi vis deforis ingrueret præſidio. Proſperi conflictus augurium dabat, Sabbathi dies, quem Virgini MATRI ſacrum, vetito carnium eſu, vonax Ruſſus profanet. Conſpecta acie Polona Chmielnicius, vt quemcunq; è ſuis audaciorem properè traduxerat, denſo hinc inde agmine ſupervenientibus obijciens: ac, vt poſt ex captivis cognitum, ſubminiſtrârat pugnaturis vini aduſti congiarium, quo fervidi ſpiritus latex, procuratâ in tempus inſaniâ, fanaticos proliceret auſus. Vnde temulêtia furibundi ac ſui impotes, intra aciem noſtram præcipites ferebantur, illapſi capiebantur, aut cædebantur; quoad Scythæ ſublata vociferatione, in excubitoriam alam, quam antegredi mos militiæ obtinet, pro ſuo ingenio curſim invecti ſunt. Stabat ordinata acies, modò daretur ſignum pugnæ in conflictum expedita, cùm Petrus Potocio Camenecenſis Præfectus, (ex præſidio eius vrbis, dum peſtis vrget, exercitui aggregatus) impatiens laceſsi, cohortes ſuas in aduerſos hoſtes prævius ipſe rapit. Expeditior is Marti quam gratijs, vt ferè militares obtuſiores videri amant,

Roſsia Fl.

Perepetycha.

1651. ri amant, à sola laudandi strenuitate. Accendit Lithuanos æmulatio, vt impigrè ferrum & ipsi stringerent, mox cunctis in certamen se accingentibus. Aſt Generalis, comminato, tubicini qui classicum intonare ausus, laqueo, revocare signa nullo suo permissu in hostem illata, præcipiebat; ad quem subinde accurrens Czarnecius. *En* inquit *o Dux fugax turba, & iterum Berestecensi fato victi rebelles?* Verùm eò acrius vim sistere mandante, iterum. *Iam verò, si publica causa verbis disceptari potest, saltim privata iniuria armis vindicanda: dum præclarus Civis, idemq; Generalis Podoliæ, fortiter pugnans periclitatur.* Tum demum, lento equi vestigio aciem contemplatus, signa legionum in adversos movere permisit, identidem communem Martem, & dubiâ belli aleam, pro ætatis ingenio expendendo, in vincendum segnior. Secuta cunctationem, diei iactura, ac cum tempore incitatorum animorum flaccescens alacritas. Namq; Lithuanico cornu dexterrimè incurrente, non idem ab lævo fervor erat: cùm Campidux, primas post Generalem militaris imperij partes, sibi præripi quæstus, Czarnecium incusaret: ille vicissim, substitutum se in munus distribuendi imperij à Generali, cuius legionis Legatus esset, vtriq; non pro tempore dissênsere: quæ contentio prælio, & victoriæ moram attulisse credita. Cosaci interim seriò rem agi advertentes, ac spatium campo digrediendi nacti, intra Castra se recepêre.

Flexo in vesperam die, obstinata in non vincendum cõsilia passim cavillabantur, servari eo modo hostes non vinci, foveri bellum non confici, Lithuanis exprobrantibus. Sub noctem Rhabarovius, à Kisielio penes Chmielnicium relictus, excusando errorem prælij per insolentiam plebis commissi, venit; mox Cosacorum delegatos prima luce affore nuncians, qui, sepositа tergiversatione, legem pacis, qualem misericordia Ducum dixerit, acciperent. Iam sua toties credulitas, & recidens in rabiem hostium ferocia illuserat Generali, nihilominus vel quoad ita rebus expedi-

Rhabarowski.

re,

re, aut Regijs mandatis parere necessum existimaret: vel quod eum Fata crudeli bello immori non sinerent, convocato militari Magistratu, rem in consilium mittere constituit. Enimvero, hìc adstrictis sententijs certatum rectè posito calculo quibusdam considerantibus. *Sepositа cunctatione, quæ in speciem magis quàm vsui esset consummandam victoriam, ferroq; adoriendas fusæ ad Berestecznko plebis reliquias. Perterritam vndiq;, circumsonantibus armis eam; ideo tantùm Castris ad Białacerkiew immorari, quia fugere non posset. Si ferro negotium committitur, pacandam semel pro semper Russiam; levandam enormi tributorum impendio Poloniam; Scythas convulso sociorum statu, ab armorum coniunctione absterrendos; ipsam deniq; rebellionem, si caput conteritur, frustra posthac caudâ minari. Id honori nominis Poloni, quòd apud exteros gloria armorum æstimetur, conducibile; id bellicosi Regis expectationi gratum, ac vniuersæ Poloniæ salutare.* Contra alij præsentibus, non futuris rem metiendam esse dictitabant. *Non victos, sed subductos acie Cosacos, qui, si stataria pugnâ minus rebus suis conducit, vallo ac Carragine tecti, in nuda Polonorum pectora iaculabuntur. Neq; in desperationem protrudendos, qui inter tot pericula deprehensi, prælium iam timere non poterunt. Si oppugnamus, obsidium prius quàm exitium imminet, non adeo in proclivi posita expugnatione, vt Castra illorum velut ad manum clave reserare, credibile fuerit. Vniversali prælio ad Berestecznko victi, numerosissimo Exercitu cincti, ab Scythis, Duce suo, Tribunis deserti; commeatu ac omni instrumento destituti; alieno in solo, loco iniquissimo, quantum vires ac conatus nostros eluserint, in recenti memoria esse. Nunc, instaurata partium fortuna, apud se domi, (cùm gallus in sterquilinio audacior sit) Hani succursuri spe tumidi, & quæ alia in rem eorum sunt, expugnationem factu arduam fore: imò per cæli inclementiam, mediamq; afflicto milite, vix possibilem sperari. Si vincimus, Russiam in Russia quæremus; tandem vbi solicitudinem fecerimus, pacem appellabimus. Fas esse quæ iam, seu partium culpâ, seu cælesti irâ tran-*

1651.

1651. *facta, vtili amneſtia cicatricem inducere, ne malum ſaviori remedio tractatum recrudeſcat. Cùm præter ſuſpectum fortunæ ingenium, etiam mandata Regis, velut libella agendorum eſſe debeant; ſatis egregium finem ex mente tanti autoris bello imponendo, vbi per leges pacis, cohibemus effrænes populi turbas, nihil præter licentiam turbarum eripiendo.* Talibus pro pace multi, præſertim Kiſielius; alias, niſi ratio rationis pro ipſo eſſet, ingratus pridem Orator. Aderat ſubinde capitibus pacis recipiendis Hładki, cum Nicolao Sawa, ea perſonarũ toties miſſarum mutatione, vt ſicut vnum flumen nemo bis ingreditur, ſic in cœpto negotio ex illis nemini, ad caſtra noſtra rurſùm redire licuerit. In prætorium deductis, exhibetur exemplar redactorum in capita Tractatuũ; quod vbi ſeiuncti legerant, iam paginæ oſcula, iam Generalis pedibus advoluti amplexus dabant; altero mox exemplari per Sawam ad Chmielnicium remiſſo, eo tenore.

Hładki. Sawa.

PUNCTA Ordinationis, militiæ S. R. Maie: Zaporoſcenſis per Duces belli ac *Commiſſarios* expeditæ ad Białacerkiew, die 28. Septembris Anno Chriſti 1651.

Actis Omnipotenti DEO humiliter gratijs, prohibitâ internorum armorum colliſione, ac ſtito Chriſtiani ſanguinis profluvio, poſtquam ab Exercitu Zaporoſcenſi, eiuſq; Ductore, ac Præfectis militaribus, debitum obſequium, ac fidelis ſubiectio teſtata, & exhibita manent, Ser: Regi, totiq; Reip:. Numerꝰ eiuſdem exercitus ad XX. Mill: extendi permittitur. Albo ſeu Matricula per Ducem ac Præfectos, viritim cuiuſq; militis conſcribenda; in authenticum inſtrumentum deducenda; nec vltra anni proximi Feſta Chriſti Natalitia, ad Acta Caſtri Kijovienſis, quo omnibꝰ innoteſcat porrigenda; vbi priùs autographum Varſaviam tranſmiſſum, ſubſcriptione manus Regiæ firmabitur.

Militia ea, intra & per Palatinatum Kijovienſem deſcribetur,

betur, idq; in bonis Regalibus tantùm; liberum nihilominùs erit 1651.
vnicuiq;, ad deſtinatos Coſacis tractus emigrare: diſpoſitione, alienatione, aut evectione omnium bonorum, neutiquam à quoquam impedienda. Cuius beneficij titulus, ad ſolos Coſacos albo comprehenſos extendetur, plebe ad Herorum obſequium & ſubiectionem reditura.

Hyberna Exercitui Regni, in Palatinatu Kijovienſi non aſſignabuntur. In Bracłavienſi autem, ac Czerniechovienſi, differentur tantiſper, donec Album ſeu Regeſtrum, de toto abſolvatur: quo abſoluto Coſacorum ſtativa, manſiones, & domicilia, ab oneribus eiusmodi immunia erunt.

Nobilibus Kijovienſis, Bracłavienſis, ac Czerniechovienſis Palatinatuum, ſecura bonorum ſuorum vſucaptio, ac poſſeſſio erit: tum & Præfectis Regijs plena iuriſdicundi poteſtas; ab exigendis nihilominus cenſibus, abſtinebunt, donec liqueat, qui ab onere exempti, & quibus onus pendendorum incumbat.

Præfectura Czechrynenſis, iuxta Privilegium S. R. Maieſtatis Duci Zaporoſcenſium in Feudum manebit: qui idem modernus, & ſuccedanei, per diploma Regium confirmabuntur, præſtito iuramento fidelitatis Regi Regnoq;: Magiſtratus minores, ex commendatione fidei meritorumq; ſurrogabuntur, à Ducibus Regni in òmnibus dependendo.

Religio Græca, cum ſuis Cathedris, Eccleſijs, Monaſterijs, Collegijs, Scholis, iuxta antiqua iura & privilegia conſervabitur, ſi quid vſpiam præſenti bello avulſum, aut malè à quoquã vſurpatum, nullitati ſubiacebit.

Amneſtia, ſeu perpetua patratorum oblivio, omnibus in vniverſum ſine exceptione manebit, publica Comitiorum lege approbanda. Si qui è Nobilitate partes Coſacorum ſecuti, in integrum honori ac bonis reſtituentur: quòd è converſo Coſacis qui Regijs partibus adhæsère, ſervire debebit.

Scythas exnunc Coſaci relegabunt, attentâ Ducis Zaporoſcẽſium curâ, vt citra noxam ditionibus Regni abeant: cum ijs in poſterum nullas abhinc correſpondentias, fœdera, coniunctiones armorum, habituri: imo ſi nocere Regno pergunt, vti hoſtes tractandos.

Limites

1651. *Limites Mag: Duc: Lith:, vt ſemper antea, ita nunc quoq; à delectibus Coſacorum immunes erunt.*

Kijovia vrbs Regia, quòd ea Metropolis Ruſſiæ, ac pro Nobilitate iuridicundo delecta, ſtativis Coſacorũ non onerabitur.

Ad futura Comitia Regni, Dux Zaporoſcenſium, legatos ex ſuis mittet, pro impertita clementia Sac: Reg: Mai: ac Reip:, ſuppliciter agendis gratijs.

In eas tandem leges Pax coaluit, aut verius in tempus per breves inducias atrox bellum diremptum: dum & nos tantùm autoribus belli indulgem⁹, & illi arctis in præſens reb⁹, mox ad naturam redituri, ſubvenire coguntur. Vnde momentanea veriùs quies, quàm duratura tranquillitas parata eſt; non ita compoſito diſsidio vt non ſæpius, eadem ad mala, etiam remedia malorum rediretur. Chmielnicius vt ſe fidei noſtrorum committeret ægrè adductus, dum diſceſſum adornat, vbiq; ab effuſa multitudine cohibebatur fræna, ſtapedes, veſtium lacinias, quo retentaret prædente. Obluctatus in adverſos identidem dictitabat. Nobis tamen ad Regem Remq; Publ: non contra eundum eſt: Vbi compertum oriri ex diffidentia metum, nè non tot facinorum reo, belli iura ſervarentur, obſidum loco ivêre, Sobieſki Potocki Marcus Sobieſcius Craſnoſtavienſis Præfectus, ac Theodoricus Potocius Lithuaniæ Pocillator, quo tandem vadimonio, vernæ illius commutatio ſtetit. Mirùm, eò Sabbatho, quo congreſſas acies ſupra innui multo ſole illuſtri, ſucceſſiſſe noctem, à prima ſtatim vigilia fœdo ac procelſo imbre admodum intempeſtam, velut cælum occaſionis vincendi per neglectum intermiſſæ, doleret. Nec quicquam remiſit malum in ſextiduum perdurando. Qui imber pedites ſtationi inſiſtentes, ac adversùm cæli iniuriam intectos, miſerè divexavit, vt nec afflictis corporibus animos, nec corpora languentibus animis, diutius ſuſtinere valerent.

Caſtra Polona ingreſſus Chmielnicius, in Prætorio Generalem cum Ducibus, more ſuo demiſsè ſalutavit, ſimul veniam

veniam tranſactorum precatus eſt. Ad prolatum pacificationis inſtrumentum, an contenta, bonâ fide implere conſtituiſſet, quæſitus? cum Deo bono ſtaturum ſe pactionib⁹ reſpondit; nihilq; hæſit, quin ſubſcriptione manus conſignata, ſolenni iureiurando firmaret. Menſæ dehinc adhibitus, iuxta aſsidentibus, qui comites venerant, Bohuno Krawczynko, Chromeyko, Hladki. Antonio tum Hodyniec Iudice Caſtrorum, ac ſuo ordine alijs. Ad illata prima menſæ fercula ſilenter ſedit, multaq; inter familiares diſcurſus inferente Kiſielio, vix reſponderat quidquam: aſt prælibatis, (qui mos vernacul⁹,) ſaluti Regis poculis, mero incaleſcens, non eum quem priùs geſsit; vnde ſubita in homine admirationi fuit mutatio: vt, qui modò piſce taciturnior erat, mox Daulia cornicè vocalior eſſet. Iam inſinuato cuiq; aſsidentium ſermone, cunctis familiaris videri voluit; prolatis dicterijs ſalſus ridebat, exprobrabat, cavillabatur; tranſmittentibus ſilentio noſtris, moroſam hoſpitis hilaritatem. Multiloquium dein, meditato finire diſsidio, velle apertum erat. Prodidit hîc malè celatas offenſas ebrietas, vt fermè illa omnis ſecreti impatiens eſt. Exprobrante ſiquidem Chmielnicio, quòd privato odio adversũ ſe Lithuanicas copias Radivillus eduxiſſet, ſimulq; aſperioribus verbis Dynaſtam Valachum proſcindente; paulùm commotior Radivillus, fortè non infra dignitatem aut genium ſuum reſpondiſſet, niſi aſſeſſores Coſaci, convitiantem Ducem ſuum à menſa removerent, alij offendiculum verborum, quòd ſui impos effutiret, deprecarentur. Bohunus præcipuè, quantùm vultu & habitu militari cæteris eminens, tantùm ex omnibus potus ac linguæ modicus, imponebat temulento modum, ad normam modeſtiæ revocando. Ita ſoluta ſeſsio, in eaq; temulentiæ phræneſi, obiter valedicto Generali, Chmielnicius ſub veſperam abiit, equo Thracio phaleris pretioſis ornato donatus. Certè mirabilè, cùm aſsiduâ crapulâ aciem mentis hebetari cõſtet; quomodo ille ad tantas res patrandas, animo & conſilio

1651. filio evaluiſſet; niſi vt Bonoſus in vino prudentior foret. Ad menſas conſultabat, inter epulas deliberabat, inter calices concionabatur: Reſponſa legatis, mandata Tribunis, nunquam ſobrius dedit, ac planè inverſo ordine ſapere oſtendit. Ebrietas crudelem, facundum, & pugnacem fecit; eadem rursùs elicuit in momentaneam pœnitentiam lachrymas, mira effectuum varietate. Vnde Crimenſis Hanus non planè barbaro animo ſcriptis literis, commonebat eum: quæ à noſtris tunc interceptæ eo ſenſu fuêre. *Amice, Zaporoſcenſium Dux. Salutem plurimam tibi opto* (nec noverat is Tulliũ) *ſimulq; Notario, Tribunis, Centurionibus, totiq; Exercitui Zaporoſcenſi, in multos annos. Fratrem meũ Noradin-Soltan, Seferkazy, ac Supenkazy, Aga, aliosq; Begos, ac Murzas, cum exercitu quantum in expedito erat in ſuppetias tibi mitto; vix quoquam in Taurica mecum remanente. Vbi verò auxiliante Deo, iſtæ copiæ Coſacis tuis iungentur, ſine omni præſumptione hoſtem aggrediaris; & commonefactum te velim, vt pro veteri more ebrietati renuncies, attentè Deum pro victoria deprecando.* Tibi benevolens, Iſſan-Gerey Han Crimi, ac multarum *Hordarum* Dominus.

Ex his patuit non extra curam tum Hano res Coſacorũ: imò vix dum concluſâ pace concordes afferebant nuntii, L. Mill: Scytharum animo ſuccurrendi Coſacis Boryſthenem tranaſſe. Nec Chmielnicius inficiatus, nè ditiones Regni ingrederentur, abundè operam ſuam Ducibus pollicendo. Tum demum Exercitus, viris equisq; inediâ attritis, compoſito agmine Biłopoliam regreſſus; per Bracławienſem tractum in hyberna dimittitur. Miſerrima nobilitatis ſorte, quæ primo turbine patrimonijs eiecta, aut addicere ſe tum ſervitio militari, aut inſeri contubernio rebellium ac gratuito pane ali debebat. Lithuani in ſubſilvanam oram quæ Poliſie dicitur, pro commodata eo bello opera, in reſpirium ſeceſsêre.

Biłopol.

Poſt tranſactam pacem Nicolaus Potocius Caſtellanus Cracovienſis, idemq; Exercituum Regni Generalis Præfectus,

1651. ctus, in brevi humanis eximitur, exacta ab ephebis in extremam vsq; diem, inter arma ætate. Vix quippè tertium ætatis luſtrum egreſſus, belli Tyrocinium inijt, in captivitatem à Scythis ad Cecoram ductus, poſt redux; quoad per gradus militiæ ſub Koniecpolio Supremo Regni armorum Præfecto, Magiſter Equitum, creatus: rebelles ad Kumeyki Coſaços, non ſine cæde eorum, & laude ſua profligaſſet. Florentibus rebus, miti & populari ingenio habitus, vbi ſecus res evenêre, pro remiſsiore audijt: certè ſtrenuitatem laudares; providentiam quandoq; requireres. Sobrietas magis in laude, quàm vſu fuit, præſertim vbi lautior victus apud militem noſtrum, pro popularitate habetur; erga Patriam Nobilitatem comis, belli tardior, morum nõ planè culpabilis. Fato dehinc res Polonas verſante, ad Corſunium Scythis mancupi venit; iterum redux, armis illatam contumeliam vlciſci magis potuit, quàm voluit: infundendum ſanguinem, ſeu naturâ, ſeu ætate, ſegnior. In præſens inſtituta pace, morte non infelix videri poterat, ſi quam in ipſo erat paciſci, ita rebellibus perſeverare. Latyczoviam dum Præfecturæ in filium transferendæ pergit, paralyſi tactus, in itinerario eſſedo moritur. Anno Ætatis LVII. Caſtellanea Cracovienſi, prima in Regno curuli dignitate, in Staniſlaum Warſzycium Mazoviorum Palatinum tranſlata; Præfectura Exercitus, in quod munus ex gradu procedendi Campidux deſtinabatur, penes Regem deliberantẽ, aliquandiu manſit.

Warſzycki.

1652.

ANNALIUM POLONIÆ

REGNANTE

IOANNE CASIMIRO

LIBER QVINTVS.

An. Ch: M. DC. LII.

Elenchus Contentorum.

Pax cum Cosacis constituta, morte Potocij Generalis nonnihil vacillat: plebe Kalinovio infestâ ac formidante. Multa è cælo imminentium malorum præsagia. Chmielnicij literæ ad Turcam interceptæ; Procancellarij Regni vt cœperit casus, à dissidio inter eum, vxoremq; inito. De facti circumstantijs coram Iudicio Mareschalcali cognoscitur; Reo Petricoviam se subducente. Pro causa quæ tum sermonibus aut scriptis vulgata. Filius Regi natus, mox denatus. Comitia Varsaviæ, in quibus pro Radzieiovio Filij literas supplices exhibent. Officia quæ gerebat, diversis distributo; tandem Comitia nullo effectu dissoluta sunt. Postulata Exercitus Regni exolutionem stipendiorum petentis; tum Kalinovij requisitio, quo intuta pace cohortes novis delectibus supplerentur. In Vkraynam interim divertit narratio, quæ turbarum plena; vltra Borysthenem potissimè. Chmielnicius Album Regi transmittit, sed adulterinum; interim cum Kalinovio simulanter agit, diffidens autem cavens. Trans Borysthenem plebs, in cohortes isthàc hybernantes insurgit, sed mediis pacatis motus ille dirimitur. Thymothæus Nuptiarum Valachicarum prætextu copias contrahit; evocato in Campestria Noradino. Campidux ad Batovum castris considet, Vbi subitò incursu Scytharum involvitur, mox & Cosacorum. Przyiemscij in tolerandum obsidium, sensus & animus. Pugna sub hæc cum Scythis, ast superventu Cosacorum acies nostra succumbit: Capta excisо peditatu Castra, fusæ cohortes, & fœda omnino clades. Thymothæus cædem captivorum à Scytha emercatur; Signa varia quæ

1652.

ria quæ cladem antecessêre. Præter hæc Pestis, vndecunq; Poloniam affligit, ignes, tempestates, fluminum inundatio. &c. &c. Comitia Ordinibus indicuntur. Potocius ac Landzkoronius militem à clade Batoviana recolligunt; Copijs quæ trans Borysthenem hæserant, miro modo se ex manibus rebellium eripientibus. Ad evulgatam cladem delectus militares fervent: Rex sub initium Comitiorum æger decumbit; tandẽ convalescit, ad modos succurrendi Patriæ solicitè intentus. Radzieiovius iterum deprecando instat; sed interceptis ad Suecia Reginam literis, lege publica perduellionis damnatur. Nonnulli ad prærogativam Nobilitatis adsciti. Archiepiscopus Gneznẽsis vitâ decedit: Vacantia munera Rex pleno sinu distribuit: Cosacorum ad Comitia Internuncij, se Ducemq; suum excusant. wrzesovicij Boheni, à locatione salinarũ amoti, querella. Thymothæus interea Valachico concubio potitur: Pater Bohdanus in Camenecum appetitum & vires tertio vertens, irrito conatu abscedit. Ad quem Zacwilichovius cum alijs expeditus, quo demum effectu ac responso reversus. Sub finem Anni Cometes, se videndum præbet: de quo Astrologorum iudicia; etiam quorundam vanitas redarguitur.

MOrs Generalis Potocij, pacem quæ nuper coaluerat, haud oblique nec latentibus causis labefactare visa: cùm is malè compositos plebis animos, diuturni imperij autoritate, ac reverentiâ, si non in totum cohibere, saltem mulcere crederetur: diversa Kalinovij fama, adversùm crimina & contumaces indeprecabili; & qui vnus post Wisniovecium rebellioni formidabilis erat. Timebat vt rigidum plebs, suspectabant vt infestum Cosaci, opulentas per Vkraynam ditiones, de manu vsurpantium repetentem; vnde offensus indignansq;, dum sæpius minas pro ingenio suo evulgat, quia vlciscendi capax, non falsum suspicacibus metum injiciebat. Quandoq; enim lenitate potestas temperanda; ac vt durante bello aptior severitas, ita turbidos animos, rectiùs in pacem clementia flexeris. Quód si minas addis, & verbis intractabilem te profiteris? præcustodiendo hosti agis, eundemq; ferociâ irritas. Sed istorum exitus infra erit, non ad sarietatem modò, sed tædium. Nunc mirari libet, quomodo nefastus hic ac feralis annus Poloniæ extiterit; vt quo adversa sors in malis nostris gradum facit, dumq; finem calamitatum speramus, principium haberetur. Quis enim credidisset, sopitis armis belli effectus recru-

1652. recrudeſcere? & ſemicompoſitum morbus in recidivam abijſſe? Bellum priſtinum velut ignis ſub cineribus gliſcit, cùm alio ſuper aliud impetimur, multiplici à plaga faciliùs proſternendi; & quaſi non minus difficilè fuerit deſtrui Poloniam, quàm evectam eſſe. Cæleſtem iram, iuſta Nemeſi ſcelera vindicantem dicere fas fuerit: nam ſi nihil à ſignis cæli metuendum, eccur luminare princeps horrenda Eclipſi obſcuratur? Comete s funeſtos ignes per àéra ſpargit? non amici Planetæ fœderantur: Hos non vanos futurorum prænuncios, ſequitur dolenda Exercitus clades; peſtilentia plurimos mortalium ſternit; in Comitijs turbæ, in Aula diſſidia, inter Proceres ac privatos contentiones oriuntur. Hinc plenus atrocium contingentium Annus, altùm paci, vt quæ magis ex præſenti neceſsitate, quàm bona fide cóàluerat, indormire non ſinit.

Habendis Comitijs ſe Rex accingebat, in quibus tractatæ pacis ad Białacerkiew initus, examinari debuit, lege publica approbandus: cùm in Valachia intercipiuntur literæ, ad Aulam Ottomannicam à Chmielnicio ſcriptæ, quibus clientem ſe eius Imperij profeſſus, protectionem & auxilia, in futurum ver ſubmittenda, depoſcebat. Nuncium eius Kotarzny dictum, in Valachia excutiendi autor Kondracius, turmæ è præſidio Camenecenſi ductor; qui, ſolerter explorato quid ferret, quovè iret, tendentem Nuncium, per ſubornatos ad id Valachos adortus, omni literario inſtrumento excuſſerat; & quia ſalva vita, resq; aliæ quibus Prædones haud quaquam parcere ſolent, manſêre integræ; inſtructas à Polonis inſidias, qui tum frequentes in Valachia, coniectari facilè fuit. Ab intra Hieronymus Radzieiovius, nuper minus Regni ſigillum adeptus, gratiâ Regis ac honoribus cadit; ſanè dolendo caſu, non quòd à crimine immunis; ſed pœnâ delictum, & moderationem rigore exequendi ſuperante. Initium concutiendo vnde fuerit, haud perindè affirmem; niſi quòd non obſcura diſgratiæ initia, ad Sokalium in Caſtris, conijci poterant: Radzieiovio Cryſo-

Kotarzny. Kondracki. Radzieiowſki.

Cryſoviam oppidum crebrò divertente, velut in tempus, ſepoſita Aulâ, privata curaturo. 1652. Pro comperto habitum, Caſtellaneam Cracovienſem morte Potocij vacantem, cũ Præfectura Lublinenſi, in gradum promovendi oblatam fuiſſe: vt honoratiore titulo removeretur ab Aula, fatiſcentis gratiæ creatura. Equidem honeſta miſsio (ſi mens nõ læva fuiſſet) offerebatur; ſprevit ille, abdicationem Magiſtratus contumelioſam ratus, qualem in Valentino Dembinio, eiuſdem gradus & exempli, Piaſecij hronicon perſtringit. Subvertendo dehinc occaſio à fœmina, ac quod dolendum à coniuge fuit. Elizabeth ea Słuſzczanka Lithuanis, Palatino Trocenſi genita; priore voto Adamo Kazanovio Curiæ Regni Mareſchallo nupſerat; vbi Radzieiovio coniungitur, liberius muliebres affectus ſolvere cœpit. Aberat primarium coniugij bonum charitas, vnde inter ſciſſos animis, matrimonium vertebatur in coniurgium. Manſueſcunt leones, tygridem cicuraveris; Fœmina vbi ſemel fibulam affectibus laxavit, in æqua ac iniqua, plana vel præcipitia perinde fertur. Verificata ad amuſsim paræmia.

Kazanowſki.

Nulla vis flammæ tumidiq; venti,
Tanta nec terris metuenda peſtis,
Quanta, cùm Coniunx viduata tædis
Ardet & odit.

Invaleſcente diſsidio, res ad divortium ſpectare viſa; reconciliandorum animorum neminis, nè ipſius Ludovicæ Reginæ admiſſa opera. Mulier quippè cultu ac ætate florens, proritabat ſuſpicacem virum, dum non amatur, aliò tranſlatos amores facilè credentem. Inerat cubiculo appenſa prioris mariti imago, eam Radzieiovius amoliri iuſſerat; obſtabat enixè vxor amoliendæ, vnde velut contemneretur, in cauſam offenſæ renitentia tranſibat. Tum verò nihil cunctata, rerum communionem polytico divortio ſolvere cœpit, infami ſeparatione quæ DEUS coniunxerat. Acriores hinc irarum ſtimuli, dum illa de manu

mariti

1652. mariti vſum bonorum vindicat; viro contra, qui caput & Dominus vxoris eſſet, ius in res eius retentante. Venerant Słuſzka ſubinde Varſaviam Słuſzkovij, Fratres Radzieioviæ, qui in maius exaggeratâ offensâ, malæ tractationis perſuaſi, iniuriam vlciſci deſtinavêre. Merebatur certè præſentia Regis, vt diſsidium intra verba premeretur; vel ſi iniuria ſuberat, competenti foro vindicanda; verùm irâ impotes, coacto ex ſervitijs agmine, in ædes Radzieiovij irrupêre; vbi, convulſis foribus, manuali ferro concuſsi aliquot intrò aut vulnerati, etſi nec explodendis ſclopis parcitum. Abſens Radzieiovius, vbi de iniuria innotuit, hùc citus rapitur: qui ſuperveniens, ſi in actu violento patratores offenderet, modo inculpatæ tutellæ egiſſe nemo diffiteretur. Aſt adverſariorum receſſu ab accepta contumelia vecors, Słuſzkarum domum mutuâ violentiâ invadit, velut vim retaliaturus. Proch occæcatum infenſorum furorem! Qui ex munere Vice-Cancellarij cuſtos Legum habitus, enormi auſu Maieſtatem Principis, ac publicam ſecuritatem lædit, malè tractatis qui intrò reperti, Słuſzka cum Sorore ægrè veſtigantium manibus elapſo. Vbi dies & affectus deferbuerat, ſubibat mox facti pœnitentia; præſertim, cùm dudum averſus Rex, & potentes æmuli, etiam extra conniventiam crimen, animo tunc demum circumſpecto & penetranti, obverſarentur. Paucos ſibi ſciebat amicos, multos à ſe gratiâ Principis deiectos meminerat; inde altior metus, in quo fiduciam erigendi reponeret, complurium proterendorũ, aut cauſa ipſe aut inſtrumentum. Ita ſæpè confundit aut obtenebrat Fatum ſublimia quamvis ingenia, & quos ex faſtigio protrudere deſtinavit, animum, caſui providendi eripit. Neq; in vindicando demerito hæſitatum: dato negotio Lucæ Opalinio Curiæ Mareſchallo, ſub abſentiam Lubomirij, (qui non omnino favorabilis Iudex reo credito; cùm nuper eundem nutante Principis gratia, proterendum inſtitiſſet) vt in Crimen Maieſtatis, ac ſecuritatis publicæ læſæ, ex præſcripto Legum adverteret. Inſtitutâ actione, poſt-

poſtquam tentata media, nullam placandi Regis viam aperiebant, & ſuſpectum reo iudicium metuitur; ſubducit ſe Radzieiovius inſtanti flammæ, Petricoviam, Tribunal Regni pro aſyllo habiturus. Interea prout in actionibus ſtricti iuris ex vſu forenſi invaluit; *Termino Tacto* dies ei dicitur, ac ſententia Mareſchalcalis iudicij, abſens causâ cadit, proſcriptus: mox in compitis publici Miniſtri voce (proch lubricam aulici favoris viam) proclamatur, honore & capite minor. Eodem iudicio Słuſzka cum Radzieiovia ſeſſione Turris, ac mulctâ pecuniariâ puniuntur, qui pro cauſa & principalibus diſsidij audiebant. 1652.

Non ingrata plerisq; concuſsio viri, aſpirante fortunâ, intemperantèr vſi; multis ſtupori fuit caſus, fatigata veluti ſorte, ex ſummo honorum apice Miniſtrum Statu ſubitò deſtituente: altiùs penetrabat prudentum indago; non pœna, ſed modo & circumſtantijs iudicij diſplicentibus. Strictim ſubiungo, quæ tum vulgata, veriſimilia magis quàm reo profutura. Nempe *Quod deliquerit Radzieiovius in confeſſo eſſe; & adæquare delicto pœnas, non ſolùm de congruo, verùm de condignò deberi: cùm præter exempla verum ſit, potiſſimam haberi improbitatis Civium cauſam, impunitatem. Aſt, ex Iuris ordine, Forum & Iudicium ad perpendiculum legis, conformari debuiſſe. Darentur accuſationi, tempus, patrocinium, ſcrutinia, Teſtes, & quæ alia legitimæ defenſionis requiſita ſunt: tum demum Rex pleno Comitio, delictum quod propè perduellionem eſſet legaliter cognoſceret. Diſpoſuiſſe enimvero legem, vt Criminales merè cauſæ, poſt factam à Throno propoſitionẽ, iudicarentur; hîc ſecus, & contra expreſſum Proceſſus iudiciarij tenorem actum. Iam in perſonam Nobilem, Comitijs ſolummodo aut Tribunali Regni, ius vitæ ac necis competere: in præſens Senatorem, Miniſtrum Status, Regiæ mentis interpretem, ab eo qui gradu inferior ſit, iudicatum; & cui in Curienſes tantùm ac foralia, iuriſdicundi poteſtas incumbat. Deinde nullius notæ Delator (Conſtantinus Radwanſki erat, è mediaſtinis Aulæ) conductus, & ante decretũ latum anonymus. Procurator igno-*

1652. *tus, nullo publico instrumento autoratus, inconsultò Principali se ingerens: quò in speciem, velut serijs controversijs iudicatus reus, invindicabiliter causâ caderet. Convictio per transennâ expedita, qui coniurarent è fece servitiorum quæsitis, quovè fluxæ fidei irritamentum esset, ex dato acceptoq; venalibus. Ubi ita cum inviso reo ponè æquitatis tramitem actum; etiam pœna æqualitas in pari excessu ad complices spectabat: sic tamen securis Iustitiæ districta, vt nocentum alios plano ferri, alios acumine feriret; dum Principales facti Civilibus pœnis, velut blandiente manu perstricti: Radzieiovius vim illatam repellens, duplici fulmine percellitur, vitæ honorisq; amittendi; qua priore nihil mortalibus carius, posterior à viris contumeliæ insolitis, vel ipsi vitæ anteponatur. Neq; satis iniuriosè allisisse, nisi & copia Decreti (cùm tamen acta nemini deneganda sint) extradi vetaretur: & Treugarum beneficium, iuxta & Tribunalis patrocinium, missis internuncijs impedirentur. Ita nè novacula quidem* (vt aiunt) *quâ cum periculo prehensa eluctaretur, naufrago relicta. Talibus quam deproperata rei iudicatæ exequatio successit; vt planè crimen commissum, pœna tempore æquare videretur. Interea nihil non actum deprecando Regi, qui palam adversus supplicem immisericors, sprevit Reginæ, ac Senatus instantissimas preces; crudeli publicis sceleribus conniventia, minoribus indeprecabili: vt potè apud quem Chmielnicij errores veniam meruissent; Radzieiovij privatim delinquentis, reiecta submissio. Enimverò gentilem agnum suum, nec pro tempore, nec modo, vellere detonsum; cùm tamen Reges Poloniæ perinde habeant Creaturas suas, ac parentes filios, quos procreare licitum, occidere nefas.* His arguere magis transacta, quàm vindicari autor potuit, iactis in publicum scriptis sub titulo *Manifesti:* in quo multa verè, aliqua asperiùs adiecta, vt ferè misero modum verborum tenere, difficile est. Alij ex merito & iure irrogatam pœnam, in contrarium pervincebant. Scilicet. *In immensum crevisse ambitionem viri, Maiestatem irreverentèr, pares contemptim, omnes despicatui habentis. Inhumanum prorsus beneficia in scelus vertere; periculosum nimis*

nimis lædere eos, quibus superandis impar sis. Dum immorigeri Cives tentant, quid sibi liceat, etiam Principes scire expedit, quantum in malos possint. Reverentiam erga Maiestatem, in multorum animis severitatis remedio gigni, dum timorem exẽpli, vtilissima correctio sequitur. Graves olim Stephano Regi Zborovios, verùm vbi cõèrciti pœnis legalibus, quietem alijs exẽplo suo persuasêre. Illi tamen eminùs, & per spiramenta temporis deliquerant; hîc crimen animo deliberato, ad latus Principis, in oculis Aulæ, cunctis audaciam stupentibus, plerisq; si huic succedit, imitaturis. Nempè quo Procancellarius Regni iactantiùs Regem suum læderet, in ipso Palatij prospectu, fortem virum, sedatum Consiliarium, adversùs mulierculam, & coniugem depugnasse. Quod calida fori exceptione iudicium declinet, id vulgare reorum suffugium esse; cùm tamen Iudicem temerè recusare, vel subsortiri, in reo summæ diffidentiæ, in accusante calumniæ sit argumentum. Oportet non pictos Magistratus esse, qui circumstant Regem, Mareschallos maximè, quibus ex lege directrix Domus Regiæ virga, non muscis ex conclavibus pellendis, sed animadversioni in sontes committitur. Quod inferior loco, sententiam dixerit; id non ex ratione gradus Senatorij, sed ex privilegiati Magistratus officio factum, ex quo pro Præfecto domus Regiæ, audit Mareschallus. Et si vel maximè extra Senatum esset, non ideò illegitimus Iudex: cùm ex Nobilitate, nullis honorum titulis insigniti, in omni subsellio iudicia exerceant, absq; personarum respectu, etiam Primicerios Regni iudicando. Nihil officere amplissimi Ordinis laticlavia, quominus vltimæ instantiæ sententia feratur, seq; & insignia dignitatis, fascibus Tribunalitijs submittant. Vt lis instructa, agitata, decisaq;, nihil ad Regem referre, cui & æquabilitas Magistratus à se constituti, & criminis atrocitas probè cognita sint. Cæterùm vt nux non possit, nisi decussis foliis iuglandes proferre; ita frigescente quæ nunc secundis elata ambitione, si modestè balat Iunossius, fertilibus Regiæ gratiæ pascuis, novũ vellus renasciturum. Pleraq; inania aut supervacua omitto, quibus maior emphasis quàm fides, inesse visa. Nec mo-

1652.

1652. ra vbi Banno perculsus, abdicant multi studium partis; reperti nihilominùs, qui constantiam asistendi, vltra degradationem tuerentur. Hoc pessimum, quod, dum palam opitulari subterfugiunt, patrocinium causæ sub prætextu publici tentavêre; grandi Comitiorum turbamento. Eo casu provolutus Radzieiovius non despondet animum, & inter continuas æmulorum concertationes enutritus, præsidia parat: non nescius, nihil eo loci stare, quod nonquandoq; cadat; nihil demum cadere, quod non resurgere possit. Denegatis salvi Conductus literis, (quod tamen omnibus Iuris beneficium concessibile) à Cracovienst & Sandomirienst Palatinis Treugas obtinet, nihilq; non agit ex casu erigendus.

Sub anni initium Filius Regi Casimiro nascitur, diversis contingentibus fortuna optatos successus intermiscente. Hinc multiformes per Regiam panegyres personabât, iam trophea belli, iam desideratam fœcunditatem gratulantium. Ast surculum recens enatum, non diu superstité fata tulêre; brevi infante mortuo, ostenditq; Rex, plus sibi constantiæ in erepto, quàm lætitiæ in genito fuisse.

Fredro Dapifer Leopol. Incepêre dehinc Comitia, Andrea Maximiliano Fredro Dapifero tunc Leopolienst, directioni cœtus Nunciorum admoto, qui scissa collegij illius studia, & acres concertationes, diu sustentavit moderando, ingenio æq; promptus ac facundia; si artibus egregijs fatalis rerum commotio inhiberi potuisset. Consiliorum Eurippus erat, reddendarũ Berestecensis belli rationum expostulatio: mirabili animorũ motu, vt qui modo salutando Regem, victoriam prolixè gratulati, ij rem laudatam, in controvensiam subita disquisitione vocarent. Hærentibus in triclinio Nuncijs venêre, subinde Varsaviam duo Radzieiovij filij: qui calamitatis paternæ iam capaces, Regi æq; ac Ordinibus, ciendæ cõmiserationi exhibebantur. Prænsabant vt quemq; in Aula autoritate pollentem, insinuando Patris casum; neq; extra suffragium erat, quòd vterq; Wisniovecia geniti, recẽ-

ti Hie-

ti Hieremiæ memoria; etiam Demetrij ac Constantini affi- 1652.
nium Ducum officijs: tum inclyto Sobiesciorum sanguine commendabiles. Movebant cunctos nobilisimorum adolescentum lachrymæ, laudabili pro Parente deprecatione nitentium; nisi literarum, quibus ignosci errato petebatur, liberior offendisset clausula. Gratias ago S. R. D. Cl: (hæc formalia) quod me manuum tuarum creaturam, ac dispensatorem amplitudinis, modò honoribus ad miraculum & invidiam perfunctum, mox infamem; ex procero Golia, in pusillum transformaveris Zachæum. Cuius exemplo, eminentioris alicubi arboris irrepens fastigium, expectabo, donec Dominus oculo misericordiæ respiciens, dicat. Festinans descende Hieronyme, hodiè oportet me in domo tua manere. &c. Nimis fidenter scriptum, varios reperit interpretes, prout cuiq; gratia, aut odium in partes. Certè dispicere Principis mentem haud facilè fuit: qui non verbis minax, non vultu commotior, ad iramnè aut indulgentiam inclinaret, nullo externo indicio vestigari passus. Ad Ordines item flagitandæ protectioni scripsit. *Tanta mole invidiæ quantam Civium nemo in Patria expertus est; ab æmulis iniquè oppressus, fidem Quiritũm imploro, ac ad Collegium hoc, singulare libertatis asylum, Patriota, confrater, & Minister Regni appello. Calamitatem quam immeritò subij, nè lachrymis quidem, nè dum questu proferre licet. In ædibus ac mansione propria, sub conspectu S. R. M. securitate publica fretus oppugnor, spoliorq;: enormis iniuriæ additamentum mox habeo, dum incompetentis fori Decreto, contra omne Ius & æquum innodor; cui simile in hac Rep: post hominum memoriam, non extitit vnquam. Absq; delatore, Patrono, scrutinijs, super me pœnæ Criminales decernuntur; pars provocans civiliter in specie iudicata manet. Decretũ cædes continet, quæ non cõparent; Crimen læsæ Maiestatis imputatur, quod nonnisi ludicijs Comitialibus, vindicandum fuit. Inde nunc honore diminutus, ac capite minor, pro hoste Patriæ reputor. Si proditionis in Patriam, si læsæ Maiestatis argui possum, Respublica iudicet;*

1652. *paratus vbi obiecta crimina legitimè probata fuerint, ea in publico sanguine proprio eluere. Quod si malevolorum conspiratione premor, per amorem Patriæ consulite legibus, porrigite afflicto dexteram, prostratumq; Civem conservate. Proximus ardet Vcalegon, quodsi consimili arte consueverint invidi, præclaros viros subvertere, mementote, quod immeritò mihi vestis hæc consuta, in vnum quemq; vestrum per consequens aptari potest. &c. Datum Petricoviæ, die 23. Ianuarij. Anno Christi, 1652.*

Obstupuêre multi ad casum modo florentis Aulici; plures agnoscere quod ante ignoraverant, lubricam esse fortunæ viam, omneq; id instabile quodcunq; homines beat: alij non fortunæ sed crimini irasci, & animadversionem in delinquentem probare; blandiri qui deiecerant, diverso animorum motu ac sensu. Consumpserat tamen atrocitas lapsus odiũ rei, vt cuncti tanquam iniquè oppresso condolerent; præcipuè Terrarum Nuncij pro impetranda venia instandum censebant; afflictum precibus publico nomine vindicaturi: quòd si vt innocens absolvi non posset, saltem pro nocente intercessioni Reip: donaretur. Ast obstitêre Lithuani, inter alios Philippus Obuchovicius Ducæ Notarius, qui multo dicendi vsu, materiæ illatæ, tanquam extra sphæram activitatis Comitiorum intrusæ, efflictim adversaretur. Vnde parata materies contendendi, saniori-bus consilijs moram inijciebat. Siquidem Abramovicius Nobilis Lithuanus, obtentis super Słuszka Quæstore Ducatus, pœnis legum; differri per vim aut eludi rei iudicatæ executionem, coram Nuncijs acerbè querebatur. Et palam erat à potentiore illusum legi, quas aranearum telis similes, perrumpant crabrones, muscæ ijs irretiantur. Venerat & Słuszka ad triclinium Nunciorum, qui dum veniã dicendi poscit, fremitu cunctorum obrutus, parum abfuit, quin à fautoribus partis indignè tractaretur, ea infensorũ commotione, vt solvi sessio debuerit. Subinde tamen delegati ad Senatorium conclave, Dembicius Sandomirienſis Pocil-

Obuchowicz.

Abramowicz

Dembicki,

Pocillator, ac Gizycius Wielunensis Subiudex, coram Maiestate questum, venêre: quod legibo nocentes, nullâ Principis reverentiâ, aut pœnarum metu, in sinu ipso Reip:, ac ad latus Regis morarentur: insigni Maiestatis contemptu, simul & æquitatis iacturâ. Et hæc audaciùs vt mandata à cætu suo exponebant; addente Dembicio, nisi præiudicato Radzieiovij exemplaris pœna à Quæstore Lithuaniæ exigitur, palam fore, non ex demerito, aut ad amussim legis; sed pro affectu & mensura odij, substitui pœnis nocentes, subduciq;. Ad hæc à Throno responsum est. Quod Iustitia Regna starent, omninò verum esse; cui eidem sine delectu personarum administrandæ, Regem ex pacto teneri. Nequé dubium si pars læsa institisset, daturum pœnas, quisquis ille exlegem se ferat: cæterùm nemine instigante, absolvi reum. Fervidiùs deinde, quàm vt moderatæ libertati congrueret, aliorum ex equestri cætu voces prorupêre. Namq; Stephanus Zamoyscius è Stemmate Rosarũ, Siradiensis Nuncius protulerat. *Non Regem Legi, sed Legẽ præesse.* Vnde Rex offensus, Senatu abijt: cunctis periculosam libertatem damnantibus; vel maximè ex eo, quòd nõ zelo publici, aut ex præscripto Palatinatus, sed velut ab instrumento Radzieiovij, eam vocis licentiam promanasse Aulæ fautores contenderent. Non tamen quicquam acriùs Rex in Zamoiscium statuit; imò quantùm excandescens hominem egerat; tantùm æquanimem se ostendit, redintegratam gratiam deprecanti testatus: quod vir egregius liberè nec falsò efferret, (Pacta Conventa, pro legibus haud insolenti vocabulo vsurpans) pari omnium agitatione, & silentio. Illustriore benignitatis exemplo, si & Radzieiovio peperciſſet. Nè verò exautorato illi quidquam spei residuum esset; in officia quæ gerebat successores dati. In munus Sigilli Minoris vocatur Stephanus Coryci-nius Oswiecimensis Præfectus; Łomzensis Capitaneatus, Krasinio cedit; Bielscensem Præfecturam hypotecæ nomine, seu (vt mos dici) Iuri reformatorio Regina vendicat; alij

1652. Gizycki

Zamoyski Ensifer Siradiens.

Korycinski.

Krasinski.

alij alia, vt nullus non vellet, cadente Quercu ligna colligere. Equidem vt magnæ arbores per sæcula crescunt, brevi momento exscinduntur; ita apicem felicitatis eniti, nimisquam arduum, in ictu oculi, casus tránsigitur. Tum verò vbi nihil vspiam occurrit tutum, lapsam manu fortunam, haud retenturus Radzieiovius, extra fines Regni Viennam Austriæ demigrare cogitur. Ferunt, in confinio Silesiæ constitutum, obverso in Poloniam vultu, vehementiores profudisse lachrymas, ac alta inter suspiria prolocutum: Vale Patria, quem nunc extorrem agis, brevi Deo innocentiæ suffragante, reducem exceptura.

1654.

Non ideo tamen in Comitijs æstus animorum resederat, identidem Nuncijs vt sibi cum Senatu absente Rege colloqui liceret, impensè postulantibus: ex veteri more & vsu, etsi in præsens non nihil obliteratis. Siquidem in Regno hoc Senatus, intermedius Ordo habetur, acsi murus ille Spartanus, inter Maiestatem ac libertatem positus; cui Regis, iuxta & Legũ autoritas ac custodia innititur. Quæ tũ colloquij capita in quæstionem venêre, etsi ad manum sint, studiò omitto; quòd liberior Equestrium requisitio, Senatum neglecti muneris arguere videretur. Expirante Martio, dum operosis tanti temporis consultationibus, vltima manus imponi debuit, Comitia dissoluta sunt. Exigit sanè, etsi minùs probi exempli occasio, vt de modo & Ordine Comitiorum nostrorum breviter attingam: ignorant ea externi, alienorum incurioſi, suorum mirabundi; & vtinam in totum ignorarent, haud peteremur tot subdolis factionibus, quibus illi intima status nostri ratione introspecta, dolosè Poloniam exercent. Comitia, seu mavis generales Conventus, negotijs belli, pacisq; tractandis, coæva genti nostræ videntur; in quibus vt potè militari sæculo, ac nullo scriptæ legis vsu, olim præmia bonis, ac nocentibus pœnæ indicebantur. In quibus pugnabant, in ijsdem deliberabant equis vetustissimi Sarmatarum; ac quo liberiora sub libero Iove consilia forent, in patentib» Campis con-

pis consultatum. Successu temporis, sub tecta comitiantes commoditas traxit, & postquam cum literis elegantiam sæculi hausim», sancitæ leges, quæ nè tam facilè memoria exciderent, in paginas relatæ sunt: breves eæ ac sinceræ; & in eum vsum tantùm, nè malis fieri liceret. Verùm vbi novi Iuris repertores adsunt, crevit cum tempore earum immẽsitas, vt iam non vitijs tantùm, sed legibus quoq; laboremus. Dum conduntur, consecutum Comitiorum temp» in longum extrahi: cum tamen Martinus Cromerus Præsul & Historicus Regni, sub Sigismundo I. ad nonum diem protracta in sua Polonia miretur. Convocandis biennij spatium, transigendis sesquimestre tempus, lege præscriptum. Præsidet summo iure Rex; assidet Senatus; circumstant Terrarum Nuncij, dicuntq; sententiam non minus liberè quam acriter; nec aliter sancitum Comitiorum in legem publicam transit, nisi à tertio Ordine ratum habeatur. Seu belligerendi rationes in deliberationem veniunt, seu de Fœderib», de Tributis disputatur, isti nomine Provinciarum de iure respondent, quod vnicuiq; vetandi aut iubendi integrum manet. Ad vsq; Patrum memoriam, vbi pro scopo publicorum consiliorum Amor Patriæ erat, cæmentum quoddam ac gluten vniversalis Ordinum concordia habebatur; alma retinendæ inter status æqualitatis Mater: nunc vbi consultorum mentes, varia animorum venena diversas agunt; vt sæpè nimia fertilitas in nocumentũ segeti transit; ita ex magna virtute sed corrupta, magnis vitijs semen est. Hinc vidimus toties irritos Conventus malo publico dissolvi, & vniversorum incolumitatem pendere ab vnius arbitrio. Rex, perdius ac pernox Throno incubat, suadet, ingerit: eadem Senatorum studia ac Equestrium melioris notæ conatus: quid si Orator novus, adolescentulus, se se venditet? quid si ambitu, aut rei privatæ studio, avarus senex agatur? ergo nullo successu Comitia diffluere, & irrito sancitorum valore abire Ordines coguntur. Proch amentiam? Deus, aut priscam Polonis mentẽ,

1652.

1652. aut efficax elixir aliquod periculosæ libertati exhibeat: vt Nuncij nostri Ephoros magis Lacædemoniorum, quam Tribunos Romanorum agant; nam vt sine curâ habita libertas propè servitium est; ita sine modo, in licentiam degenerat. Causa tunc dissolvendorum à non nemine ex Lithuanicis fuit (cognomen incompertum mihi, alios in cõtextu operis nominabo) is, quod lege præscriptum tempus absolvendis Comitijs effluxisset, prolongationi actus intercedens, præceps conclavi Senatorio abierat. Nõnihil aliqui Procerum ex fama publica vapulavêre; eiusmodi instrumenta auro paneq; fascinando, quibus velut acuto vtrinq; ense vterentur. Pernicioſa Patriæ syrtis, dum venales animæ, patrocinijs aut largitionibus cunctorum incolumitatẽ licitari fas ducunt: iam pacati Cives Catilinæ, innocentes Clodij erunt; Scipionibus, ac Tullijs in exilio senescendũ, nec quisquam diu liber, aut honestè servus esse poterit.

Subinde Legati à Moscho venerant, in publico (audientia) quæsti, detractos Mag:Duci titulos; nec aliter reparandam iniuriam, nisi in eos, qui læsæ Maiestatis rei, in vivos æqué ac mortuos animadvertitur. Isti, dum ad nauseam repetendo quærellam impensiùs feruntur, importato in Senatum Calepini Dictionario, quid sit, & in quæ crimina extendatur Pœna perduellionis, prolixa interpretatione deducebant. Etiam Delegati Exercitus, solicitudinẽ Ordinum, ad postulata sua verti petiêre. Promeruerat equidem irremissus anteacti anni labor, ac præsens in hostico sub armis exacta hyems, vt fortissimis legionibus nõ papyracea mercede, sed effectivè depensis stipendijs satisfieret. Quippè in eam diem æs militare (etsi Resp: in exolutionem eius gravibus exactionibus pressa gemeret) retentum manebat; nec nisi obsoletis diuturnitate mercibus per Armenos; aut villosis è nescio quo pannificio lacernis, idq; in triplum aucto pretio, quandoq; frivolis assignationibus exolvebatur. Hinc à milite querulo, in Administros ærarij expostulatio directa; penes eos publicis pecunijs, Fisco, vt vi-

vt visco, tenaciter hæresçentibus. (Etsi Leszczynius Thesaurarius Regni datis in publicum tabulis, Perceptorum, Expensorumq; rationes, cuiq; Provinciæ exhibuerat; delegari à Rep: postulans qui subducto calculo, debiti exolutiq; nomina disceptarent) Ij quoq; vt Rex copias in Vkrayna subsistentes novis delectibus suppleret, nomine Campiducis oravêre: exponentes quám futile pacis nomen, & pervicaciam plebis exilibus copijs retineri haud quaquam facilè foret. Ast extenuabant relata præsentes Cosacorum, Internuncij, conclusum ad Białacerkiew tractatum, Comitiorum lege, tum militiæ album, subscriptione manus Regiæ firmari postulantes: cumq; in conclavi requisitus esset Hładki, an in exhibitis literis, quæ in Valachia interceptæ manum Ducis sui nosset? Subscriptionem Chmielnicij nõ inficiatus, contenta epistolæ simulata respondit, pluribus constantiam in fide Ducis sui firmans; vt qui circa hyberna Exercitui dispertienda, Nobilitatis item in hæredia admissionem, multiplicia vitæ pericula, ab exacerbata plebe adierit. Ita tunc perperam solutis Comitijs, Regnum præsidio, Vkrayna pace, miles stipendijs, vniversa Polonia securitate destituta mansit; hostibus præda, externis opprobrium. Feralem annum dixi, nam præter publicos motus, etiam inter diversos infestis disidijs laboratum. Nicolaus Gniewosius Cuiavienſis Episcopus, Szczavinium Brestenſem Præfectum, contracti cum agnata matrimonij ereum peragebat. Et id quidem ex officio pastorali agere visus; cæterùm acrior *Monitorij*, (vt illi vocant) Stylus, per Diœcesim valvis Ecclesiarum affixus, malè habebat Szczavinios, tractu illo Cuiavienſi clientelis validos, & cognatione: vnde Citatus in disidium promptus, scriptas ad Conventus particulares, ab Episcopo literas, non modo legendas inhibuit, verùm & lecturienti ereptas, in contumeliam autoris discerpsit. Accesêre verba quæ pro modo doloris iraq; proferuntur, læsiva aut mordacia. Omnibus constabat integerrimũ Antistitis honorem iniqué peti; cui repa-

Gniewosz. Szczawinski.

1652. rando inſtabat acriùs; vt qni Oſſolinia genitus, non poterat niſi cum probro florentiſsimæ domus proſcindi. Multis Rex egit per ſubmiſſos è Senatu, quominùs infenſos cõciliaret; enixè negabat Epiſcopus, (in excandeſcentium natura pronior) non niſi ſententia iudicij, cauſam honoris cenſens vindicandam. Inſiſtere obiectis arduum erat, cùm Gnievoſsiorum inclitam ſtirpem, retroactis, ſimul & præſentibus ſæculis, veterima nobilitate vigere, annalium teſtimonio, ac recenti memoria palam ſit. Quorum geminæ domus, altera Stemmate Rawicz cum denominatione ab Olexow: altera à Wnorow, Strzegomiam pro teſſera gentilitia deferens diſtinguantur. Evaluit tamen interceſſorum perſuaſio, quominus verbis, quibus læſus reparato honore, deprecari ſe Antiſtes pateretur. Neq; mitiq; Nobilitas inter ſe egit; etiam pacatoribus oris in diſcordias prorumpens, quæ dein aut diuturno litigio, aut funeſtis cædibus terminatæ. Referam atrocem caſum, cui ex libertate Hiſtorica occaſio enata videri potuit. Andreas Zborovius, concepto dudum odio, improperaverat Piaſecijs perperam & malignè; vlturus Bobolianæ domus famã, quam Chronico Præmiſlienſis Antiſtitis malè tractatam, ne tacitus quidem indignabatur. Nihil apud nos prætioſiùs æſtimatur generis prærogativa, nihil decori natalium anteponitur: vt non nemo ex Polyticis, Nobilitatem Polonã, perquam ſimilem Baptizmati dixerit; quod iſtud conferat æternæ felicitatis gratiam; illa temporaneam ad dignitates in Patria obeundas habilitatem. Infenſi obnuntiatis mutuò inimicitijs, ad primum congreſſum impoſuerant ſibi, ferro experiundi neceſsitatem; etſi iam honori domus Piaſecianæ abundè ſatisfactũ credi poterat; Zborovio perperam prolati convitij in Tribunali damnato, ac iniuncta revocationis pœna, ingenuo animo prorsùs intolerabili: evaluit nihilominùs dira in vindictam libido, vt Sandomiriam propè, aſtro vtriq; improſpero congreſsi, exacerbatos animos & arma in ſe verterent. Prior Piaſecius ferox in

Zborowſki. Piaſecki.

diſcri-

diſcrimen ivit, quod diu ante deſignaverat; idem in certamen ardor Zborovio ex vſu militiæ impavido, non eadem promptitudo fuit; nam vbi tractu temporis evanuiſſe minas credit, nullo in caſum paratu, ac pluribus impar interimitur. Ita atroci cæde ſublatus vir ambidexter, ingenio æque ac manu expeditus, niſi quod ſolutiore lingua, decori ac honeſtati aliorum iniurius. In ſacro quin etiam Ordine, intervenerant pleraq;, quæ Paſtorũ curas ac ſolicitudinem requiſiêre. Præter crebras quippè Apoſtaſias, ac inſtitutorum deſertiones, quidam primæ tonſuræ, commẽto dimiſſorialium inſtrumento, (quale *Formatorum* literas vocant,) in Miniſterium Presbyterij ſe ſe ingeſſerat, ſimplicioribus Parochis imponens, vt pro legitimo ſacrificulo, quæcunq; ſacri muneris ſunt, obire permitterent. Diu impoſtor adminiſtrandis Sacramentis inſtiterat, cum tandem deprehenſus, ac Minorum Ordinum charactere quo initiatus exuitur, dein brachio ſæculari traditus, vlciſcente ſacrilegos auſus flamma, Cracoviæ combuſtus eſt. Trãſeo horrenda ſub id temporis latrocinia, homicidia, aliaq; rari exempli, vt inſtituto noſtro minora contingentia. O tempora! ô mores! Cælum nè an homines culpem? Aſtriſnè cauſas malorum imputabo, an mortalium genus in ſcelera diſcinctum, reatui ſubdam? planè ignoro. Autoritas tamen Eccleſiæ facit vt credam. *Habere quidem cæleſtia corpora virtutem effectricem in hæc inferiora agendi; cæterùm nullam inferre voluntati neceſſitatem, quin pro libertate ſua quo velit homo, ſe poſſet inflectere.* Ita ſuoptè ingenio mali ſum9, & innocens cælum non niſi indirectè & per accidens inclinando, tanquam ad ſcelus neceſsitaret, immeritò vapulat. S Gregorius.

Tranſacta vtcunq; bruma (vt ferme illa rigore ſuo res durabiliores efficit) etiam bellum inhibuerat, quoad cum veris reſolutione, in tantiſper celatam defectionem reſolveretur Vkrayna. Subſiſtebat Campidux Bracſaviæ, aliquando circumſita ditionis propriæ oppida inviſens, vnde prõptius imperia legionibus daret, ac quomodo in pacem affecta

Bracſavi. Tulczyn. Neſter. war.

1652. cta plebs, per ſe inſpiceret; Chmielnicium Czehrynia tenuit, firmo inſeſſa præſidio, & omnia in caſum ac futurum proviſa. Aſt trans Boryſthenem non eadem rerum facies, vbi imagine quietis vetera odia & recens exulcerati animi premebantur; ac vt Chmielnicius reſpiraret, alius pro eo Dux tumultuabatur. Iſthàc Buhaius licentioſæ multitudini quæ albo comprehendi non poterat, & ad ſubiectionem Dominorũ redire dedignabatur, Ducem ſe obtulit, & huic rurſùs Nizinenſi tractu, ſubſtituebatur Mozyra, nuper Tribunatu Corſunenſi amotus. Ante miſſus huc venerat cum levioris armaturæ cohortibus Michaèl Woyniſovicius, qui extra vim omnem, iam Militi hyberna, iam poſſeſſoribus vſum fructum bonorum, ex debito præſtaret. Verùm nihil tutum, nihil vſpiam ſincerum reperit iſte, nedum Heris domos repetentibus, ſed nè ipſis armatis legionibus. Vici ac mappalia, ſubductis ante frugibus alimentisq; deſerta, municipia ac oppida paſsim clauſa, & vbi vim admovent Poloni, vis opponebatur. Moniti per edicta municipes, vt pacata omnia ab amico exercitu ſperarent, ſi & ipſi turbas abdicant: Albo militiæ recens conſcripto ſe tuebantur. Cùm Chmielnicius non in totum ingenitam dediſcens aſtutiam; vnum codicem Regeſtri XX. Millium nupero tractatui conformẽ tranſmiſiſſet Regi; evulgato inter plebem alio, quo ad præſcriptum Zborovianæ pacificationis, XL. Mill: continerentur. Hinc Principi ſervili cõmento illuſum eſt, & præſentiſsima furioſæ plebi occaſio turbandi inſinuata. Comperto dolo, Campidux de reſtringendo præcisè numero requiſierat; cui Chmielnicius non aliter in præſens plebem cicurare poſſe reſpondit, niſi ſenſim ac velut ſuſpenſa manu initiò tractaretur. Suſpectabat Campidux ſolicitè Bohdanum, ingenij hominis intelligẽs; iſte viciſsim à Calinovio prolixè ſibi cavebat, etſi militariter apertum, artibus ſubdolis anteiret. Ac vbi Dux petenda à ſe imperia vult, intentus vbiq; & explorans: aſtutus alter & metuens, quo intima conſilia rimaretur, elaborata in ſpe-

Woyniſowicz.

in ſpeciem demiſsione, per nuncios aut literas tantùm, è longinquo agebat. Vnde increſcente odio augebantur ſuſpiciones, inter naturaliter diſsimiles, ac diverſa volentes. Aliquando noſtris, dum viſitandi gratiâ Chmielnicium adeunt ſciſcitantibus, cur non inviſeret Campiducem, opportuno conferendis conſilijs, ac parandæ vtrinq; confidẽtiæ officio? Excuſavit quod non faceret, cauſam per apologum aperiens. Alebat *(inquit)* non nemo ſerpentem domi cicùrem, ac non modo conveſci filijs familias, ſed & colludere ſolitum. Contigit enimverò, vt exagitatum inſectum morſu ſe ab iniuria pueri familiaritate abuſi, vindicaret: quo caſu excandeſcens Pater, infeſtum anguem recisâ caudâ mulctavit. Abſceſſu demum ſerpentis, dum res familiaris peſſum it (mos Ruſsis per ſuperſtitionem eiuſmodi inſecta domi alere, augendæ vt autumant rei ruſticæ) piguit exacti domo ſerpentis, ac reconciliando inſtitiſſe. Verùm qui prudens ab ævo habeatur ſerpens, quominùs ab vtrinq; redintegrarentur animis abnuiſſe: nè ſcilicet malè ſopitâ iniuriæ memoriâ, alterutrum, in reconditæ vltionis deſiderium concitaret. Apodoſim fabulæ, haud difficilem captu, quibus diceretur inſinuando. Etiam ſtructas ſibi in vitam inſidias, aliquibus è noſtris in arcano cõmunicaverat; vitando cum Calinovio congreſſui prætextum. Diſsimulabat tantiſper Campidux, donec nuper in Valachia literæ, inſuper aliæ cum emiſſario Hani Szachdemir Scytha interceptæ ſunt. Nec vltra differendum ratus perfidiam exprobravit, ſubſcriptionis charactere neutiquã inficiabili; illo contra conſcium ſe ſcripti omnino negante; imò Campiducem incuſante, quod eiuſmodi delationibus, aures optimi Regis imbueret, non tantùm ſibi infenſo & nocens; verùm magis publicæ tranquillitati inimicus. Vnde Hano Crimenſi ſtimulus, in vindicandam aut ſaltem in præſens requirendam excuſsi nuncij ſui iniuriam; quo in anteceſſum quæſitæ cauſæ, in quamcunq; partem eventus ſe daret, in promptu poſſent haberi. Etiam, quod in ditione

1652.

tione Valachi illata vis esset, acerbè Basilium Palatinum, 1652.
nec dum ex nupera clade recollectum, Scytha increpuerat; eodemq; exterrito minis, Polonos facti patratores denunti- ante, quo se immunem aut inscium testaretur. Proin ve- nerat ad Campiducem Dedysz-Aga questum: cui amica excusatione satisfactum credi potuit, nisi specie placati iras supprimens, acrius vbi opportunitas adest vltionem exe- rendam, Barbarus destinaret.

Matureſcebant sub hæc in præmeditatam defectionem rebellium vota, transBoryſthenem maximè commeatum legionibus denegante plebe: vt miles precario vivere in- suetus, extorsive sustentari debuerit; qui sæpè quæ cogere se posse putat, rogare non sustinet. Facilè dein factu in- ter exigentes negantesq; fuit, vt plebs eius oræ incunctan- Woyni- lowicz. tèr ad vim versa, in Ostrensi ditione Woyniłovicij turmas Siema- szko. subitò adoriretur, ac Siemaszkonis cohortem Drohiczyn- cijs noctu invasam, cæsis vltra XX. Polonis, statione exege- rit. Constabat haud ampliùs edictis, aut monitis, nequé insuper minis ad officium revocari potuisse, nisi præsenti a- nimadversione ac è proximo ostentata vi, turbæ sopirentur. Submissus proin cum tribus millibus Andreas Potocius, et- si celerrimè allapsus, maiorem iam motum comperit, quàm vt earum virium adminiculo componi posset: cum vbiq; tractu latissimo arma insonarent; vt ferè plebs in turbidis læta, & cuncti incolarum positâ pacis curâ, ad priorem li- centiam relabebantur. Chmielnicius adhæc, velut impro- baret quæ flagrantissimè volebat, Calinouio scripsit, vltra destinationem aut scitum suum turbas oriri; quibus sopi- endis pacato remedio occurrendum esse. Mitteret Cam- pidux qui de turbis cognoscerent, missurum & se, vel si ita expediret iturum ipsum, ac lacessitam tranquillitatem pu- blicam, exemplari nocentûm pœna vindicaturum. Sed melius videri, si è Polonis ac Cosacis delegati, servata iuris specie & processu, in factum inquirerent, punirentq;. Fa- cilè assensus Campidux, proin dati Iudices, vbi exactas in- iuriâ

iuriâ stativis cohortes comperêre. Mozyra concitæ plebis antesignano, cum noxijs, pœnæ capitis addicto: è famulitio 1652.
quoq; nostro aliquot licentiæ ac rapinarum rei, ense puni- ti sunt. Et quia compescere turbas faciliùs eo medio vi- sum, si ex vtrisq; delecti vtrinq; conservandæ tranquillita- ti attenderent, in id muneris Kalinovius Bracławiensis Tri- bunus, à Campiduce surrogatus Iustitiæ Præses: additi quinetiam vnicuiq; cohorti, adstites Cosaci, hospitiorum dimensores. Talia palam, velut duraturi obsequij simula- chra, in tempus acceptata; nimirùm dum horna seges ter- ræ mandatur, non interturbandæ rei rusticæ vtilis simulatio fuit. Vbi verò soluta Comitia, ac exactum ver, opportuni- tatem perfidiæ aperiebant, vbiq; seditio in subitum belli turbinem exarsit. Ineunte Maio refectis Noradinus equis Bracławiensem tractum quà ad Tyram vergit præterlegens, Valachiam versùs iter ostentavit: quo etiam Thymothæ- um, præmisso tali proxeneta, accingi haud dissimulatus rumor tulerat. Castris confederat Campidux ad Batovũ, Batoh.
Hyppani haud procul; eodem tractu Thymothæum desti- natum iter agitare non nescius: à quo nihil sibi securi pro- mittere licebat, homine in omne nefas discincto; à Scytha quinetiam excusione legati offenso, non iniustus suberat metus: cum subinde Chmielnicius Pater, quô os sublineret, literis Campiducem monebat: *Thymothæum se invito in Valachiam ire, nihil tamen adversùs Polonos moliri, vt qui nu- ptialibus curis accinctus eò tenderet; nisi fortè Scythæ licentio- sius quid attentarent, non ideo nimiùm exlegibus fidendum.* Adhibuêre tunc aliqui fidem, tanquam non insincere præ- monenti; alij simulationem inesse censebant, vt dum filij crimen ex violento in Valachiam incursu excusarè non posset, se ipsum tanquam insolentiæ renitens, anticipata cautione tueretur. Vt vt erat, certè defuit circumspectio, quæ providentiæ soror, fortunæ vim despicit; nec opus habet, damnosa illa in bellicis phrasi. Non putâram. Ni- hil enim conducibiliùs ad securitatem erat, quàm divisum

1652. Exercitus agmen in vnum contrahere: id quidem iam Tribuni ſuadere, nè ipſe Campidux improbare oſtendit; miſſis ad Potocium Woyniłoviciumq; qui accirent; cùm modò venire, modò redire iuſsi, manum inijcientibus fatis aggregari diſtulerant; quoad implicata conſilia præveniens hoſtis, poſsibilitatem vniendi eripuiſſet. Vix allatum Scythas contra tendere, cum quà per herbida ad Hippanim habebantur equi, plures intercepti. Mox faſtu & impetu pervicax Noradinus ſuperveniebat, non ampliùs dubitare ſinens quin hoſtili animo adeſſet. Sed, poſtquam ſigna opponi, & aciem inſtructam videt, gradum non tam retulit, quàm nonnihil ſtitit, cenſentibus noſtris, vbi primum impetum Barbari effudiſſent, receſſuros: etiam captivis referentibus, Coſacorum cum Thymothæo copias, vitato Batouo, in Valachiam rectâ divertiſſe. Itaq;, dum imminet certamen, haud omiſſa conſilia, quæ tamen ſecuriùs ante periculum expediuntur; Campiduce, quid in præſenti diſcrimine optimum factu foret, ex præcipuis militiæ exquirente Inter alios ea tum Przyiemſcium cenſuiſſe fama fuit. *Deliberare ex honeſto, ſtatuere ex vſu, ſemper pace belloq; licuit; nobis interim dum tempore prævenimur, quod neceſſitas cogit, faciendum eſt. Namq; eo loci res ſuas ſtare, vt meliores optet: Non ideo tamen damnare fortunam, aut accuſare conſilia, quorum tempus effluxiſſet; ſi ſalutis negotium, in integrum reſtituere Numen & virtus valent. Et ſe quidem à primâ adoleſcentia innutritum factis, nè nunc quidem in verbis nimiùm fore: cùm malè retundat impendentem iugulo gladium facundia, & inter diſcrimina diſertum videri velle, propè amentis ſit. Duo itaq; proponere, vtraq; cum medio ſubveniendi. Vel iterùm obſidium Zbaraz cenſi ſimilè, molitur hoſtis: vel per tranſennam laceſſitos relinquet. Vtinam verò obitèr deſæviat procella, & procus iſte hymæneum agitans, deproperet calidis alibi amoribus ſatiandus. Aſt licet præſagæ mentis arcana premam, ominoſa hæc tempeſtas plus quàm momentum minatur; non prius hoſtibus campo deceſſuris, niſi & Scytha rapinis, & rebellis ſanguine noſtro*

noſtro nuptias iſtas cumulaverint. Si perdurant ambigua nos ſors manet, præter infallibilem Equorum iacturam quibus vires noſtræ nituntur: quod maius eſt tenebimur velut lupus cavea quoad probroſa deditione, vel demum inulta morte cadendum ſit. Verùm ſubduc Imperator Equitatum, teq; & hunc florem virorum, Patriæ & melioribus ſerva; pedes interea cui præſum, intra valla manebit, vim hoſtis ſuſtinendo, modò apparatus belli, & annona obſeſſis ſufficiat. Ita decedens auctis viribus metuendus expectaberis, neq; deſeres Caſtra ſed relinques, mox affuturus; etiam abſens aderis nobis, aliunde hoſti noxius, quem fallere & diſtrahere, primæ bellorum partes cenſentur. Experiar interim ego quid virtus Polona, quid temeritas hoſtiũ amplius poſſit: cum Deo bono promittens, quominus vallo ac operibus incluſus, gemino menſe vim ſuſtineã; quam ſi vltra tolerare non dabitur, at certè ijſdẽ in Caſtris glorioſo fine ſepulturam invenire licebit. Tu demum decides vt promiſſa exolvam, virtuſnè mihi an fortuna defuerit? Adſenſu omnium excepta vox, quia Przyiemſcius dicebat, vt qui clara per exempla ſtrenuitatis, etiam exoticæ militiæ experimentis fortem animum imbuerat. Nam & famoſæ Briſaci obſidioni interfuit; ac in Exercitibus Galliæ Sueciæq; Regum non obſcuro nomine Tribunus meruerat. Sed Campidux obfirmato in noviſsima animo tantum ſibi credebat, experturus quantum cæteris poſſet, cui in omnes imperium. Audiebatur contra miles, alias ad iuſſa promptiſsimus, conſilijs Ducis obſtrepere, prætoriæ cohortis ſignifero dum Caſtris Vexillum effert, enormi lapſu equi in terram provoluto. Ad datum mox ſignum procedunt in campum alæ, haud dubitante Campiduce, quin à tergo obiectu Caſtrorum tutus, prælio experiretur; firmiterq; perſuaſus, ſi provocantes Scythas impunè abire permitteret, præter probrum militare, etiam temeritati laceſſentiũ ingens ſolatiũ fore. Sex Equitatus, tria pedituum millia erant: etſi exinanita ſigna ac planè metertia viſerentur, militum alijs ad recipienda ſtipendia, alijs ad deploratos penates, quibuſdam ſine cauſa pe-

1652. ſa peregrè dilapſis: vnde raris ordinib⁹, caſtra famulitio tũtùm ac inſtitoribus referta fuêre. Ambibat ea vallum vaſto ſpatio circumductũ, eo intuitu, vt venientibus à Boryſthene legionibus, ſimul ab Humanio Coſacis, (quos vti ſubditos fidos ſibi nuper reconciliatus Dux rebatur) commodè ſubſiſtendi ſpatium relinqueretur. Hinc vaſtitas ipſa Caſtrorum nocumento fuit, quæ contrahere propinquo iam hoſte ſerum, attonitis ſubito diſcrimine animis, inutile. Ingruebant quippè Scythæ, ac vtrinq; ad primum congreſsũ collatis ſignis dimicatum eſt. Marco Sobieſcio Craſnoſtavienſe Præfecto, ac Odrzywolſcio Czerniechovienſe Caſtellano, ſtrenuè Barbarorum vim ſuſtinentibus, æquabili vtrinq; marte & iactura. Sed mox, dum ſolita arte velut impares retrogreſsũ oſtendũt Barbari, etiam Kalinovi⁹ ardentius inſurgentes ſuos repreſsit, ſatiùs pro tempore ratus, ſi iſti recedentibus ſuis incumberent, vt à vallo colubrinis, vberiori ſtrage pulſarentur. Patuit mox, quàm in ſimulatũ receſſum abirent, gyrato protinus agmine revolantes, quoad tormentarijs globis impetiti, ſimili recedendi arte extra telorum iactus ſe ſubducebant. Cùm interim Thimothæus obliquo flexu circumductis Coſacis à tergo Caſtra ſumma vi invaſit; adeo vehementi impreſsione, vt excitati pulveris caligo, non modò pleriſq; oculorum vſum, ſed & mẽtem eriperet. Non tulit audaciam Przyiemſcius, ac nè non in verbis quàm actu flagrantior eſſet, ſe cum peditatu objicit, ac omne ſuorũ robur in adverſos vertendo, ſtrenuè pugnat. Coorti tumultus cauſam ignoranti Campiduci, Vincentius Zelinius turmæ ductor, auxilium in præſenti diſcrimine depoſcens accurrit: cùm eodem inſtanti velut ex condicto illatis ſignis Scythæ in noſtros cõvolarent. Caſtra ingenti ſpatio diducta erant; in quæ diuturnioris ſubſiſtentiæ admonitus miles, crebros ſtraminis fœniq; acervos, in vſum pabuli equis, congeſſerat; qui fortè ſub ipſum pugnæ ardorem, dum omnes in communi periculo ad vallum diſcurrunt, ab igne incuſtoditè habito, aut quod ſatiùs dolo ſup-

Sobieſki Odrzywolſki.

Zelinſki

lo ſuppoſito corripiebantur, inde mox & caſæ militares arſêre. Ab extra vrgebat ferrum, ab intra incendium, augebatq; perituri Exercitus diſcrimen denſiſsima fumi caligo, quæ imperia dandi, aut exequendi promptitudinem, præcideret penitùs. Interea Campidux impigrè pugnans vulneratur; ſubit vices Sobieſcius ac ingruentem hoſtem ſuſtinet; & quamvis ſpes reſiſtendi fracta, interritus ſe ſe opponit; quoad Odrzywolſcio ante portam Caſtrorum obtruncato, fortiſsimi quiq; ex alarum ductoribus è veſtigiò caderent. Neq; tamen in noſtris, vigoris conſtantia deſiderabatur, ſi tutum in Caſtra receptum, fortuna reliquiſſet. Quæ dum miſerabili incendio correpta depugnantem pro vallo peditem ægrè tegunt, etiam receptum campo pulſo Equiti haud præſtitêre: Coſacis non ſine pertinaci repugnantium niſu vallum aſcenſione ſuperantibus. Erat inter Coſacos Złotarenko Tribunus, ex vatiniano in Polonos odio Chmielnicio probatus: qui vbi correpta igne Caſtra advertit, quâ hortatu, quâ probris, ſuos inceſſanter ad invadenda vrgebat; clamitans. *Parcerent ferro Coſaci, neque inimicæ gentis cædibus hebetarent illud, in quam nudæ manus capiendam ſufficerent, aut quod ſatiùs, præfocandam. Enimvero inſtarent labem Bereſtecenſis ignominiæ abſoluturi; ſi interciuſa dilabentium fuga, ſuo igne ardentes Tyrannos, ſuis Caſtris velut carcere incluſos, cuſtodiendos circumdant.* Hæc tradita ab ijs qui interfuêre. Re perdita Campidux vbi nihil ſpei reliquum, gemino vulnere ſaucius in medios hoſtes ſe injicit; (ita conſtans fama tulit) & neutiquam ſe capi permittens interimitur. Animo erat interritus, imperij acer, ſed proprij conſilij tenax & promptior offenſas vlciſci, quàm imminentia arcere. Hinc opinio auſterioris ingenij, & pro indeprecabili habitus plebi: non improficua Imperatori qualitate, ſi ſciviſſet terrori adiũgere clementiæ famã. Eadem Marci Sobieſcij Craſnoſtavienſis Præfecti conſtantia & finis, Heröis ob præclarum animi corporisq; robur, etiam militari prudentia inſignis. Metatorem Regni Samu-

Złotarenko.

1652. elem Kalinovium Campiducis Filium, qui probatæ celeritati equi fisus salutem effugio crediderat, dum inter aviarum nemorum viæ ignarus oberrat, ab aggrestibus oppressum, aliqui à Scythis captum credidêre. Interijt & Sigismundus Przyiemscius Notarius Campestris, simul & Armamentario Regni Præfectus, cuius vtinam consilio acquievisset Grodzicki. Dux, ac cum eo Chrystophorus Grodzicius, miro modo cædi subductus capitur. Simul præcipui quiq; Gorka, Gorka. Kossakowski. Kossakovius Bracławiensis Iudex, Zelinius, Kłobukovius, Zelinski Kłobukowski. Niepokuczycius, alijq; viri fortes legionum legati. Baßabanus à Scytha, cui ad Corsunium pactum æs non exolverat, indignanter corripitur; Meliore Korycij fortè, qui Ostrogiensi legioni impositus, Chamambet Murzæ in manus venit, eidem affinitate (vt fama erat) iunctus. Georgius quinetiam Czerny è Novinarum stirpe Patricius, postquam in Belgio aliquot annis Hispanicis sub signis militaverat, natalis soli desiderio, dum per transennam Castra ad Batovum invisit, contubernio Przyiemscij æstimatus, interveniente certamine, patriæ vitam devovit, cæsus. Solatium cladis habitum, non magis à furioso hoste, quàm è casu & sæviente elemento perijsse. Parta victoria effusè Scythæ lætati sunt, recisumq; à cervicibus Kalinovij caput, Noradinus ante se portari lanceæ infixum sustinuit; mortuo non ex fide exolutum prioris captivitatis lytrum exprobrando.

Peculiare hoc habet sævitiæ febris, vt à fuso sanguine vehementius incalescat, nam & hìc non clade victoria stetit, sed strage: securior ea Cosacis, ac in totum consummata, vbi mortui canes non mordent, quod tum sævientis Złotarenkij dicterium fuit. Is quippè cum Wyssoczano, Noradynum induxit, vt omnes captivi Poloni necarentur. Atrocis consilij ratio ex metu proveniebat, quod exacto anno redux è Taurica Kalinovius, vehementiùs recuperandæ Vkraynæ institerat; quàm vt à Rege iussus crederetur: vnde Cosaci abundè consultum securitati suæ rebā-

Złotarenko. Wyssoczan.

tur,

tur, si odiosam & formidabilem potentiam, semel pro semper sustulissent. Ast instrumenta lanienæ isti dici poterant, 1652.
autor revera Pater Chmielnicius fuit, qui tertio militari antegressum secutus filium, in nefarium opus consilio & pretio cooperabatur. Ferunt crudele necandorum Polonorum postulatum, diu aversatum Scytham & vrgenti Złotarenkio palam renuisse, non quidem studio nostri aut humanitatis, sed nè intercideret præda. Ast vbi pacti Cosaci, dependsuros se capitatìm pro singulis æstimium; flagitiosa largitione corruptum, in necem iugulandorum consensisse. Postquam verò condicto inter licitantes pretio, nobilissimæ iuventutis capita taxata sunt: vt numellis aut nervis vincti, producuntur in propatulum captìvi, ac confertìm per aream sub dio locantur. Horrendum visu macellum, ac inauditæ feritatis rabies, vbi non mugientium boum, aut balantium pecudum, sed humanus cruor funderetur venalis. Compone Phalarim aut Mezentios, & qui alij famosa Tyrannide claruêre, superat laniena veterum crudelitatem. Ignorare miseri non poterant quorsum ducerentur, vel animo cuiusq; imminens fatum præsagiente; neq; reticentibus Barbaris, qui eripi sibi à Præfectis mestem belli dolenter ferrent adeo; vt ferrum stringere iussi siccarij, diu à potioribus Murzys inhiberentur, ante alios Kapłamo, ac Chamambeto, vltra quàm in Scytha civilioribus moribus, inhumanam Noradino feritatem, & ex ea ignominiam gentis exprobrantibus. Verùm incusare magis facinus, quàm impedire poterant, non diu & ipsi Præfecti imperio, ac largitionibus Cosacorum evicti. Itaq;, destinatum victimæ agmen, cæsim punctimvè, conciditur; percussoribus è Nohaycijs fera & inhumana gente delectis, in nudos ac inermes quali quali vulnere valituro. Acceptæ constanti & interrito animo plagæ, cum multi ultro iugulos protenderent, aut fortiores ictus poscerent; certè omnes vnanimi suspirio ac voce, SALVATOREM IESVM in novissimo puncto inclamavêre. Ad prolatum terribile inferis nomen

Kapłam Cham Bet Mar.

Nohaycy.

1652. nomen, velut æstro perciti laniſtæ, quo odioſam vocem quantociùs intercluderent, mactandorum guttura enixiùs præcidebant. Vltra Quinq; millia tam è Nobilibus ſocijs quàm Caſtrenſi miniſterio ea ſtrages abſumpſit, peditatu omni cum ſuis Ductoribus intra Caſtra oppreſſo. Qui ſi pugnantes cecidiſſent, toleranda clades cenſenda: aſt in dedititios imò vinctos ſævire immanis truculentiæ fuit. Sub patratam necem obequitabant Coſacorum Tribuni, in non parcendum Scythas ſtimulando; & tanquam feræ rabidæ ſanguine fuſo ſatiari nõ poſſent, addebant morituris improperia. Triduũ poſt impenſum, requirendis ſi qui inter manipulos occulerẽtur qui beneficio capiẽtiũ Scytharũ, vel immeriti excidij cõmiſeratione ſervati ſunt. Præter alios Chryſtophorus Grodzicius Germanicæ Legionis Tribunus, iſti quòd è machina evaporans pyrius, fuſcaverat vultum, vt ſervaretur profuit; qui poſterioribus bellis, præclarum nomen ſubArmamentarij curâ merebitur. Præterea nonnulli miſereſcentibus Barbaris beneficium vitæ debuêre, quos illi ſuum in morem veſtitos, infuſcatis procurata nigredine, vel denſiore hyoſciami fumo vultibus, (cui intra guttur attrahendo perpetuus genti vſus:) quo veſtigantium ſicariorum ſagacitatem fallerent, involutos ſuorum inſerebant manipulis: nonnullis detonſa lanugine oris, ementitus ſub muliebri habitu ſexus, profuit. Quin etiam memorabile factum vt accepi connotari meretur. Dum ſævitur, Matthias Kadzidłovius Cuiavita, Myſzkovianæ cohortis miles, inter cumulos turmalium, imminens percuſſoris ferrum operiebatur. Iuvenis erat corporis robore prævalidus, cum ingenua ex ſervili nece ira, ſeu horribili ante ſe mactatorum ſociorum imagine perculſus, diſruptis valentiore brachiorum conniſu nervis, aut ex nocturno humore in reſolvendum facilibus, ſubitò ſe erigens, in victimarium irruit, erepto acinace vulnera regeſturus. Verùm nobilior audacia fuit quàm ſucceſſus, cùm ad hero̊icum auſum accurrentibus turmatim Scythis proſterni-

Grodzicki.

Kadzidłowſki.

tur

tur à millenis manibus vnus, ac in minutiſsima fruſta conciditur. Quis neget cauſam necis fortiſsimis militum, iam in protectæ Patriæ meritum, etiam in inſignem Martyrij lauream ceſsiſſe. Hæc vt conſignarem, dum nihil ex falſo hauſtum velim, autorem habui Ioannem Szaniavium, qui eadem hac Batoviana clade captus, ſimili aſtu Scytharum liber, poſt multa per ſtipendia mihi commilito, tandem abdicato profanorum armorum ſtudio, in ſacram Reforma. torum militiam, nomen dedit. 1652. Szaniawſki.

Eam cladem velut aſtra præmonerent, varia in antecesſum præſagia oſtendêre: tribus quippè ante conflictum diebus, illuſtri ſideribus per noctem cælo, in áère ignitæ ſcopæ apparebant, in ictum velut aliqua manus exploraret nictantes: quæ demum in gladium ancipitem coibant, cuius manubrium ad Orientem, mucro in Caſtra verteretur. Altera rurſum nox armatas in cælo exhibuit acies, eâ habitus ac furoris congredientium partium deſignatione, vt imminentis pugnæ prototypon, cælum graphicè exhibere videretur. Neq; ſolum ex aſtris prognoſis capi poterat imminentium; (quæ tamen cum ſint pars denſior ſui Orbis, lucem habentia ac tranſmittentia, per æthereos ignes Præludunt humanis DEO volente caſibus) verùm è terra quoq; neſcio quis genius, fatalis arcani tum commonebat. Ładyzyni Wiſnioveciorum ad Hyppanim municipio, ſpiritũ aliquem ſeu ſpectrum vocale, ex abdito rupis dudum incolis colloqui ſolitum, etiam tum militibus vt quisq; percunctari auſus, prompſiſſe ferunt. *Ite* (inquit) *nunciate Duci, abeat hinc quantociùs, aut cautè nimium agat; adventare quippè furioſum bibonem illum, qui barbam illi raſurus ſit; & metuendum nè nimis acre lixivium capiti noceat.* Irriſui habita tunc ſuſpecti lemuris rellatio, demum vbi prædictioni reſpondit eventus, vim Oraculi apud credulos invenerat. Fortè poſt tribus annis, dum Ładyzyni, qui hæc ſcribo moror, cum varijs voce intelligibili, imò cuiq; genti familiari loquentem audivi: ac quo quisq; ſermone vellet,

Ładyzyn

extempore differentem. Multi familiarem ſpiritum, ſeu
1652. pharædrum credebant; prono Ruſſorum in magicas præſtigias ingenio: alij vita functi hominis animam, expiandis noxis iſthac loci damnatam volvêre; cum neq; ipſe hominem ſe diffiteretur, & Spaſoviũ voçari perſeveraret. Quando Varſaviæ Comitia, & quali fine terminata, enarrabat; militem ſtativis laxè haberi, Campanas delubris abripi incuſabat; quæ inter Chmielnicium, ac Moſchum conſiliorum arcana enuntiabat; quandoq; Primipilũ legionis, non pro tempore excubias Ładyzni obeuntem, Gallice redarguendo. Aſtrographi quin etiam mirabilem Annum, vnanimiter vulgatis Calendarijs præſcripſerant; præcipuè
Zorawſki. Nicolaus Zorawſcius, Aulæ tum à ſcrutinijs cæli, in diem 7mam Aprilis grandem ſolis Eclipſim, in ſigno Arietis incidentem, detrimentoſam climati Polonico ominatus: adnectendo in tractatu ephemerico, Apologum Mercurij, caducæum in manu tenentis, quod gemini ſerpentes ambirẽt, eo additamento. *Serpens niſi ſerpentem devoraverit non poterit eſſe Draco:* haud ambiguè innuens, (ſi his logogryphis credere licet) tot cladium interventu, non aliter conſtituŕ tranquillitatem, niſi alteruter populus, alterius excidio duraturam pacem ſtabilierit. Neq; Aulæ ſuæ pepercit, ſubijciens Senecæ verſus.

Vos quibus Rector Maris atq; terræ.
Ius dedit magnum necis atq; vitæ
Ponite inflatos tumidosq; vultus,
Quidquid à vobis minor extimeſcit
Maior hoc vobis Dominus minatur.
Omne ſub regno graviore, Regnum eſt.

Addebat terrarum devaſtationem, peſtem, famem, Annonæ caritatem, ignes, ventos, fluminum inundationes, & cætera, ex grandi ſolis deliquio vaticinatus. Certè per id temporis ars ea in prætio habebatur, vel ob ſolas Stephani
Fuhrman. Fuhrmanni obſervationes, typis Gedanenſibus edi ſolitas: quibus ille ſub intricatæ nomenclaturæ gryphis, credulitate

tate aut imaginatione legentium vſus, abſtruſam futurorũ eventuum ſeriem, recluſâ velut cortinâ cæli, pandere credebatur: cùm tamen Deus futuri ſcientiam in ſua poteſtate reliquerit. Quidquid ſit, mihi de Vranologia idem cum Tacito ſenſus: *Cuius clara documenta antiqua ætas tulit, etiam noſtra ſuſpexit: quòd quædam ſecus quàm prædicta ſint cadant, imperitia artificum fieri, ac inde corrumpi artis fidem.* 1652.

Miſerandæ cladi iungit ſe peſtis, omnem quà latè patet Poloniam pervagata; etiam Vkraynam corripuerat: vnde quód Scythæ accelerato regreſſu finibus Regni exceſsiſſent, multi cauſam ſupponebant ex metu contagij. Videre erat vbiq; repentino Fato ſterni mortales, alios deſertis penatibus in ſylvas, aut ſolitudines degredi: & dum homines avijs nemorum aut camporum ſuccedunt, puriori áèri hauriendo; feræ velut permutatione facta, in oppida, ac vicos, humanis corporibus ſaginandæ, commigrabant. Nec tantùm in avertendum malum remedia, etiam qui cadavera ſepelirent plerisq; locis defuêre: non contactu modò, ſed áèris infecti hauſtu, contagium vulgante. Medendi periti cauſam peſtis, in áèris ex vapore venenoſo corruptionem reijciunt, qui ſpiritui vitali inimicus, dum principales corporis partes invadit, ſubitò enecat. Itidem Aſtrographi, in hæc inferiora omnem vim ſtellis tribuentes, epidemiæ vniverſalis cauſam áèri tribuunt, quando à corporum cæleſtium aſpectibus, humanæ naturæ contrarijs, vitiatur. Etſi diuturna obſervatione rudiorum, quibus ex effectu cauſas rerum cognoſcere licet, compertum habeatur; eiuſmodi áèris vitia aut infectiones, circa vniverſalis Iubilæi recurſum plerumq; oriri, ac per incrementa aut remiſsiones contagij, in ſeptennium quandoqué perdurare. Cracoviam alijs Regni vrbib⁹ populoſiorem, graviùs tunc peſtis exercuit; etſi natura loci, ex benigniori cæli conſtitutione, magna præſidia adverſùm vim mali habere videatur. Cœpit hìc lues ſub finem Autumni Anni 1651. ac per hyemem, cuius rigor moderari malo creditur, nihil remit-

1652. tens, ad præſentis Anni Menſem Octobrem immediatè fæ-
vijt: quo temporis interſtitio, ad XXXVI. hominum mil-
lia ex incolatu vrbis deſiderata ſunt, præter eos, qui in ſeceſ-
ſu campeſtri, inter latebras aut cellaria ablumpti, incognito
periêre. Enituit tunc Reginæ Ludovicæ pietas, pecuniam
in còémenda victualia ſubminiſtrante, quibus morbidi per
contubernia alerentur. Neq; Magiſtratus Vrbis defuit ſe-
dulitas, iam erecto Lazareto ſeu Noſocomio generali, iam
Medico Chirurgisq; non ſine ſumptu inductis, qui curam
periclitantibus ſubveniendi præſtarent. Cumprimis egre-
Zacher- gia opera Zacherlæ Cõſulis, qui non modo de remedijs cõ-
la. tra peſtilentiam providit; verùm adversùs rapinas, ac ædi-
um expilationes, vigilanter egit. Plurimorum ſiquidem
fortunas diripiebant veſpillones, publico ſtipendio ad hu-
manda mortuorum cadavera inducti, parum habentes de-
functorum bonis potiri, niſi etiam vivos, vt quemq; ex opu-
lentia notum, in prædam deſtinarent. Enectorum quip-
pè capita vi peſtis findente, humano cerebro oſtiorum po-
ſtes aut peſſulos illinebant, quo virulentiâ contactu inſinu-
atâ, ſanos quoq; inficeret, perimeretq;. Etiam incendium
Lublin, Kaliſz. vrbem eam tunc afflixit; quo item fortuito igne Lublinum
Częſto- celebris Tribunali Regni locus, Caliſsium, Częſtochova-
chowa. Vſcie. Vſcie, aliaq; minoris nominis oppida in favillam redacta,
vel extantibus in hanc diem ruinis, vnde ſuos incolas im-
mite exegit elementum. Nec minus pepercit fluminum
exundatio, aucto diluvij in ſpeciem ex continuis imbribus
Viſtula; qua parte Caſimiriam à Cracovia interſcindit, e-
volutis aquarum incurſu ſublicibus pontis, vt eluvies ad-
uſq; Monaſterium Bernardinorum, cubito tenus terram
inundaret. Idem, alterâ parte Caſimiriæ ſuetum alveum
ſupergreſſus, ex continenti fretum ingens efficiebat, gran-
di accolarum periculo, quorum nonnulli ſubitò malo præ-
venti interiêre; alij vorticoſo gurgite cum ædibus abrepti,
multi item quibus benignior ſors trabes aut ligna præben-
dere permiſit, à navicularijs extrahebantur. Non illepi-
dum

dum viſu, defluenti fæni acervo, lupum ſimul cum capra in- 1652.
ſediſſe, mirâ in præſentiſsimo periculo Sympathiâ: caſa
quoq; lignea, cum fundamentis abrepta, ripæ adnatavit, in
qua trium puerorum mater, famelicæ proli ſubcinericios
pararet. Relata narro. Hoc tunc Vandalus noſter (Divæ
Magdalenæ ſacro die) violentiæ ſpecimen dedit, vaſtior,
credo & magis furioſus, vbi ingenti oſtio Balthidi ſub Dan-
tiſcano littore illabitur.

Poſtquam dolendam Exercitus cladem, cõſtans vbiqué
fama tulit: tota paſsim Polonia trepidatum; quos fatali
prælio ſors ſubduxerat, maiora vero nunciantibus. Sanè
ſi vnquam miſera tùm Poloniæ facies erat, florentiſsimo v-
nâ cum Duce ſublato exercitu; altero vltra Boryſthenem
indagine clauſo; cum ab intra nihil pacatum aut ſincerum
appareret, funeſtisq; diſsidijs ac ſuſpicionibus omnia ſusq;
deq; miſcerentur. Quid ſi Scytha ſucceſſu ferox, in vacuas
defenſore Provincias involaret? Chmielnicis cum intimis
viribus peſte exinanitum Camenecum oppugnaret? Thy-
mothæus pro innata phræneſi ſubmontano tractu illapſus,
Cracoviam cor Regni adoriretur? Moſchus fidei ſuſpect9
Lithuaniam premeret? vt tunc inter coniuratos hoſtes cõ-
dictum fuerat. Quis non ſecurim ad radicem poſitam di-
xiſſet; niſi quòd Arborem Regni huius, reciſis in tempus
foliis, nondum cadere Fatum deſtinaverat. Prævidens re-
medium malis Rex, Comitia extra Ordinem ſtatibus indi-
xit, anxius & dolens, nè is actus nullo iterum ſucceſſu incõ-
penſabili iacturâ diffluëret. Nihilominus animi inter ad-
verſa retinens, ſupplendis quæ præſens tempus ferebat, ite-
rari Edicta (Inſtructiones) iuſsit, quæ ad Conventus Parti-
culares dimiſſa, adderent ſtimulos, vt ſaluti publicæ priùs,
quàm gloriæ conſuleretur. Itaq; gens illa, quæ exacto an-
no victorem ſe obtrita Rebellione tulit, modò revoluto for-
tunæ orbe, quadamtenus de extremis deliberabat. Ante-
quam Comitiorum, priùs ſtatum turbidæ Ruſsiæ expono.
Ætate ac merito inter Tribunos militares præcellebant, Sta-

niſlaus Potocius Podoliæ, ac Landzkoronius Bracſavienſis
1652. Palatini, qui proviſis quantùm in arcto licuit rebus, conſilia reſiſtendi, ſi vis ingrueret vlterior, Leopoli agitavêre: Ac primò recolligendis militũ manipulis inter ſe curas partiti, Bracſavienſis quidem ad Gliniany ſubſtitit, tutiorem præſtiturus Leopolim, ſi viam quâ hùc itur, præcepiſſet: Potocio ad Strumielcum nonnihil deflexit, cohortibus quæ à Boryſthene remeabant, ſe ſe iuncturus. Iſtæ ſiquidem poſt Batovianam cladem dum Coſaci in Valachicas nuptias intenti agunt, eo modò ſe indagine expedivêre. Obſervabat traiectum fluminis multitudo plebis, vndiq; terga arbeuntium carpendo, illis Novogrodecum Severiæ petere oſtendentibus, quo iſthàc in Lithuaniam penetrarent. Aſt arduum iter, nec eluctari poſsibile, circumfuſis vndiq; globis, ac quo longiùs proceſſerant, augebatur in maius diſcrimen. Abitus parùm diſtabat à præcipiti fuga; cremaverãt currus, ac famulitio in Equos vectorios recepto, oberrabant magis quàm abibant; donec plebs traiectum Boryſthenis hactenus obſervans, trans flumen deſerta ripa iverit, vagos ac laſſatos in loca naturæ ſitu invia compulſura. Interim noſtri obiectis perfunctoriè manipulis, diſtinebant ſequaces vt eluderent; ac inter continua diſcrimina laſsis qui inſequebantur, obliquo ad Boryſthenem tractu deflexêre. Hìc enimvero quotquot fortuitos lembos, (Baydaki, aut Wiciny,) celeritas occupantium nacta, protinus inſidebãt; ac quo vitã vni diſcrimini eriperent, remigij inexperti aquis credebant. Inſtitum traiectui maxima cunctorum feſtinatione, etiam, vt áère neceſsitatis ingenium eſt, pleriq; è famulitio, complicatas trabes ligneas, tum ſepiũ fragmenta viminibus confaſciata, item dolia, comittebant amni, quibus latè ſtagnantes aquas prætervecti; demũ vbi in vlteriore ripa conſpiciuntur, hoſte volucrem traiectum haud ſatis demirante. Hinc acceleratis itineribus Pavoſociam verſùs tetendêre; non ſine iuſto Chmielnicij metu, nè penatibꝰ Vkraynæ per abſentiam ſui, graves quia laceſſiti hoſpites forent.

Comi-

Comitia ad diem XXIII. Iulij celebrata ſunt, adverſus
1652. impendentia pericula ſolùm & vnicum ſalutis remedium. Etſi aliquæ primi ordinis Provinciæ, quo ſubitis periculis occurrerent, contrahendo militi delectus inſtituerant, aut collectas tributorum indixerant, inſuper ſancitis publicæ expeditioni armiluſtrijs, quo excluſa Comitiorum aut morã aut caſu, ſubſidium militis ærisq; pararetur. Cracovienſis præcipuè Palatinatus, vt gradu ita exemplo præivit; contracta Mill: CC. Equitum ala, cuius cohortes, patricij eiuſdem Provinciæ, ſub Rotmagiſtrorum nomine ductarent. Hi fuêre Samuel Scibor Chełmſcius, Staniſlaus Neczuia Dembinius, Staniſlaus Morſztyn, Criſtophorus Krupka, Alexander Chrzaſtovius, ac Albertꝰ Rarovius. Equidem prompta hìc in vtramq; Palladem iuventus, nam ſeu humaniora ſtudia reſpicis, propè ac in ſinu Cracovienſe Lyceum habent; alacres deinde ex ſcholaſtico pulvere, ad militiæ munia progrediuntur; vt rarus ex provinciali Nobilitate ſit, qui non exercitam per Martios actus indolem, ad œconomica tranſtulerit. Hinc patritij abdicare militiæ munia probrum cenſent; & quia filius imago Patris eſt, non in lineamenta modò ac Symmetriam corporis, verùm in mores quoq; ac animi qualitates, immigrare nituntur. Ardentiſsima febri decumbebat Rex, quam à deſperata curatione Malignam vocant, quæ vbi ſexdecim dierum ſpatio, corpus ſua mole craſsiùs depaſcitur, multi extrema adeſſe cenſebant, vbi ſimul curarum æſtus animum, ac vis febris corpuſculum laboribus attritum, exederet. Tunc quoq; peſtis Varſaviam invadens, non lentè vt fit in principio, ſed ſolito vehementius graſſari cœpit, è ſervitijs Aulæ aliquot ea lue correptis. Aſt vbi humana conſilia ceſsãt, ſuperna incipiunt; & humanitùs deſperati, Divina ope eriguntur. In brevi namq; remittente morbo, valetudini Rex ſensìm reſtitui cœpit, vnde ſpe reviviſcente, cuncti intenſiùs, negotijs publicis vacavêre. Alexander Sielſcius Strzyczenſis Præfectus, moderamini cætus Nunciorum impoſitꝰ erat,

Chełmſki. Dembinſki. Morſztyn. Krupka Chrzaſtowſki. Rarowſki.

Sielſki.

1652. erat, quod ferè omen felicis Comitiorum concluſionis, vnanimiter electus. Advertit primas curas Suecia, irritò perpetuæ pacis tractatu, non obſcurè futuri belli minas iaciens. Itaq; Commiſſarij, qui Lubecæ Sueticis congreſſuri eſſent, plenioribus inſtructi mandatis, attendere iuſsi; nè quid ad concilianda cùm ea gente pacis iura, ex æquo & iuſto intermitteretur. Ab alijs lateribus, ſi non in totùm res pacatæ, ſaltim ſuperficie tenus imago tranquillitatis inerat, cùm & Auſtriacæ domus vicinitas, ſanguine & offi-
cijs regnantium firmaretur: etiam Moſchus aliquali, per-
Witowski. Staniſlaum Witovium Sandomirienſem Caſtellanũ reſpõ-
ſo, adhuc ſimularet ſe amicum, quò diſsimularet hoſtem. Ergo verſis ad tuendam Patriam ſtudijs, nihil tum in eo cardine deſideratum, Lublini *Commiſſione*, Tribunali Radomiæ inſtitutis, vbi excuſsis fiſci rationibus, deſiderijs militum ſatisfieret. In eum finem laudatæ contributiones a-
graria quæ L. Mill: Exercitui exolvendis ſtipendijs ſuffi-
cerent. Indicta & publica Expeditio Nobilitati, noviſsimum ac vſu probatum tutandæ Patriæ præſidium.

Exautorati quoq; Procancellarij fautores, aliquid tunc pro cauſa tentare auſi; quoad detectis in præſens molitionibus, autor in totum corruiſſet. Perſtrictus ille nuper iudiciali Banno, Viennam Auſtriæ perrexerat; valituro, vbi cætera ſecus cecidiſſent, Imperatoris patrocinio, ſe erectũ iri ſperans: Aſt Aulam illam non nemo pigrum mare dixit, quæ antequam quicquam decernat, annum trahit. Hìc vero omnis moræ impatiens, vbi in ſuſpenſo hæret; Sueciam reſpexit, rebus ſuis magis & citiùs opportunam, ſi ſub agitatum perpetuæ pacis, aut prorupturi mox belli negotium, Regno illi acceſsiſſet, priſtino ſtatui Exul reſtituendus. Proin, diverſas abitus Viennâ rationes prætendens, (vbi tum ſigillum, muneris olim ſui inſigne furto ſurreptũ; poſt per Comitem Starenbergum Aulæ Cæſaris Præfectum remiſſum Regi fuerat) ad Carolum Wrangelium Sueciæ Architalaſſum Croneburgum ivit: inde Stokolmiam, quæ

Starenberg. Wrangel. Cronburg. Holmia

Sueco-

Suecorum Metropolis eſt, non inhonorè remiſſus. Siqui- 1652.
dem genti bellum in Poloniam apparanti, percommodum acceſsiſſe videbatur, prodromũ nanciſci eum, qui non modò mores ac genium gentis, ſed intima arcana Miniſter Status introſpexiſſet. Hìc dùm modo ac ſpecie aſylli manet, dimiſerat Ioannem Iaſienium, diuturniore obſequio Iaſienſki
familiarem, vt tanquam natalis ſoli deſiderio herum abdicans, in Poloniam rediret; ac omni ſuſpicione liber, veteribus fidiſq; amicis in Regno per epiſtolas conventis, ad Coſacos inde diverteret. Et reſponderat initio fiduciæ Iaſienius, niſi poſt traiectam Balthidem fortuna, vt fallax illa ceſpitaſſet, in ipſo planè ſuſcepti negotij limine. Siqui-
dem Wyzycius Koniecpolianæ cohortis Optio, in itinere Wyzycki.
obvium nactus, ac quorſum & vnde veniret perquiſitum: dum è Succia renuntiato Radziciovij famulatu, in Poloniã redire reſpondet; ac fidem non ficto reditui aſtruens, quo loco ibi Herus ac fortunâ eſſet, quaſi retecto per ſimplicitatem arcano referebat. Suſpicere ad hæc hominem Wyzycius, ac alia ſuper alijs ſciſcitari; cùm ex aſſeclis quiſpiam grandiores clitellas, ex pondere exploraturus, vbi leves eſſe, nec niſi papyro infartas comperit, aucta ſuſpicione fraudis, Varſaviam non incuſtoditè ſecum conduxit. Continebantur ſarcinis literæ diverſo argumento ſcriptæ; inerant ſchædæ puræ, ſeu chartæ virgines, manu propria autoris ac ſigillo obſignatæ, quas latori ex vſu inarare ſcripto liceret. Etiam inter excuſſam papyraceam farraginé, reperti codicilli, ad Chmielnicium Tribunosq; Coſacorũ (narrata non viſa trado) ſcripti; quibus recenſebat gravamina, per inclementiam aut æmulationem illata ſibi: cauſam iniuriæ ſubnectens, nè violarentur immunitates Zaporozcenſium; nè Bereſtecià, perdendis illis Rex Kijoviam pergeret; deniq; quòd conſilijs deſolandæ Vkraynæ adverſatus ſit, ſola Exercitui eorum benevolentiâ devinctum vapulaſſe. Conſecuta inde quæ pateretur: abrogationem Magiſtratus, immeritum exilium, vitæ diſcrimina, & alia,

1652. rectitudine suâ, sibi exitiabili. Inventum tamen oppresso asyllum in Suecia, apud invictam Heroidem eius gentis Reginam, apud quam res suas eo loci esse, vt non meliùs in Polonia velit. Cuius Maiestatem Reginalem etiam iniurijs exercitus Zaporoscensis condolere, nec refugere patrocinium. Proin, mutuæ stabiliendæ confidentiæ, mittere latorem præsentium, per multa fidei experimenta probè cognitum; vt quæ series literarum haud comprehendere queat, Duci Zaporoscensium Tribunisq; à S. M. oretenus enuntiaret. Iam verò in rem vtriusq; conferentium fore, si lator gratè acceptus, idemqué celeriter expeditus fuerit. Iussus Iasienius liberè promere, quorum causa ad Cosacos missus? abditam schædam depromsit, exhibiturum se vltro asseverans, nisi requisitione præveniretur. Scripti essentialia, vt ex certis Commentarijs excerpsi, subiungo. Ablegandos in Sueciam, à Duce Zaporoscensi duos tresvè prout libuerit, nũcios: modò personas idoneas, characterisq; Græci peritas, quippè Ser: Reginam eandẽ linguam probè callere. Ablegati sufficientibus mandatis, ac omnimoda facultate instructi, ad concludendos mutuæ *Correspondentiæ* Tractatus mittentur. Quatenus verò aliquis ex Clero Græco-Russo, ad latus pro continua residẽtia mitteretur, id S. M. enixè velle. In patrocinium reale Exercitum Zaporoscensem, à S. M. suscipi protegendum, ampliandum, nihilq; intermissuram, quòd decori ac securitati eius conducere videbitur. Suecorum copias, quæ in parato sint ingentes, transactione patrocinij concluſa, sine morâ contiguum Poloniæ limitem intraturas. A Rege Poloniæ quæri solicitè modos, perpetuæ pacis cum Regno Sueciæ stabiliendæ; Lubecæ propediem congressuris vtriusq; partis Commissarijs: verùm Regiam M. omnino à Tractatibus aversam. Consuli item oportere, legatorum abutrinq; mittendorum securo commeatui; cùm æqué ex mora, ac patefactis arcanis maneat periculum. Cum Scythis retinendam societatem; Transylvanum in partes pertrahen-

trahendũ, interposito ferendæ vicissim opis iureiurando. 1652.
A Dynasta Valachiæ enixè cavendum, vt potè modicæ fidei, & alibi propendentẽ. Cum Polonis interim omni quà tractatuũ quà armorũ experimento abstinendũ; in suspenso habitis consilijs, aut elusis, cunctatione; donec vtrorũq; vires in expedito sunt. Dum à milite Suecorũ invaditur Prussia, iure belli acquisita bipartito cessura; scilicet Balthico mari cohærentia Suecis; dominium Vkraynæ penes Cosacos tranquillo vsu fructu firmabitur: Præsens literarium instrumentum, vbi probè lectum & intellectum fuerit protinus exurendum; nè fortè neglecta arcani curâ, aut asservantis incuria evulgatum, opportunitatem agendi pessundet. Datum Stokolmiæ die 30. Maij. An. M.DC.LII. Pauca adiecerat ad Wyhovium Tribunosq; : quovè sociandis armis maior instinctus esset, Orientales Russæ Ecclesiæ ritus, summoperè placere Regnanti Sueciæ dixit; gnarus illicio æstimatæ religionis, animos mortalium validissimè moveri, trahiq;. Vbi verò ex contentis patuit, Civẽ Patriam, ac Ministrum Principem suum abdicasse; elanguerat agentium pro eo fervor, cunctis novum Poloniæ Coriolanum, perduellione aperta maculosum, detestantibus: repertis nihilominus, qui confictas obiectiones asseverarẽt, quatenus Exul novissimo casu protereretur. Sed isti clã, nec nisi per emissaria scripta. Aderat sub hæc nõ nemo qui è Suecia in Transilvaniam divertentem Radzieiovium, à subornatis siccarijs in itinere iugulatum vulgaret: eâ affirmandi pervicaciâ, vt exangue interempti corpus, depositum Belzycijs se vidisse, vel tradito pignore contenderet. Ac nè quid pro causa aut cõtra dixisse videar, circumlatam tunc Apologiam subiungo vt totum de rei veritate iudicium lectori maneat. Sensus talis erat. *Duo sunt, quæ desperatas reorum causas tueri solent; ex innocentia absolutio, aut ex fuga præsidium. Et innocentûm quidem nemo alea damnatus est; vbi ad humana Tribunalia ventum, vt clarior Iustitiæ candor sit, per temporis interstitia defæcandum; exclusa feren-*

1652. *sa ferendæ sententiæ præcipitantia. Inter pares quidem vbi iure disceptatur, aliquando vacillat, quandoq; iusta causa triumphat: si cum superiore contendis, evalescit per moras veritas, despumatoq; iræ ac odij affectu, sinceriùs admittitur invisi capitis defensio. Ita irati Saulis præiudicio David succubuisset, nisi confragosis montium abditus, aut Hæthea in aula specie desipientis sapuisset: Sieciechus in Polonia, vbi ad scopulum disgratiæ Aulicæ offendit, in exilium abijt, sperans fore, æstimatione innocentiæ, postliminio Patriæ restituendum. Nec disparem abscessus Radzieiovij causam, vt minus quo remotior ab igne vereretur; & qui probè sciret, longas & graves Regibus esse manus. Eò consilio decessisse Patriâ, Regiâ, Tribunali, Domo; vt tandem per intervalla temporis, in melius dispositam clementiã, opportunâ vulneri patientiâ emolliret. Itum dehinc ad amicam Cæsaris Aulam, prehensasse Gallicam intercessionem, Pontificis imploraſſe suffragium: vbi tanta media cooperantur nihil, ivisse in Sueciam, vt longinquum dirimente freto exilium, ad commiserationem efficaciùs, vel saltem ad securitatem tutius foret. Eius demum Regni Reginam deprecatricem exambiviſſe, propinqui sanguinis necessitudine Regi devinctam; cùm pars generosæ humanitatis censeatur, sequiori sexui tribuere ea, quæ viris negarentur. Hîc receptum misero datum, vt conciliaret non irritaret Principis sui affectus. Ast perduellem eum, ex solicitatis in exitium Patriæ hostibus? Minimè vero; quippè non ita natum veterrimæ stirpis Civem, vt exuto natalis soli amore, optimæ Matris cui omnia debeat, in instanti oblivisci potuerit? Nõ ita formatum virum ac Ministrum ingenio perspicaci, vt grandis momenti negotium, in fide homuncionis planè nihili reclinaret; patescente arcano, non modò indelebili nota proditor suorũ; verùm etiam innocentes filios totamq; domum subversurus. Ast si nucleum exprimere datur, hoc in rei veritate fuit. Insistentem medijs, quibus Regis sui gratiam repararet, concredidisse Iasienio, iam tum Ministerio suo valedicenti, syngraphas seu chartas puras, subscriptione manus firmatas; salutandis aut exorandis in opitulum amicis, quæ ex vsu & opportunitate, à fido vt pu-*

1652. *tabat latore, scripto inaratæ exhiberentur. Factum inde, vt quæ in adminiculum sui erigendi Exul servo nequam crediderat; ea à proditore in instrumentum subvertendi Heri disponerentur, contentis adulterinis imbutæ. Nam cur lator non obliquo extra Poloniam itinere ad Cosacos deflexit? aut per diverticula viarum, Lithuanico limite aut montanis recessibus, ivit? Sed Varsavienſi tractu, via Regia oberrans, vltro se cæpientium manibus insinuavit? Iam verò consultò obvius, sponte confessus, nihil virilè dum manus injcitur ausus, arguunt ab æmulis corruptum, & Heri proditorem extitisse. Quod si in delatione homo nefarius perstat, exhiberetur vlterior criminis probatio; excuterentur circumstantiæ, admitterentur testimonia, daretur tortor & equuleus, quibus tandem expressa veritas, dolosas impostoris artes retegeret, aut invisum semel reum convinceret, infallibilibus perfidiæ argumentis. Verùm hic absens & inauditus per legem publicam damnatur; ad latus fovetur servile ingenium, & specie detenti præmia proditioni expectat. Quod verò Regnum Reginaq; Sueciæ, facto commentitio prætendantur, id planè tam à vero abesse, quàm sit propè iniuriam. Quî enim credibile fuerit, tam subitò advenam, in arcana Status Regni illius immigrare patuisse; vt penes Exulem Polonum, manerent arbitria rerum, in Curia Suecorum. &c. &c.* Talia sparsa, quibus autor ignarum se cuiusquam contra Patriam moliminis, & inter liquidissimam innocentiam, ac sortis iniquitatem destitutum, acerbè querebatur. Interim lex in Comitijs lata, quâ in pœna perduellionis condemnatus Exul. Eius summa. *Dei beneficio factum, quod Ioannes Iasienius, Hieronymi Radzieiovij familiaris, missus cum literis eiusdem Domini sui, manu omnibus nota subscriptis, ad Hostes Regni, pernicioſa consilia ac molitiones in perniciem Reip: continentibus interceptus fuerit: ijs malè affectus in Patriã autor, præter commissos in anteactum excessus,* Cointelligentias *cum Rebellibus init, secreta status pandit, ac media modosq; hostilitatis contra Poloniam suggerit, mutua auxilia exposcit, & ad coniunctionem armorum contra Remp: solicitat*

1652. *& vrget: quo ipsa facto perduellem se demonstrat. Proinde eiusmodi instrumentis literarijs, in frequenti Ordinum consessu palam lectis, & commonstratis, consilium statuum nostrorum vnanimè secuti, nè is idem malitiosus, ac perfidus, erga Rempub: verò ingratissimq; homo, locum inter honesti amantes, ac fidem nanciscì queat, eundem pro perduelli Reip:, hoste Patriæ, & perpetuo infami declaramus, & iudicamus Conventus præsentis autoritate. Nihil derogando honori & bonis Fratrum eius, ac salvo iure omnium Creditorum.* Eo tum perculsus, magnum nuper in aula nomen Radzieiovius anathemate, codici legum inserto & manente; donec post restitueretur in integrum. Verum est, dum merita crescunt, dormiturire in Aula gratiam, adversùm demerita nimisquam vigilem. Non abs re monitum.

Dissimula, simula, servi benè, sed malè fide
Deniq; nulla bonus, vir tibi dona pete.

Iasienius ex quo res novas moliri compertum, aliquandiu sub custodia detentus, post Mariæburgum amandatur. Nescio quâ ergastuli eius proprietate, vt velut flumen Lethes, tam facti, quam facientis inducat oblivionem. De instituenda militari disciplina, multis in Comitijs & acriter disceptatum, nimisquam dissoluta ea, ac in licentiam rapinasq; discincta. Cùm attritus & egens miles, contractam ex casibus belli inopiam levaturus, oberraret dolendis circuitibus; stationes, subvectiones, alimoniam, exigeret; & quo ipse ab hoste habitus modo, eo miseros ruricolas tractaret. Neq; tantum Regijs & spiritualium bonis gravis, etiam per hæredia, simili licentiâ grassabatur; quæ per legem eiꝰ oneris immunia sunt, vt porè Nobilitate ad servitiũ militare, obstricta. Magno tunc experimento compertũ, brevi adulta quamvis vitia corrigi posse, si quæ, per legem optimè sancita, haud irremisso exequentis rigore, in effectum deducantur. Aſt, quia in præsens sine Duce, sine stipendio exercitus; neq; Legionum Præfectis corruptam disciplinam reducere intra orbitam possibile erat; detrectãte im-

1652. perio, ob non solutum æs milite; & qui blandimentis, nedum congruo rigore intra signa contineri quivit. Ex ordine tamen visum, intentione si non effectu subvenire, malo, ac scripta lege vagos licentiosi militis discursus ac rapinas, sanè dolendas, cohibere. Nam quòd non aliud hostis vellet, aut faceret, nisi diripere ac vastare inimicæ gentis agros; id proprius miles præstat, desolando quæ armis tuenda suscepisset. Certè miserabili Colonorum sorti indolendum, vt non ineptè quispiam Poloniam *Infernum rusticorum* dixerit. Quotidianos isti Heris labores præstãt, ac sub diversis dominatus vocabulis, despoticè habentur: rursùm collectas agrarias, rastrales, fumales, capitum census, & quæ alia contribuendi genera sunt, exolvunt; cùm gravior publicis exactoribus miles, absumit & depascitur, quidquid miseri pro se ac familia servabant. Neq; satis; cohors vna transit, transit & altera, supervenit quandoqué decima, omnes alendæ sunt, dandum cunctis: quodsi nolit aut non possit, malè mulctatur à diversitore hospes, ac quandoq; insolens Lixarum genus, rem aufert cum pulvisculo. Diffugientibus vbi oneri impares agricolis, desolantur rura, rarescunt odpida, agricultura deseritur, mercatura cessat, vacant artificum officinæ; insuper Heris reditus, publico decedunt tributa, diuturniore à milite proprio desolatione, qualem hostis in tempus perfunctoriam Præstaret. Haud ignota loquor, activè & passivè expertus. Sequentibꝰ annis Dei beneficiũ erit, quando Regnantis felicitas, aut Ducum ingenia disciplinam militarem, simul conservandi agricolarum status rationem reinducent postliminio, stabilientq;. Etiam quo exolvendis stipendijs, faciliùs pecuniæ publicæ expederentur, partiri Exercitum in Palatinatus placuit: vt respondente quantitati Contributionum, militum numero, Commissarij per Provincias delecti, iuxta censum armilustrij cohortibus exolverẽt. Eum salarij militaris modum, multi tum vtilem Reip: censuêre; etsi non nihil ex procuratione Quæstorij muneris detra-

1651. detraxiſſe videretur. Demum evenit, quòd ſemper ſolet res novas ac recens inventas novitate ſua ſapere, protinùs abrogandas: conformi publicorũ conſiliorum virtute floribus, qui quamdiu recentes, tam diu grati. Qui tunc ius Nobilitatis Polonæ conſecuti, memorabo, cum præcipuũ Annalium munus ſit, vt heróicos actus, ita agentium perſonas, brevi nomenclatura ſubnectere. E præcipuis erat Franciſcus Hermannus Saxoniæ Dux, Matre Brandeburgica natus, veterrimo ex vtraq; linea progenitorum ſtemmate. Quæ enim alia hac Electorali ſtirpe antiquior? quæ tot editis magnis Principibus fœcundior? Saxones Orbi ſuperfuſi Anglos ſubegere; Cimbricam Herſoneſum poſſedere; ab Ottone magno Occidentis Imperatore; à Videkindo per Capetos Francis Reges dedêre; Sabaudicam domum æmulam Regibus fundavêre: demum interlapſu ſæculorum, quæ magnis familijs periodos inijciunt, nihil imminuti, pro Primicerijs Electoralis Collegij agunt, duratione, vltra aliarum Proſapiarum fata, memorabili. Hic igitur Princeps, in gremium Campi Dominæ libertatis publico diplomate receptus, ac honorum bonorumq; Patriæ capax declaratus; vbi prævio fidelitatis Iureiurando, ſe intra viſcera Regni novus Civis contuliſſet. Quis crederet, adeo calamitoſam Poloniam, à tantis municipibus exãbitam? & cuiꝰ multifariam afflicta ſalꝰ, vt in eius decora, tranſcribi externi ſatagerent. Belligerante olim (vt nonnihil cum venia Lectoris deflectam) in Italia Pirrho, quòd locus quùm Caſtris hoſtis Rex inſederat, emptorem inveniſſet, prodigij locum meruit; magis mirum, cladibus, peſte, externorum conſpiratione agitatâ Poloniâ; repertos nihilominus, qui veterem Patriam addicando, Regno vndecunq; afflicto incorporari præoptarent. Ftſi mirari magis, quàm ambitus cauſam aſſequi licet; cur è Ducali Familia Princeps, cuius ſtatus ſupremæ poteſtati immediatè ſubiectum ſe ferat, æqualitati Iuris ac pœnæ, quibus libertas noſtra conſtat, ſubijci volverit; innato Regulis Germaniæ

Indigenatus Franciſ. Saxon: Dux.

niæ faſtu, & privati decoris æſtimatione, externa faſtidientibus. Eodem Equeſtrium albo recepti, Ioannes Vdalricus Schaugotius, ac Chriſtophorus Houvaltus, Nobili domo è Suecia oriundus, ſed qui ſub Cæſareis ſignis, per militiæ gradus ad honorem Generalis Excubiarum evectus; tãdem fida & ſtrenua anteactis prælijs, Regi Polono operæ approbata, pro Indigena Regni recipi meruerit. His adiunctus Nicolaus Conſtantinus Giſſa Franconicus, Prætoriæ legionis (Guardiam nuncupant) Pro-Tribunus. Itidem Claudius Perpeſsius Gallus, adnitente pro conterraneis Regina, magis quàm ex meritò cooptatus. Non ferendo ingenuæ genti opprobrio, vt quæ decora Maioribus virtute & ſanguine ſtetêre, ſuffragijs privatorum aut diſpenſatione Gynæcei, partirentur. Verùm iam hic animorum habitus, aut perſonarum ſors fuit, vt plectrum Citharædi, aut fuſum lanificæ, haſtati militis cuſpidi prævalerent. 1652. Schaugotz. Houval Giſſa. Perpezy

Moritur eodem anno Matthias Łubienius, è ſtirpe Pomianorum Archiepiſcopus Gneznenſis ac Regni Primas, vltra Octogenarium ætate provecta. Is Matthiæ Pſtrokonio olim Regni Cancellario, probi ac priſci moris avunculo promotionem, virtuti ac rectitudini ſuæ gradum honoris debuit: Matrem almæ fœcunditatis nactus, quæ præter hunc, tres alios Preſbyteros genuiſſet. Profeſſum eum Miechovienſis Cænobij Præpoſitum memorant, vnde per aſcenſum aliquot Cathedrarum Præſul, ad Gneznenſem demùm Tiaram tranſlatus fuerat. Vir boni & æqui amans, opum vt tales ſolent non avidus, & qui Clerum intra orbitam pietatis ac modeſtiæ, exemplo vitæ continuerit. Fratrem Staniſlaum habuit Płocenſem Epiſcopum, Hiſtoricis Lucubrationibus illuſtrem. Ex familia Equeſtri in Senatum adſcitus, ampliſsimi Ordinis vocationi reſpondit, cõcernentibus regulam vitæ negotijs par, impertinentibus haud quaquam immiſtus. Domum Łubieniam neq; dignitatibus, neq; opibus invidioſis auxit; etſi probitas ſua apud Reges in pretio eſſet; viam qua creſcerent, contentus Łubinſki. Pſtrokonſki.

1652. tus per merita monſtraſſe; cætera fato merituro rum committens. In ſede Primitiali Ioanni Węzyk ſucceſsit, animo
Węzyk. & integritate Præceſſori ſimilis, curſu vitæ ac Præſulatus adminiſtratione longævior. Suſpexêre Reges gravitatẽ Antiſtitis, Clerus modeſtiam exemplaris imitatus eſt, vt ferè omnes Sphæræ reſpiciunt curſum primi Mobilis. Regem Caſimirum coronavit, eundemq; extremis tabulis Teſtamenti Executorem ſcripſit, non quòd relictæ opes, non poſſent habere diſpenſatorem, niſi Principem: ſed vt tanto præſcripto nomine, innocuum ſe à corradendis illis, quas vix vllas reliquerat, teſtaretur. Succeſsit in Archiepiſcopatu Leſzczynius Regni Cancellarius, poſt quem curam
Leſzczyński. Sigilli maioris adeptus Korycinius Vicecancellarius: huic
Korycinski. rurſum ſubſtito Andrea Trzebicio intimiori tunc ſignatu
Trzebicki. ræ impoſito. Chełminenſis dein poſt Leſzczynium Cathe-
Gembicki. dra, Gembicio Regni Secretario collata fuit. Aſt regimen Exercitus cui committeretur, diutius expectantes detinuit, deliberante Rege, ac omni Aula quis tandem potiretur arrecta. Cùm interim Staniſlao Potocio Podoliæ Palatino Rex confert, Minorem (vt vocant) ſub nomine Campiducis clavam, ſupremâ armorum Præfecturâ penes Regem manente; abſconditis tunc, cur retineretur cauſis. Certè ſi vnquam, tunc larga copia ſuppetebat Regi, diſtribuendorum munerum, qualia vacantias dicere mos obtinet, multis illuſtribus viris bello, aut alia lethi via extinctis, Collatæ tunc fuêre: Ruſsiæ, Landzkoronio; poſt Simonẽ
Landzkoronski. Szczavinium, Thomæ Fratri Breſtenſis; Petro Potocio Ca-
Szczawinski. meneci Præfecto, Bracłavienſis, Chriſtophoro Tyſzkievicio
Potocki Tyſzkiewicz. Czerniechovienſis, Palatinæ dignitates. Munia item militaria, qui non obſcurè ſago meruerant data, Stephano
Czarnecki. Czarnecio Caſtrorum Præfectura; Ioanni Sapiehæ Campe-
Sapieha Potocki ſtris Notariatus; Winnicenſis Præfectura, Andreæ Potocio, recenti ſubductarum à Boryſthene legionum merito. Etiâ ſe ijs Comitijs in publicam conſiliorum materiem ingeſſerat Ioannes Weyhardus Comes à Wrzeſzowicz Bohemus,
Wrzeszowicz

Salinas

Salinas Cracovienſes conduxerat, deſcripta cautione pacti, reditus illarum, ſtatis temporum vicibus, paratâ pecuniâ 1652.
ærario Regis inferre. Dehinc rationibus œconomicis minus intentus, vbi per immenſos ſumptus in luxum, ac lautitias reditum earum exhauſerat, exolvendis penſionibꝰ (Ratæ dicuntur) impar, locationem abdicare cogebatur. Itaq; improvidæ villicationis ſerò commonefactus, illatas ærario regali pecunias repoſcebat, vt quas ſupra perceptorum rationes expendiſſet. Contrarium deduxêre qui à rationibus redituum, repetundarum indebitè agentem refutando. Vnde Wrzeſzovicius ſuâ ipſius incuriâ aut prodigalitate afflictus, ſalinis cedere debuit; dum Polonia abit minax, damno ſuo apud hoſtes Regni demùm conſulturum.

Sub finem Comitiorum Coſacorum Nuncij comparuêre, magna omniũ expectatione, quid novi ex Affrica illa nõ infœcunda monſtrorũ genitrice, adferrent. Vetus fermentum erat. Batovianâ clade inſana Thymothæi violentia, Thymoteſzek.
ſteterat aliquantum, vbi meditatas in Valachia Nuptias, exequutum perrexit. Qui, ſi bellum tunc proſequi quam Hymæneo inſiſtere maluiſſet, eodem impetu & recenti famâ, vniverſam Poloniam concurere haud arduum fuit. Aſt dum procatur, tempus recolligendis viribus ac opportunitas in reſiſtendum enata, videri potuit. Iam verò Pater Bohdanus extinctis quos odiſſet, conſcium ſe cladis negabat, increpito temeritatis Filio; quem excuſare arduum ratus, provocatum aſſerebat, vt cui peregrè eunti Poloni inſidiando occurriſſent. Enimverò ita natꝰ ille, vt in omnes figuras mutari valens, nihil tutius calidâ ſimulatione exiſtimaret. Proin, quotquot Polonorum ex clade ſuperſtites nactus, velut ſortis miſereſceret, veſtitu ac viatico inſtructos, liberos dimittebat. Sub hæc cum ingentibus copijs, ad Winniciam ſubſiſtens, quæ offenſæ Poloniæ molimina, ſimul & Valachicarum nuptiarum ſucceſſum, iſthàc operiebatur. Quem actum vt ſolenniorem redderet,

1652. Hanum Crimenſem cum primoribus gentis, ad diem XIX Iunij iuxta Calendarium vetus; eoſdem rurſus, dum filiam tradere tergiverſatur Valachus, crebrioribus in maturandũ adventum nuncijs, impenſius compellavit. Quippè Baſilius antemiſſos proxenetas, non in totum feſtivè accipere viſus, ſcripſeratqué requirentis in modum Thymothæo. *Pronuba Bellona minùs dextrè coniugalem amorem conciliari, qui pacatis rebus ac animis gratior, bello inarmareſcat; ac ſaltatorios orbes ab armatis legionibus impeditè decurri. Si Gener Soceri rebus proſpectum vellet, Scythas malè hoſpitaturos diſtineret; Coſacorũ impertinẽtes catervas dimitteret; retentis quãtum ſatis familiaribus. Patri deniq; regrediendi autor eſſet; Tum demùm effectu affectum operante, Filiæ ſuæ iungeretur.* Quæ comperta, Patrem Bohdanum pertraxêre, vt dum Scytha recenti præda animatus, Tyram propè degit, etiã ipſe à Winniciâ ſolvens directo itineris flexu, cunctabundæ ad Nuptias Valachiæ minaretur. Subinde expedierat Nuncios, conſultò ſeriùs Varſaviam venientes, vt iſti quid tandem ab offenſo Regno ſperandum, intimius explorarent. Nihil adferebant, præter ſolita & inania: obteſtationibus diras, diris lachrymas, his rurſum deierationes miſcendo, quo ſe Ducemq; cladis perpetratæ ignarum teſtarentur. Qui poſtulata eorum exciperent, è Senatu, etiam Equeſtri ordine delegati ſunt: faſtidiente Rege toties recoctam cramben ad ſe reijci; & Ordinibus vbi circumſtantias ſuſpenſa concluſione expendunt, protractum tempus in lucro ponentibus. Pro maxima ratione innocentiæ ſuæ literas commonſtrabant ad Kalinovium, à Chmielnicio, nõ præmonente modò ſed obſecrante datas, nè Thymothæũ in Valachiam iturientem præpediret, ac licentioſum Scytharum agmen, quà vellet tranſire pateretur. Id quidem literarum folium, intra laciniam veſtis cæſi Kalinovij repertũ; Patri tranſmiſſũ narrabant, ab exprobrante Filio nõ paterno affectu initam, cum inimico vtriusq; in caput ſuum conſpirationem. Aderant inter delegatos Cancellarius,

Regni

Regni ac Senatorum pleriq;, qui graviſsima paræneſi, tot molitionum in Regem optimum, ac Patriam redargutos, figmenta tantùm verborum adferre demonſtravit, & quæ rabidi Crocodili natura eſſet, interempto demùm homine lachrymari. *Fletũ quidem (*aiebat*) facilè comminiſci, at ſanguinis humani alius color & duratio eſt; qui innocentèr fuſus, dum de terra clamat, cælum incunctanter in vindictam provocat. Itanè verò tot periurijs Numinis læſi, ac cruentatæ Patriæ nefas, extemporaneo fletu emaculare arbitramini? Minimè? diſperdet Deus gentem doloſam, & quæ comitatæ fratricidam Cain furiæ, eædem innocui ſanguinis reos, in ſuis latebris exagitabunt. Attamen Regem optimum, magis quid benignitas ſua poſſit, quàm quid demeruerint experiri velle: in quem finem miſſurum Commiſſarios, qui cauſis convulſæ tranquillitatis publicæ perveſtigatis, Commiſſioni locum ac tempus condicerent. Ex effectu demùm palam futurum, lachrymas quas nunc fundunt, an ſincera patratorum pœnitentia, an ementita in tempus ſimulatio expreſſerit? Satagendum interim, vt non tantùm inſcelus viri ſitis, neque ſolummodo in Patriam armemini.* Ad hæc illis ſueta vertigo, cùm diverſa non modò ſentirent, ſed efferrent: plerisque Procerum haud diſsimulanter faſsi, ſi à ſpe indulgendi excluduntur, externum adverſùs potentiã Polonorum patrocinium, haud ægrè inventuros. Etiam Chmielnicius tunc ad Marchionem Myſzkovium Sandomirienſem Palatinum ſcripſerat, eo ſenſu. *Cecidiſſe Campiducem ſuâ non filij culpâ. Ergo dum petitur per inſidias innocens, ad arbitrium ſævientis Tyranni, remitere manus debebat? Iuſtè bellat quiſquis defenſivè in arma cogitur: iuſta autẽ & pia arma credere fas, quibus nulla niſi in armis ſpes relinquitur. Quam verò Kalinovius per omne militaris Præfecturæ tempus, inhumanè cum Coſacis egerit, vetera quidem tranſmittere, recentia non poſſe. Ille nuper infeſtiſſimo anni tempore, Vkraynam invaſit, invaſam diripuit, direptam excidio, quantùm in illo erat, deſtinavit. Bereſtecij latifundia, ab illo tumulis exagerata, lacus, campi, nemora cadaveribus conſtrata, quæ veri-*

1652. *to ſepeliendi officio in tabum reſoluta, aut in eſcam feris, inhumanæ feritatis documentum mansêre. Ad Biała-Cerkiew vt paci infeſtus, tot non niſi Coſacos victoriæ ſuæ ſuperſtites volebat, in quos trucidandos, vires ipſum ac ferrum deficerent. Per exactam brumam, vt in ſubditos, vilia ipſi capita irreconciliabili odio ſæviit; etiam in ſe qui hæc ſcriberet ſtructis inſidijs; animo implacabilis, irâ tumultuoſus. Poſt homines nec templis parcitum, aut Divum altaribus, quibus ſpoliandis, vbi prætiũ ex ſua paupertate deeſt; ſublatæ miniſtræ ſacrorum campanæ, vt quæ populum æris ſono ad divina vocabant, dehinc ſacri lege in machinas refunderentur. Enimverò factum, vt qui provocaverat diſcrimen in eo caderet; iviſſe namq; Filium, contrahendis in Valachia nuptijs; Campiducem ſtabilimento Iuvenis invidum, infeſtis cum ſignis occurſaſſe eum in finem, vt vel conditum matrimonium impediret, vel ſi id minimè poſſet, vitam eriperet contracturo. Ita nuptiales tædæ, fumo impedientem offuderunt, & thalamo deſtinati ignes, tot hominum cædi prælurêre. Reparaturum nihilominus crimen Thymothæum, in quod lubrico ætatis prolapſus, ſi ignoſcitur: ſi vltio imminet, timendum nè ex deſperatione ferox aliundè pararet cauſæ præſidia. Cùm vel inimico iudice palam ſit, non magis Campiduci inſontes laceſſendo defuiſſe conſilium; quàm irritando armatos, fortunam.* Hæc inſultans magis quam excuſans, in ſceleris patrocium, privatis ad Proceres literis, ſed falſo: cùm nihil mirum ſit, toto plauſtro convitia ſpargere eos, qui nihil vnquam rectè facere didicerunt.

Memorant Galliæ faſti, Spinolam celebrem Exercitus Hiſpanici Ducem, nunquam in conclavè Catholici Regis vocatum, quin ſtatim qualiacunq; proponerentur, in hæc verba ſententiam promoret. *Ego Rupellam liberari oportere exiſtimo.* Similis ſenſus & appetitus in Camenecũ Chmielnicio, nihil ſibi agere viſo, niſi eo potiretur. Nam ſeu abeundum Vkraynâ eſſet, hàc pergebat tentaturus; ſeu à bello domum rediret, Camenecum velut coronidem aut pretium operæ ſibi deſtinabat. Ac licetſi potiundi deſiderium,

rium, multo ſuorum cruore conſtaret, aliquoties tentatum; 1652.
etiam tum intenderat curam, adeò, vt ſuperbus homo non erubuerit, nec dum coalitis filij Nuptijs, vtrosq; Neoſponſorum, Camenecum ad celebranda repotia invitare: eandemqué Nurum ſuam, Principem ſeu Duciſſam Podoliæ ſcriptis literis appellando. Arctæ pro eo tempore Cameneci res, graſſante per circumfuſam oram peſte, vnde intermiſſa re ruſtica, commeatus neceſſarios in ſummam cariſtiam proferri neceſſum fuit: ſub exitum veris maximè, quando far omne in ſemina converſum, victualium anguſtiam ordinariè importat. Aberat quin etiam Præfectus loci Potocius, Morawiecio, in tempus præſidiarijs impoſito; nec pro ſolito more Nobilitas Provincialis Vrbem tuebatur, metu contagij peſtiferi, potioribus dilapſis. Attamẽ intellecto obſidium minari hoſtem, accitæ in curam tuendi quatuor cohortes ſunt, quando plures inducere alimentorum inopia non ſivit. Vbi deſtinatum tentare fortunã, more ſuo ad obſeſſos Chmielnicius literas præmiſit, terrens aut mulcens; & quæ alia ad labefaciendam conſtantiam putavit, pro ſuo magis, quâm incolarum ingenio. Reſcripſêre Camenecenſes, maximè vbi obrutam cladibus, & exhauſtam viris Poloniam exprobrabat. *Probè conſtare ſibi, qua viciſſitudine res humanæ verſantur, ſed neq; ignorare, milites Cadmæam ſegetem eſſe, quæ terræ mandata multiplicem producat meſſem; etiam Matronas Poloniæ, in eam diem, non adeò deſperatæ fœcunditatis videri, vt ob cæſam bello aliquam ſuorum manum, Matres eſſe, ac filios armis tractandis gignere deſinant. Interim Camenecum non in murorum firmitudine, aut humanis auxilijs; ſed in ſolius Dei adiutorio fiduciam reponere. Meminiſſet Chmielnicius Deum æquè miſericordem ac iuſtum; aleam verò belli ſæpè alias variabilem, nec ſemper dextrũ ſenionem iaci.* Brevi poſt reſcriptum, vbi per adſitorum collium crepidinem, ſuggeſtus excitaverat, è machinis in vrbem fulminavit, minax magis quàm nocens; etſi adſtrepentibus Tribunis in ſpem erigeretur: etiam transfugis, Morawiecz.

ſub

1652. ſub abſentiam Præfecti ac Nobilitatis, tempore ac conſe-
nua vi facilè in deditionem ſemiparatam vrbem flecti poſ-
ſe, adulando promittentibus: Superſtat, quâ in prominē-
tia rupes tumeſcunt, delubrum Kieſienia dictum; hîc re-
perta in declivè convallis ſemita, flagrantiſsimos è ſuis, ad
invadendas ſub noctem munitiones ſubornavit; vt tenebra-
rum beneficio vſi, ſi vrbem primo impetu invadere haud
poſsibile, at ſaltem in convalli ſubitarium excitarent pro-
pugnaculum, vnde infeſtari latus vrbis, nec citra nocumē-
tum machinæ exploderentur. Nam, etſi arces in plano po-
ſitas priùs aggrediendas iudicaret; attamen animos ac
ſtrenuitatem Præſidiariorum expertus, huc ſe vertit, refer-
tam imbelli populo & ancipitem præſenti peſte vrbem, de-
ditione ſaluti conſulturam ſperando. Iamq; aliquid per
noctem moliri cœperat, cùm retecto à vigilibus conatu ab
vrbe proruptum eſt; factoq; in molientes impetu, vbi re-
fugere in rupem arduum, & ſubmittere auxilia impoſsibi-
le; ad 400. hoſtium cæſi, capti complures, inter alios Scri-
ba ex intima Ducis admiſsione. Interea dum ſpes torquet,
& deſperatus labor animos ſubigit, peſtis Coſacorum e-
xercitum corripit, acriùs per contagionem ſæviente malo;
vbi ex circumſita ora prædas convehunt diripiuntq; ; ni-
hili reputantes infecti áèris virulentiam. Quo divinitùs
immiſſo ſupplicio cadebant, catervatim in momenta ex-
tincti: dumq; vivi ex ſociorum ſepultura, lue inficicavent,
inhumata paſsim cadavera iacebant, vel in ſubiectas vrbi
valles ſudibus trudebantur. Noradinus interea in Soro-
cenſibus campis, ſubſiſtens, (à Baſilio evictus donis hinc
muneranti æquior) Chmielnicium, vt Camenecum in no-
men Imperatoris Turcici, promiſsis fidem facturo redderet,
identidem requirebat. Tergiverſabatur ad ea vanus ſpon-
ſor, quoad conciliatæ Thymothæi nuptiæ; dein omnibus
ſimul infeſta peſtis, tot armatorum agmina diſſolviſſet. So-
luta obſidione, Chmielnicius, congreſſum Scythæ ſubter-
fugere cœpit, rationem prætendens, nè commercio alteri-
ùs, al-

ùs, alter exercitus inficeretur. Propè erat, vt qui nuper in- 1652.
vitati ad nuptialem actum, amicos oſtendebant; iam nunc
explendi promiſsi effectu impoſsibili, labefactatâ penitùs
amicitiâ, domum infenſi abirent: niſi ad ſolita Barbarici
favoris retinendi media recurſu facto, miſſus Czechryniâ
Wychovius, iam ſumma æris ingenti in parato: in alterum
tantum ſyngrapha obligante, ea demum largitione Nora-
dinum faventem retinere profeciſſet. Etiam, vt notabili
remuneratione præcipui quiq; Scytharum ſuſcepti laboris
pretium ferrent; ijs omnem in adſita Tyræ ripa incolarū
elargitus eſt; ſed aſtutè, prius eoſdem incolas, de regreſſu
in Tauricam ſociorum præmonens, qui ſi pacatè emigra-
rent, vtcunque neceſſarijs ad victum provideri; ſi infe-
ſti eſſe pergunt, clauſis municipijs vim repellendam, im-
peraverit. Vnde expugnationibus Caſtellorum inſueti Scy-
thæ, dum minas à municipibus temni vident & incumben-
tium à tergo Coſacorum, armatam moram ſuſpectant, de-
ceſsêre frendentes Vkraynâ; ſobria gens, & quæ innatæ ſo-
lertiæ multùm debet, tum à commilitantibus ludificata.

Solutis demum Comitijs non abitum in diverſa, ſed di-
ſcurſum eſt; vsq; invaleſcente peſte, vt horto Præfectus
Regio extingueretur, vnde Rex à malo inviſibili & cui nul-
la perſonarum acceptio metuens, Varſaviâ cedere debuit
Łovicium demigrando; quòd temperatior ibi áèr, ac non
dum infeſtatus, cuſtodijs ac remedijs præſervaretur, quæ
duo ſævientem vim cóèrcent: ibidemq, in adultum vsque
autumnum commoratus, Leſzczynio novo loci domino,
præbente magnificum Principi hoſpitium. Sanè nullam
tunc Provinciam omiſit peſtis intactam, quæ etſi vicis ac
mappalibus haud parceret, minore tamen ſtrage inter ru-
ricolas graſſata, dum hos non oneroſæ opes, aut gravis in
mutationem loci ſupellex morantur: Cives contra ac op-
pidorum incolæ, muris ſuis velut carcere clauſi mercimo-
nijs aut facultatibus timendo, minus vitæ proſpiciunt. Sub
exitum demum Novembris remittere malum cœpit, per-

1652. aſperrima frigora vim ſuam exerente bruma, vel quod ſatius crediderim, vbi tot mortalium ſtratis capitibus, reliquis miſerentis DEI beneficium parcit. Hinc varia præcipuè à Magiſtratu Cracovienſi nuncupata Numini vota ac gratiarum actiones, inſtituta per circuitum Fori Proceſſione, ſub Feſtum abſq; primæva labe Conceptæ VIRGINIS MATRIS.

Zacwilichowſki Czerny.

Lovicium abeunte Rege, mittuntur ex Senatus conſilio ad Coſacos Nicolaus Zacwilichovius, emphiteuſi villæ Ianuſzovice recenter auctus, ac Zigiſmundus Czerny, ante bellum ſub vice Præfecti nomine Białocerkwæ impoſitus, vterq; vſu rerum ac fide cogniti, vt rebelles populos in officium Maieſtatis debitum, ſuaſu impellerent. Cùm tempori ſe dare quandoq; neceſsitatis ſit, ſæpiùs prudentiæ. Iã verò per ablegatos reſciri poſſe quid hoſtis ageret? quidvè moliretur? ſi reſipiſcit, ſuaſu & ſpe mẽliorum ad ſanitatem mentis trahendum; ſi furere pergit tantiſper retentandum, donec vis adæquata, opponi queat. Agebat tum Czehryniæ Chmielnicius, à quo non prorſus inhumanè illi accepti, vt qui ſemper in ſalutando effuſus, in valedicendo aſper, vbiq; nimius eſſet. Admiſsi in colloquium diſſeruêre; quibus luſtro amplius malis Polonia ſuccumberet, ac mirum quomodo tot cladibus attrita, in mutuam rurſum perniciẽ armari valeat. Vbi verò Batoviana clades in mentionem venit, eam æquali partium culpâ interveniſſe noſtri dixerant; ſeu potius cæleſti ira, dum ſuper vetera odia, recenti æmulatione Ducum optima conſilia corrumpuntur. Sentire iam quid vtriſq; noceat, ac reciprocantibus cladibus feſſos eniti oportere, vt externis armis Rempubl: liberarẽt. Nomen Coſacorum per bella vicinis innotuiſſe, quominus per pacis artes clareſcat, & obſequij gloria celebre evadat, enitendum Regem, & Patriam, amoris nomina eſſe, pro quibus ſtringendum ferrum, ac fundendus ſanguis, non contra. Dicentem ea Czerny vt erat elimato vir ingenio, Chmielnicius interpellavit; præcisè ex Zacwilichovio

vio percunctatus, vt quorum cauſa miſsi, ſine ambagib⁹, aut tædioſis proæmijs ediſſererent. Ad ea Zacwilichovius, cui militiæ innutrito ſimulandi artes deeſſent, deprompto è ſinu literario inſtrumento, mandata Regia oſtendit, nempè impoſitum ſibi negotium eſſe, vt quæ Internuncij Cozacorum à Rege in Comitijs petierant, iuſſu Maieſtatis cũ Collega in effectũ deduceret. Ad hæc faſtuoſè Chmielnicius. *Si hoc tantùm attuliſtis, non erat cur mitteremini. Commiſſionem ſi Rex indixerit, ſuo prorsùs iure faciet; ſed ita à Coſacis acceptandam, vt pactionis Zboroviana contenta, de toto & in ſolidum manuteneãtur: Polonus Vkraynà decederet, nec exitioſa Coſacorum libertati Polonorum dominatio ibidem vltra duraret.* Multis deinde egere, vt ſocietati Scytharum ex fide remitteret nuncium; Minorem natu filium traderet Regi educandum; vtrumq; negavit. Scythis cùm aut vivendum, aut moriendum ſibi dictitans, neq; ſocietatem vnquam abdicaturum: Filium per ætatem miniſterij Regis incapacem eſſe, creſcere nihilominus in ſpem ſervitiorum eius, vbi adoleſcit Maieſtati efferendus. Compertum tunc non alio vſui delegatorum miſsionem inſtitutam, niſi quod propendentem in bellum, inſtinctu Moſchoviæ Ducis, comperiſſent retuliſſentq;. Etiam Wyhovius aliqua, per ſpeciem inclinati in partes animi renuntiaverat, præcipuè arma Suecorum, in Regem Regnumq́ué propediem converſum iri: quod Conſtantinopoli Antonio Coſacorum Legato, quò acriùs in bellum impelleret, agẽs Sueticus, retexiſſet. 1652.

Annus hic, vt horrendis luminarium deliquijs cœpit, ita finem ſui ferali Cometa ſub Natalem Chriſti conſignavit. Eiuſmodi Metheora à crinita impreſsione, quòd comarum inſtar lumen diffundant, Vranologi Cometas vocavêre: cauſam productionis ab exhalatione viſcoſa & ſicca aſſeverant; vbi virtute Aſtrorum elevata incenſaq;, cum ſuprema áèris regione moveantur. Sanè vulgari opinione habentur, pro infallibili calamitatum nuncio.

1652. *Dirum mortalibus omen*
Spargens ſanguineos ferali crine Cometes.

Non tamen ignes eos, pro cauſa calamitatum productrice, aut mutationis Monarchiarum habendos; cùm ex ſe nequaquam ad tales effectus concurrant: ſed quatenus ſigna ad id divinitùs aſſumpta, & velut inſtrumenta futurorum prænuncia, in terrorem aut cautellam mortalibus. Modernus die XIX. Decembris, projectâ ad Orientem caudâ videri cœpit, in ampullæ cuiuſdam ſpeciem turgidus; ſtellas quas primæ magnitudinis vocant, motu æquavit, lumine ſuperavit; dein aliquantum in Aquilonem elevatus, quâtitate ſua per curſum evaneſcente, ad caput ſideris Algol, exacto menſe diſparuit. Suſpectavêre vt non amicum ignem ij, qui ad intima cæli arcana, recluſam ſibi feneſtrâ opinantur; datis haccè ſuper materia in lucem ſcriptis, pro laude artis, aut oſtentatione ingenij. Quippè ea ſtudia in vmbra nata, ac ſpeculatione futurorum in abdito ſe exercentia, in publico negotioſa vanitate videri amant, præſertim cùm natura vulgi ſit, magis nova quàm magna mirari. Nam quis non futurarum rerum augurijs capitur? omnes humani ingenij cupidine libentius obſcura credimus; hinc levia hæc ingenia, orbium cæleſtium ſtatus, ſiderum motus, Planetarum affectiones, aliaq; aſtrorum themata per logogryphos extendunt, quo fallacibus promiſſis offuſâ caligine, ſecuriùs credulitati noſtræ illudant. Et pruritus iſte ingeniorum tũc ad abſurda devenerat, repertis qui vniverſalis Iudicij diem, quo hæc mundi machina diſſolvenda eſſet, pravâ vaticinandi libidine, imminere præſagirent: non curioſo modo, ſed propè temeritatem athæorum ſcrutinio. Id quidem contra ipſius veritatis effatũ; quæ affirmet. *De die illa aut hora neminem ſcire, nè Angelos quidem* ac rurſus. *Non noſtrum eſt ſcire tempora & momenta, quæ poſuit Pater in ſua poteſtate.* Subiungo vnde Sphæriſtæ illi, extra Sphæram ſcientiæ humanæ evagati, mundo moribundo Epicedium præcinere auſi. Andreas Argolius Aſtrono-

1652. ſtronomicæ facultatis in Academia Patavina Profeſſor, multis in Matheſi editis operibus clarus, protulerat dudum in lucem, ephemerides aſtrorum, quibus *Zodiaci* revolutiones in plures qui ſequerentur annos complexus, etiam præſcripſerat grandem Solis eclipſim, quæ in Annum CHR: 1652. diem 12. Auguſti in Leone incidens, mirabiles Orbi vniverſo effectus portenderet. Affuit mox alter, eius profeſsionis, non ſcientiæ, Iſrael Hunter Germanus, qui ex Argolij Theſibus deſumpta coniectura, extremi Iudicij diem propè eſſe, definito in eum annũ tempore, temerariè prædixerat. Et audacior quidem aſſeveratio alienum à fide Catholica oſtendit; falſum vatem mundi in hãc diem duratio arguit. Cuius vanam illationem ſub titulo anonimi vulgatam, confutavêre Sebaſtianus Srryievicius eius tunc artis Profeſſor in Lycæo Cracovienſi; ac Fridericus Alembek Theologus Præmiſlienſis, qui non doctè magis quàm ortodoxè, conuicit falſi pſeudoprophetam, iam ex ſacris literis, iam ſideralis ſcientiæ hypoteſibus, deducto evidenter artis abuſu; quem non tantùm ad ſortes hominum, ac fata introſpicienda extendant genetliaci; verùm etiam fatalem mundi horam ſcrutari audeant, non illicitè modò, ſed blaſphemè. Aſt non omnibus datur adire Corynthum; nec quodvis Monteregios aut Copernicos fert ſæculum. Nuper Aſtrologiæ nomen ad ſcientiam tantùm corporum motuumq; cæleſtium extendebatur; nunc ad divinationes & ariolandi Decreta per abuſum trahitur: Factum mali moris, niſi vt divinatrici Aſtronomantiæ pretiũ curioſitas noſtra facit; eidem profitentium modeſtia, aut ſapiendi regula, modum imponat.

Stryiewicz. Alembek.

ANNALIUM POLONIÆ

REGNANTE

IOANNE CASIMIRO

LIBER SEXTVS.

An. CH: M. DC. LIII.

Elenchus Contentorum.

NARRATIO. *deflectit ad externa, Electionem, Ferdinandi IV. Reg: Rom: exponens. Initio anni Campidux Potocius levioris armaturæ cohortes in Vkraynam immittit; aliquo inter Cosacos dissidio agitatam. Czarnecius strenuè ac feliciter oram eis Hyppanim sitam armis complectitur, demùm Monasteriscza inuadit, maiore animo quàm possibilitate capiendi; sub oppugnationē globo per vtramq; genam sauciatus. Ductoris casu raptim se exercitus inde recipit, & Vkraynâ nullo in summam facinore abit. Comitia Brestiæ Lithuanorum celebrantur. Moschus in amicitia fluctuare deprehenditur. Kisielij Palatini Kijovienſis mors; Chmielnicius immodica agitat, Thymothæum Moldaviæ Dynastam impositurus. Basilius auctor consilij? in quem Moldavus Transilvano iunctus bellum moveti ac commisso prælio profligat. Basilij interim vxor cum liberis, Cameneci Podoliæ degit; quam indè improvido consilio revocat, Soczaviæ collocandam. Iterum isti Dynastæ pugnant, Valacho Cosacis, Moldavo Transilvanis opem ferentibus, quoad Basilio Dominatu pulso rerum potiretur Stephanus. Regis Leopolim adventus. vbi tum Commissio exolvendis militum stipendijs celebrata: vnde in Castra ad Gliniany divertit. Glinianenſis loci descriptio fatalis dudum, ob memoriam Rokoß hic olim sub Lucovico Hungaro agitati. Antonius Cosacorum Tribunus in Castra deductus. Varij item legati, gratiam Regis, ut auxilia in bellum Valachicum prænſantes. Stephanus Soczaviæ Basilissam obsidet, cui Chmielnicius auxilium submittit. Etiam Kondracius in Valachiam cum copijs*

copijs mittitur. Gembicius ad istos Principes abit pro mutuo fœdere conciliando. Leopoli rationes Fisci tardè procedunt, ingenti temporis dispendio. Legatus Moschi excipitur magnificè, sed vana ac futilia adferens. Ineunte Septembre Rex copias movet deliberans: an in Vkraynam arma verteret? an Soczaua per transennam vi expugnanda esset? Hac in materia diversæ Procerum sententiæ. Submittitur iterum continuandæ obsidioni Houvaltius; Thymothæus machinali globo interimitur, homo sanguinarius. Rex à Bario Tyram versus deflectit; cum interim Soczava certis legibus, quæ subiunctæ, deditur Colligatis. Chmielnicius fato filij percellitur; Hanum nihilominus Crimensem in auxilium miro suasu arcessit. Nostri strato ponte Tyra ad Zwanecium metantur, Colligatis ex fœdere Regi Polono auxilia submittentibus. Scythæ Wolhyniam percurrunt, flexu viarum ad Hussiatynum circumgressi. In Exercitu Regio angustæ res, delectibus Tyronum probrosè diffluentibus. Polonorum cum Scythis subitarij concursus. Wezerij ad Mareschallum Regni literæ: Hani quoq; ipsius. Rescriptum vtrisq;. Hostes Castra suggressi, nostris cùm pugnant. Sub noctem adest Nuncius promovendæ paci. Deliberat Rex. Pugnatur iterum. Tandem inter componendam pacem arbitri, in condictas mutuo leges conveniunt. Abscedunt post hæc Exercitus, ac dum Sapieha prædatores carpit, capitur. In brevi Istan-Gereus vita abit; Ex occasione de ea gente nonnulla quando in Taurica pedem fixerit. Bieganovius ad Turcam renovando fœderi Legatus it. Corollarium Libro adiectum, ex dissidio Anglos inter & Hollandos, vnde inter se commissi, navali prælio decertavêre, Anglis victoribus.

1653.

DVm varij casus Poloniam exercēt, vicinæ interim Germaniæ per ferias pacis, Romanorū Regem inaugurare vacavit. Nā vt ex pace bellum degener proles oritur; ita rursus bellum, pacis mater est. Ferdinando III. Imperator, quo se vivo res Austriacæ Domus stabiliret, designando Successori Conventum Electoribus Imperij indixerat, Augustæ Vindelicorum. Aderant præter Cæsarem, ac Bohemiæ Regem, qui pro primicerio Electoralis Collegij audit, Moguntinus, Colonienſis, ac Trevir, ex Ecclesiasticis: Bavarus, Saxo, ac Brandeburgicus, vicariâ legatorū operâ vsi; præter Heidelbergenſem, qui vltra aureæ Bullæ præscriptum, nupera pacificatione Germaniæ, in munus Quæstoris Imperij cooptatus, quo novellum ius actu firmaret, in præsens adesse non distulit. Neq; diu, cùm haud discrepantibus suffragijs, Ferdinandus IV. quod summè avebat Pater, in Regem Romanorum eligitur. Augustâ, Ratisbonam itum comitantibus Cæsarem Octoviris, ibidēq; augustali diademate coronatus magnifico apparatu, in tem-

templo, Curia, ac foro transacta celebritate. Equidem a-
1653. doptio magis quàm Electio censeri posset; nisi stirps ea fataliter Sceptro & successioni Augustorum admota, magis consultis divinis, quàm humanis suffragijs eminentiam suam debeat. Vulgatum est, Austriacam domum quantasfit, incrementa debere pietati, ac prædictam divino oraculo magnitudinem, manutenere; quæ à Rudolpho Habspurgico Comite, primo Austriacæ fortunæ protoplasto, vix interrupta regnandi successione, in hanc diem perduret, perennetq;. Ita quippè evenit. vt à Numine veri eius cultores attollantur, & pijs Principibus vt plurimùm prospera eveniant. Quæ Electio tranquilla & ipsa; multum pacatis Germaniæ rebus debuit, aliàs fervente bello, ac dissidentibus Electorum animis, desperatum opus. Nam vetus Gallis in Austriacos æmulatio, Imperiale fastigium Francis, à Carolo Magno deberi contendentibus, & vltra prætensum Iuris simulachrum, odium Domus, & invidia incrementi. Minus tamen evaluêre, nondum in eas curas adulto sub multis Rectoribus Rege Gallo, ac magnis inimicitijs Mazaranij Cardinalis cum Principib9, statum Regni in præsens afficientibus. Reliqua referre supersedeo, quæ tradere eius fuerit, qui se vniversæ Europæ scriptorem profiteretur. Aureum hìc certè Thesauri dogma. Respublica navigium est; quod integrum natat, divisum mergitur.

Skarszewski. Stanislaus Potocius imperium armorum, sub Campi ducis titulo nactus, iubente per Zigismundum Skaryszevium Rege, expeditionem in Vkraynam leviori suorũ armatura hybernis excita, adornãs; vt præter brumæ opportunitatem, feriantem tantisper ob pestem exercitum, subitâ irruptione isthìc immitteret. Incitamentum crebri exploratores dabant, scissis Cosacos studijs dissidere afferentes, ac potiores è Tribunis Duci infensos, vt qui supra licentiã absoluti Dominij elatus, patrocinium Turcæ eas in oras, simul inexcussum servitium inducere moliretur. Adstrepebat

bat & Clerus extrema satiùs quàm iugum religionis tole- 1653.
raturus; qui tamen secretis criminationibus validior, in frõtem obniti non auderet, vel prorsùs dissimularet. Nam spargebatur rumor Maximum Hľadki, quod rei indignitatem Duci exprobrare ausus, capite pœnas luisse. Non tamen omnes, vnius supplicio absterriti, contra exitiosa agitantem, liberiùs loqui destitêre; inter alios, Hulanicius, ac Hulanicki. Chmielecius, nostrates Patricij, multa per experimenta audaciæ rebellibus probati, odium in se Ducis concivêre, tãquam nimis natalium ac pristini statûs memores, supra aliorum genium sibi adversarentur. Et Hulanicium quidẽ in tempus obtentus vitæ Monastericæ indignanti subtraxit: Chmielecius quem robore viriũ præferocem, apertè vlcisci intutum erat, à subornato in necem, (ita fama tulit) advocato Pawolocense, homine ad omne nefas præcipiti, trucidatur; condigna in disertorem Patriæ, & degenerem bellatoris Patrui nepotem vltione. Comperto discordes agere, confestim eo Decem Mill: loricatæ militiæ, Mill: CC. Czarnie cki. Equitantes sclopigeri mittuntur, sub cura & imperio Stephani Czarnecij Castrorum Metatoris. Multa is militari arte valuit ac experientia; sed nihil æquè famam extulit, quàm indefessa agendi celeritas, vndè occasionum non segnis, secundâ posthac belli fortunâ, & quæ hanc sequitur aura populari, vsus. Medium hyemis erat, & cæli rigore flumina concreta gelu; hinc acceleratis itineribus Vkraynam introgressæ cohortes, velut natura ipsa paludum inacceſſa ponte straviſſet, ad Illencios primò convenêre; de- Illence. in, vbi vires in promptu, consilia in expenso sunt. Ductor vniversam oram famâ, subito aggressus obvia quæq; invadere destinavit. Ac primò modestè circumductum agmen ivit, quocunq; veniret incolatum leniùs ac explorantis in modum habendo: donec cognito adversùm imperia contumaces, Iahubecum, ac Lipovecia, Pohrebiszcza, aliaqué Iahubec. Lipowiecz. oppida capta ac excisa, alacri in prima experimenta milite, ac ipso successu ferociore. Ast strepente subito exercit' Pohrebiszcz.

1653. incursu, impossibile erat, rebelles diutiùs fortunam suam ignorare: præter edicta Chmielnicij plebem in reprimendam vim concitantia; cuncti se intra oppida recipere, aditus portasqué claudere, quæ hominibus in victum, aut iumentis inpabulum corrũpere; & vno eodemq; instanti, ad bellum & arma conclammatum. Inde quia omne exagitandi hostis momentum, in celeritate reponere iussus Czarnecius, raptando quaquaversùs agmina iniunctam bellandi rationem sequebatur; quoad cognito Bohunum, contra tendere cum selectis suorum, occurrere visum, promptiore semper in campestria armorum experimenta Polono. Ast Bohuno vulpis inerat ingenium, quæ canibus dentes aut caudam obijcit; etiam iste vim & astutiam. Siquidem ostentatum congressum intra munitiones Monastery-
Monastery. szcza. szcza oppidi subduxit, vallum & fossas, & suetas artes Czarnecio obiecturus. Nec segnior istius in locum permunitum irruptio, quàm campo alacritas erat. Irruêre in subiecta oppidò cohortes, armorum tubarumq; ac famulitij clamore truces, quo circumiectus fremitus pavorem geminaret, & cuncta ad ostentationem maioris agminis viderẽtur. Propè valla in manu erant, iamq; obtruncato Drozdenko Centurione sepimentum revellebatur, prona omnium spe mox loco potiundi; cùm fervorem oppugnantium interveniens casus restrinxit. Namq; Czarnecius inter-stridentia tela, distribuendis imperijs volitans, nullo cassidis aut galeæ præsidio vsus, è rotulato tubo per vtramqué genam propè letale, vulnus accepit. Omnem palati superficiem violentia ictûs concusserat, vnde ab illapso intrà concavum oris sanguine, non vox modò, sed & respirium incluſum. Semianimem equo sublatum sustinuêre socij, donec resupinus præfocantem cruorem satis exspuere potens, an iam oppido potiti nostri ex astantibus quæsivit; ast vbi integrum stare, & suos casu eius consternatos relatum est, iterùm animi excandescentia largiorem sanguinis fluxum provocavit. Bohunus interim, cui occupandi & sustinendi pericula, eadem semper promptitudo; cum selectis Equitibus prorumpens, Scythicum in morem vociferando obstrepebat, quo imaginem terroremq; venientis subsidij augeret. Non machinæ nostris, & solitus subigendis fortalitijs apparatus; aspera hyems, pabuli defectus, manentibus in loco sæva; etiam casus Czarnecij tum alia considerandа, nonnihil concusserant animos, præsertim cum humo congelatâ cespitantes equi, prostituêre sessores, si recens superveniret hostis lassitudine enecti viderentur. Itaqué non Monasteriscijs modò, sed omni Vkrayna abitum est, nimium quam præcipiti receptu, velut vnius vulnere cuncti animo dejcerentur. Ast non improvidũ quandoq; consilium habetur priùs securitatis quàm gloriæ viam sequi. Nã si in nostris pauxilla, mora, vel supervenientis propediem Vkraynæ armis obrui potuêre. Czarnecio tamẽ magis ab infecto negotio quàm vulnere ægro: quod mansit in extremam ætatem insanabile; vt supernè palatum laminula obturare necessum haberet, nè loquellam, dicentis impediret.

1653.

Sub finem Martij (die XXIV.) Comitia Generalia indicta ac celebrata sunt Brestiæ Lithuanorum, quæ civitas, inter confluentes Bugi, ac Muchavecij in ipso orientem respicientis Lithuaniæ confinio sita, eademq; Polesiæ, in quam Vkrayna definit, contermina est. Non incommodè hic publica consilia expediri videbantur, ex contiguitate Moschoviæ, cuius iam expirans amicitia meritò suspecta: & in Vkraynæ intima è propinquò penitius introspici potuit. Rari è Primoribus Senatus aderant; Nuncios moderabatur Christophorus Pac Vexillifer Lithuaniæ, Aulæ dudum probatus, ob promptum ingenium. Multa hìc in consideratione venêre, ea tamen maximè, quorum tempus præterierat; nempè quòd præteriti anni Comitijs grãdis Exercitus, in spem belli gerendi inautoratus, nullo edito opere, stipendia actutum exolvenda vrgeret, etiam vetera debitorum nomina, acritèr reposcendo. Compertum

Bug; Muchawiec Fl.

Pac Vexil. Lith.

1653. tunc claris indicijs, haudquaquam nobis favere Moſchum, quod ſtrictiore in communicandis arcanis cum Chmielnicio familiaritate vſus, etiam deprehenſi exploratores forēt, ex quibus Smolenſco intercipiendo eum inhiare liquebat. Vnde nè is humanæ cupiditatis more, ſpem manuſq; in minùs cuſtodita verteret, dati à Rep: *Reviſores*, per quos cenſi præſidiarij, eius loci annona, arma, ſtipendia procurata: mœnia ſicubi collapſa aut munitiones, publicâ operâ ac ſūptu reparari iuſſæ (omnia benè, nihil effectivè.) Ad tractatus Sueticos nova Inſtrumenta literaria (*Inſtructiones*) priores reijciente parte, confecta; ac præmortuo Zbigneo Gorayſcio Caſtellano Chelmenſi è Commiſſarijs vno, Referendarius Regni Laſkovius ſubſtitutus. Vbi verò Rex in perſona, patrando bello adfuturum ſe pronuntiavit, ſanctis vnanimiter in nervum belli contributionibus, non improſpero Comitia exitu finiêre. Subinde Adamus Kiſielius Palatinus Kijovienſis, extremum diem clauſit. Procedebat ex ſtirpe Roxolana Swietoldycurum, ſacra Græco-Ruſſa profeſſus, ac ad extremum diem conſtanter tuitus. Inerat non vulgaris eruditio, ac ad vſq; elegantiam facundia, quâ potiores ævi ſui Oratores æquaverit. Eo parario, cum Moſcho in fœdera pacis deſcenſum; non ea in conciliandis Regno Coſacis felicitas fuit, quorum perfidia aut inconſtantia, tanquam partium fautor vapulavit. Quò magis mirandum obfirmatum viri pectus, dum inter Polonorum diffidentiam, ac Coſacorum ludibria agitat; probè gnarus æq; ſe illis inviſum, nec iſtis ſatisfeciſſe, ac vbiq; malevolorum traduci ſermonibus. Aſſeruêre extrema inconcuſſam fidem, & vanum publicæ famæ iudicium, quæ ſæpiùs opinione nititur, coarguêre ſeptuagenarius, dum exedentibus curis graveſcit valetudo, præcipuè articulorū doloribus tabeſcens, deceſsit. Poſt quem Campiduci Exercitûs Palatina Kijovienſis dignitas collata.

Goraysfki. Laſkowſki.

Kiſiel.

Abitu ex Vkraynâ Exercitus, Chmielnicius fortuitum ignem obiter deflagraſſe ratus, vt eſt ſuperbum felicitatis ingenium, maiora poſthàc animo volvere cœpit. Subibat mentem fallax illuſio, quo gradu ſtaret? quos Principes pro ſe haberet? quibus dein immineret gravis? vnde ad fatalem inſitæ ambitionis phræneſim redibat ſæpius, vsqué adeò; vt qui nuper de prædiolo litigans, humili casa teneretur: iam tunc res ingentes molitus, quæ vix dimidia Europæ parte expleri potuiſſent. Inceſſerat nuper curâ, filij maritandi iam nunc maritati fortunam novi dominatus acquiſitione ſtabilire; cumq; iam pro ſua Vkraynam teneret, eodem iure domûs ſuæ partem, alieni poſſeſsione gaudere volebat. Avari appetitus Moldavia primum obiectū, quæ Mæſia olim dicta, nunc bifariam diviſa, geminis Regulis paret: priorem tunc ſub nomine Valachiæ Baſilius Lupulus; vlteriorem quæ Moldavia vocatur Raduľa Palatinus, vterq; Turcæ Vaſalli obtinebant. In hanc, non omnino ardua Thymothæi introductio credita Patri, vbi depulſo dominatu Moldavo, mox conciliatis per largitiones Turcis; deniq; ſi auro deſtinata exequi haud promptum, ferro ac belli iure de inita poſſeſsione diſceptaretur. Autorem moliminis Chmielnicium Valachus, hic rurſus illum, ſecus cadente alea incuſavêre. Alta valebat conſilij indagine Baſilius, præſentium prudens, nè gener naturâ ferox & inſtabilis, partas opes dotis nomine extorquens, ſibi ac Valachiæ gravis quandoq; immineret; vnde futuri ſolicitus; conſilium in Moldaviam Thymothæi deducendi, Chmielnicio Patri ſuggeſsiſſe credibile fuerit. Quod vt placitum vtrisq; conſocerorum, in arcano mutuam opem pacti, armorum paratibus diverſo obtentu incubuêre; Bohdanus metum ex Polonis, Baſilius circumſpectionem in Scythas prætendendo. Erat Baſilio miniſter, eius officij ac muneris, Stephanus quale apud maiorum gentium Principes, ſerinij Magiſtrorum, vulgò Cancellariorum eſt; quemqué Græci Logotetam, iſti Logofetum vocant. In hunc abſtruſiora animi ſenſa reclinare ſuetus, fidum antehac expertus: etiam tum conſilium opprimendi Moldavi com-

Waſil. Woda. Raduł Woda.

1653.

1653. municârat, additis mandatis, vt reſerato Ducali ærario, cõtrahendis delectibus ſedulò incumberet. Optimè ſecretũ ſervari aiunt, vbi duobus committitur; quod ſi tertius in conſcientiam vocetur, intra cancellos arcani contineri nequit; accedente quarto, ex ſecreto plebiſcitum fit. Habebat Logofetus vxorem Moldavici generis, pleriq; Palatino conſobrinam tradidêre, quæ diſcrimen cognati Principis ſagaciter rimata, coniurationis indicia patefecit, etiam aliquid ſiniſtri ex fama publica, & inquietudine Baſilij Moldavo iam coniectante. Neq; vero abſimile, Stephanum ab vxore evictum ſeriem inſtructi doli ordinemq; aperuiſſe: plures fidem ſecreti diu & tenaciſsimè tuentem credidêre; donec aſſequendæ Valachiæ vbi deijcitur Baſilius ſpe ineſcatus cupiditatem dominandi, debitæ fidei præhabuiſſet. Ita de inſidijs quibus mox ſuccumbendum edoctus Moldavo, parando præſidio Conſtantinopolim mittit: mittunt & æmuli, varijs in adverſarium delationibus: vt qui diu latronum caput, etiam tunc corraſione prædarum infamis, maieſtatem Ottomannici nominis violaret. Adijciũt, triplicatâ ex provincia tributi penſionem, Vkraynæ Fœudum, Cameneci tradicionem, inſuper, quia iuſta cauſa non poterant, largitionibo prævalere conniſi, miſsis in præſens muneribus, quæ inter purpuratos aulæ dividerentur. Dum reſponſum expectant, Moldavus interim non imbellibus votis, ſed præſenti actu cauſæ præſidia paraturus, Palatinum Tranſylvaniæ Ragociũ, in mutuam periculi quod immineret depulſionem vrget, & impellit. nempè: Baſiliũ immerito ſibi minari hoſtilia, dum cum Thymothæi perfidioſi ac cruenti hominis violentia, verſutiſsima indole ſocer iungitur. Ditione tranſalpina involuta armis, haud quieturos Coſacos, niſi & in Tranſilvaniam irrumpunt, vehementis incendij more, quòd in obvia quæq; flammis ſævit. Diſpiciendum proinde, an intra Moldaviæ confinia eiuſmodi hoſpitibus conſtitutis, Tranſilvaniæ quies ſponderi poſsit? & qualem amicum extraneo Principi exhibiturus

turus ſit Thymothæo, quem nunc deſponſata filia Valacho, 1653.
à ſe amoliri intendat? Haud ſe impetitioni parem, niſi Vicinus animos & arma in commune diſcrimen ſociat. Alienaverat iam Chmielnicius Turcas, vanis tradendi Cameneci pollicitis illuſos; ſua quin etiam perfidia ac potentia ſuſpicacibus formidoloſus. Quid ſi in oras ditionis Turcicæ armis graſſari pergeret, libidine dominandi audax & fortuna; ſeu vincit, ſeu vincitur gravem illi Imperio fore, inſiſtentibus victoriæ Chriſtianis, aut ſuccumbentem erecturis. Certè Tranſylvanus poſtquam non improbari cauſam Moldavi Turcæ, pro explorato accipit, in partes ſe trahi patitur, ac ambo ſociatis armis in Valachiam devolant, Stephano Logoteta, ad illos facilè deſciſcente. Monomachi quidem ſingulari certamine digladiantes, dum ſocios in participium diſcriminis vocant, ſeverioribus pœnis perſtringuntur: ſupra privatorum: ſupra privatorum crimen publica Regnorum arma, quibus hanc vniverſalem gladiatoriam exercere, non impune modo, ſed volupe eſt. Nec vllam par vel minorum quandoq; Principum reperias, qui inter ſe commiſsi, non totius Europæ ſtudia armaq; exciverint. Inferior Baſilius viribus, nec minus defectione Stephani confuſus, Camenecum Podoliæ pro aſylo vxori liberisq; deſtinavit; permiſſo receptu, vt qui iuri Indigenatus adſcriptus pro Cive & patriota Regni haberetur. Ipſe interim deſertis Iaſsis quæ ſedes Palatinorum eſt, Vkraynam verſùs tetendit, cum apud pagum Storſok ſupervenientibus Moldavis, primò intrepidè ſuſtinens impetũ, (ſex millia equitatus aderant) demum impar numero, in præcipitem fugam actus, ac vulneratus, ſed vnde periculũ vitæ non eſſet, & agitationem equi tollerare; Sorocam primò, mox tranato Tyrâ Raſcovum Vkraynæ cum genero Thymothæo ſe recepêre. Profligato nihil ſpei in armis reliquum vltra, niſi in redintegrationem collapſi ſtatus, vel à conſocero auxilijs erigeretur; vel iterum Turcarum ſtudia pridem ſibi largitionibus pignorata, tentaret. Non- Sorokaĩ Raſzkowſ

dum

1653. dum in totum primarij è ſuis affectum exuerãt, non planè illiberalis dominatus memores, ſeu quod Stephanum ingenio paulò inciviliore odiſſent; è quib⁹ Duracus ac Warteryſſus Conſtantinopolim ivêre, iniquè expulſi Palatini, tum miſerabilem in modum laceratæ Provinciæ rationes expoſituri. Nec vanus in erigendum conatus videbatur, cum Turcæ cognitis inter contiguos Dynaſtas contendendi cauſis, vbi ditiones Imperij Ottomannici, armis Coſacorum iutactas comperiunt; vt vterq; poſitis armis, ex æquo & iure diſceptaret, per celerem Czauzium hoſtilitatem diremêre; Tranſilvano ac Moldavo ad accepta Turcæ mandata protinùs infeſta ſigna retrahentibus. Propè finis diſſidio erat, cum Thymothæus ex clade vecors, & cui ſemper inſanire pro virtute fuit, collecto raptim agmine, quod exlegib⁹ Coſacis, Prædonibus montanis, ac conductitijs Scythis componeretur, in Moldaviam irruens, facilem ruinæ ſoceri, ſuæq; , præſtruxit viam. Quippè colluvies latronũ, in homines ferro, in tecta igni, promiſcuè ſævijt; raptum quidquid Moldavici iuris ac nominis eſſet, violatum quidquid integri pudoris manebat, & omnia ad famam crudelitatis perpetrata. Neq; delubris parcitum, in quæ mitiores Coſacos, quia inijcere flammas abnuerant, propria manu aliquot ferro mulctavit. Et omnia ſusq, deq; vertere, in diſarmata Provincia facilè potuit; quoad vindictæ ac prædæ ſaturi latrones apud confinia cum rapinis dilaberentur. Diffudit mox famâ triſtem Moldavis, nè ipſi quidem autori diu lætam victoriam, nam vt graſſantem audaciam Turca non ſuis in herba viribus opprimeret, ex recenti iniuria cauſas in bellum ſuffecturas ratus, reſtaurare vires Moldavi acceſſu finitimorum iuſsit. Ita Baſilius Ottomanni deſtitutus præſidio apud quem generi facinus cauſam peſſumdederat, eundem in noviſsimo caſu requirendis ad Patrem auxilijs dimiſit: ipſe interim dum tuta ſuſpicit, ſuſpecta timet, vxorem Cameneco revocat, cum familia ac opũ congerie, quas ſex Myriades auri (ſeu vt cum Calculi peritis

ritis vſitatius loquar Milliones) ſuperaſſe fama tulit. Equidem Potocius Cameneci Præfectus, aliquantum hæſit, an evehi ſineret; diſtrictè præcepit Rex cum omnibus emittẽdam, nè quem hoſtium ſuorum ſocium, armis perſequi neceſſum haberet; ereptâ pecuniâ in cauſam belli tranſiſſe diceretur. Ita integer opum Baſilius, ac mox XVI. Mill: Coſacorum Duobus Scytharum ſubſidio auctus Exercitu in ſpeciem valido, cui ad novem Millia Valachorum accederent, experiri aleam deſtinavit. Neq; altera acies congreſſum morata ſub Radulæ imperio, cui Ianuſsius Kimenius Tranſylvani copiarum Dux præſto aderat. Quantùm verò Baſilius aſtu, & inveteratæ prudentiæ opinione, tantùm ferocia Thymothæi timebatur; contra Moldavus ingentis ſpiritus, vt qui à prima iuventa Turcicis, Hungaricisq; bellis exercitus, ad dominium oræ iſtius non imbelli conamine adrepſerat, infeſtis ſignis ad Iaſovecium fluvium concurrunt. Acriter vtrinque dimicatum, quoad Valachis in transfugium verſis, quid in ſummam conſtituiſſet Fortunâ explicante, profligantur Coſaci, nequicquam, in reſtituendam ſortem plurimùm auſi. Baſilius vbi res inclinatæ, Gaſſaczum in extima Danubij ripa arcem, præcipiti curſu cum Thymothæo effugit; Noſacz, ac Puſzkarenko Coſacorum Tribuni fugâ item prælio exempti, Hryckone amiſſo Levenſorum Duce, peditatus partim cæſus, partim intra Carraginem ſe receperat. Aſt non diu victores morat⁹, alimenti inopiâ & nullo ſuccurſu ſe dedidit. Ex deditijs, quicunq; Valachici generis liberè dimiſsi, Coſaci ad bis Mille deleti, Andronico Moldavorum Præfecto, nõ emitti ſanguinarios homines, & qui priùs vitam quàm turbas poſituri eſſent adnitente. Stephanus demùm Iaſſos introijt, Primoribus gentis, fidem in nomen novi Palatini iuramento aſtringentibus. Hæc de ſtatu Valachiæ, quæ licetſi extra marginem Regni noſtri, non extra tamen turbarum ac belli participium manſit, quod ex ordine mox aperiam.

1653.

Kimeni. Ianuſz.

Noſacz. Puſzkarenko. Hrycke

1653. Adulto Iunio Rex cum Regina Leopolim venit, vbi cõportandis publicis pecunijs ad diem XVI. eiusdem, locus per legem distinatus erat. Supremum hoc Ærarij Concilium *Commissio* vocatur, excutiendis rationibus impositum quantùm quæq; Provincia Tributorum contulisset, quidvè cuiq; cohorti deberetur. Eiusmodi collegium, illustres componere viri solent; ex vtroq; ordine selecti; tunc quatuor Palatinis constabat, Marchione Myszkovio Sandomirensi Protopræside, Szczavinio Brestensi, Landzkoronio Russiæ, ac Potocio Kijoviensi: Castellanis item quatuor; præter Triginta sex ex Equestribus pari suffragio accedentibus. Aderant præsto militares à cohortibus Delegati, (Deputatos dicunt,) qui nè priùs debitum reposcerent, quàm deberi sibi probassent, cuncti matriculas, (Regestra) calculo discutiendas Commissarijs obtulêre. Quod vt ex ordine fieret, in æde Franciscanorum congressum instituerant, imposito moderatore Linievio Optione, tractandis commilitonum ingenijs, vel promovendis desiderijs nõ inepto. Læta vtrinq; act» primordia, dum Cõmissarij cum publicorũ Tributorũ Exactorib», accurratè Perceptorũ ineunt rationes: & miles ingẽtib» pressã cõtributionib» Remp: non nesci»; ostentatione præmiorũ, non in longum spe macerand» alitur: qui vt adversum, negantes stipendia immitis, ita si pactam mercedem offeras, aut velle ostendas, sola promptitudine tractabilis. Ast postquam suboluerat impares debito pecunias comportatas. ac diutinas exspectantium spes distinendo mulceri tantùm: infremuêre delegati, eo vsq; devenientibus quærelis, vt ad cohortes mitterẽt nuntiando, promissis solummodo ac arithmeticis notis ali se Leopoli, vbi consumpserint verba & preces, nulla amplius supereſſe media contra dilationem solvendi: Venirent ipsi faciliùs per se, quæ Delegati nequirent impetraturi. Propè dissidium res erat, administris ærarij palam & in frõtem Delegatis obiectantibus, quòd non ex præscripto legis, per Palatinatus lucri privati intuitu exolvenda stipendia procu-

Linie-ovßki.

procurassent: culpam isti, in Exactorum tardè pecunias convehentium negligentiam regerebant: rursùm Exactores moram grassanti pesti, ob quam nec ad assem contributiones exigi, nec exactæ pro tempore comportari possent imputavêre. 1653.

Reversas Vkraynâ cohortes sparsim Campidux locaverat; suspicione militaris motus: ineunte deinde Vere, ad Firleiowkam mox ad Busko, insuper ad Gliniany modestiores expertus castris continebat. His non omnino grato erat adventus Aulæ Leopolim, gnaro milite interverti sæpè ab Aulicis stipendia; quibus nunquam satis, & omnia licent. Maiore obventu publicas pecunias dividi, ab ipsis, qui meruissent, & tutiùs sanguinis pretium posci, vbi pauciores qui distribuendo attendunt. Ita reciprocis querelis extracta æstas, diffluente interim otio milite ac vicinia promptæ in illecebras vrbis lasciviente, cùm eas quas nondum acceperat pecunias, in antecessum prodigeret. Invitamenta luxûs Armeni dabant in nomen *Crediti* provocatis expectantibus, iam venales in fidem merces, omnigenasq; liquorum ac victualium cupedias, submini strando; etiã formosi sexus illicijs, ad contuberniũ trahentes. Nihil quippè nostrati militi largiore convictu familiarius, & quæ terrigenis hospitalitas, istis *Conversatio* vocatur. Turmales mensæ adhibere vnus haud gravatim ac quandoq; supra vires crumenæ tractat, vel vnius diei convivio consumens semestre stipendium, rursùm per vices alijs, nulla futuri providentia eadem factitantibus. Si morem detrahis, aut parsimoniæ studes, non laudari virum, neq; egregium censeri commilitonem reperies, nisi quem à liberaliore convictu popularitas commendet. Hæc sunt inter Patricios qui equis merent, officia vitæ, præsertim si post bella in stativis hærent, aut desides in Castris agere permittuntur. Non vsq; reprehensibili consuetudine, si modus adesset, aut saltem finis à causa discreparet, commessationibus eiusmodi sæpiùs in fortuita dissidia prorumpentibus. Id malum in-

1653. ter militares, culpes magis quàm corrigas. Haud allegarē errorem, nisi exemplum tunc se daret. Festo die apud cōmissionis Mareschallum Senatorum complures in convivio erant, quo etiam multæ prælustrium Matronarum venerant invitatæ; cùm inter mensarum hilaria, extortæ inter commensales rixæ, assidentium turbavêre consessum: Stanislao Iordan, cum Vladislao Wilczkovio Marchionis Optione, veteres offensas nova verborum contentione suscitantibus, vix in præsens dirimi potuêre, sed ita vt ambo certamen sibi in crastinum indicerent; amicorum interventu per noctis spatium placandi, si modò inter sui impotes, tamdiu ira cohiberi potuisset. In Archiepiscopali palatio Rex degebat, cùm Wilczkovio Iordanū ad hospitiū remeantem ferrum stringere iubet. Neq; iste detrectavit, animo & manu iuxta promptus, nisi largiore mero gradū fallente, in latere enorme vulnus acciperet. Tum verò fenestræ insistens Rex sub vesperam frigidiore aura refocillandus, cæsum Iordanum arbitratus, protinùs capere percussorem satellitio mandat. Ad vocem iubentis insequitur Wilczkovium miles, audentiùs in vestigio hærentem, donec autore Rege iustam manus iniectionem inclamantibus amicis, se se instantibus eripiens, in Dominicanorum cœnobio receptum invenisset; nequé ibi tutam diu stationem ratus, sub noctem muros civitatis trochleæ ministerio transcendit, non improvidâ salutis curâ. Iusta ex facto temerario Regi ira, cuius sub aspectu fuso sanguine nobili, violata Maiestas erat; etiam exemplarem pœnam merebatur factum, absterrendis publico supplicio similia audentibus; hinc pro deplorato cuncti Wilczkovium habuêre, militari meritò antehac non obscurum, tunc prævalente affectu irâ vecordem. Vbi dies fugam retexit, culpati eo nomine Prædicatores, iam quòd ex commisso duello deliberati homicidij reum, in Ecclesiam vetito receptu admisissent; magis quòd iuvantibus illis per muros Ciuitatis quibus cœnobium adhæret elapsum, pœnæ subtraxissent. Frustra quippè à Magistratu retineri claves vrbis, si per summitatem muri, & admittere hostes, & emittere reos liceat. Ejusmodi factum alio tempore vrbis iniuriam censeri; nunc præsente Rege crimen Maiestatis esse. Tolerabilius tamen fuit elapso reo indignari, quàm si in manus venisset, supplici ignoscere. Etsi verò Wilczkovius, gratiam Regis post reparaverit, profuit nihilomin9 severior in factum indignatio, restrictâ metu pœnæ certandi duellis licentiâ; quæ tūc ex otio Castrensi inter militares summè invaluerat.

Wilczkowski. Iordan.

1653.

Sub has ærarij difficultates Rex in Castra ad Gliniany exercitum Lustraturus venit, comitantibus Togatis è Senatu, & Aulæ Ministris. Lætam hìc planiciem oppidum situ peramæno explicat, etsi ipsum belli calamitatibus desolatum. Cæterum fatalis locus Maioribus nostris creditus, ob agitatos olim Civili discordia gentis annos: præcipuè An. Ch: 1537. sub Sigismūdo Primo, destinata in Moldaviam Expeditione, isthic Poloni inter se magis contentionibus, quàm in hostem armis certavêre. Memoratur præterea antiquior Polonorum Conventus, An. Ch. 1380. Rokosz nuncupatus, vnde postea conciliabula eiusmodi, vocari consuevêre. Rem perennis traditio ita refert. Ludovicus Lois Casimiri Magni Sororinus, equè Polonis ac Hungaris Rex, sed qui hæreditario dominatui æquior, Provincias Haliciæ, ac Pocutij Polonis detractas volebat, vt Hungariæ adderet. Ac quo placita iure firmaret, indictis Albæ Regali Comitijs, plerosq; è Senatu Polonico illùc evocarât; extorquenda apud se faciliùs credens, quæ à libera gente in Polonia impetrare nequiret. Nec fefellit, spes Regem, assensis qui evocati ierant, ac iacturâ Patriæ desiderio Principis gratificantibus. Ast fervente sub initium libertate, malè autoribus avulsio Provinciarum cessit, Lubranscio, ac Granovio acerrimis integritatis Patriæ vindicibus. Fidem transactæ rei faciunt veteres manuscripti, in archivis multorum asservati, quæ tamen à nostratibus chronographis nescio quam ob rem transmissa silētio. In-

Gliniany.

Rokosz.

Haliciæ Pokucie

1653.

1653. ſuper Patrum memoria, confœderatus in Moſchovia Miles, ab obſequio Reip: & Ducum ſecedens; hic fixa ſtatione ſeditioſis molitionibus Patriam agitavit. Prominebant ſpatioſo Caſtra, quà Gologory itur, ambitu, copias omnes patenti plaga recenſente Rege. Quantùm verò Equitatûs armorum fulgore, ac refectis per paſchua equis eminebat, tantùm morbis ac fame exhauſtus pedes, ad ventorum ſpiracula titubavit. Exhibetur hìc Antonius Kijovienſis Coſacorum Tribunꝰ, à Dytynicio exploratum miſſo in Caſtra conductus. Legati inſignia præferebat, in ſpeciem literas miſericordiæ poſtulatorias ferens; vbi intima legationis excuſſa ſunt, miſſum apparuit, vt rerum intelligens, quis animus roburq; Polonis penitius noſceret. Siquidem proſtrata in Valachia Thymothæi fortuna, adeò anxium Patrem, in ſervilem animi deiectionem, ex immenſo illo ſuperbiæ typho egerat, vt à Satanonia quò cum copijs penetraverat, Regi vires obiecturus; fugienti ſimilis in Vkraynam ſe reciperet. Cùm vndiq; exſpem agerent, Turca offenſus, validi Regis in bellum paratus, vacillans Scytha, frigidus in ſuccurſum Moſchus, deniq; vnde primùm vel quæreret opem, ingenti ſolicitudine premebatur. Aiunt, deprehenſum à venatoribus lupũ, caudam ſubtus ſe involvere: etiam is, eorum more, qui ad evitationem noviſsimi diſcriminis verſatile circumagunt ingenium, huc flexit, quatenꝰ prænſatâ Regis clementiâ, tantiſper ſævientem procellam, ſuetis artibus eluderet. Itaq; vocata apud Tarnopolim in concionẽ plebe, multa primò pro Turcarũ potentia & patrocinio dixit, vt Orbis Domini, & ſubiectis populis nõ planè illiberaliter imperarent. Pro Moſcho dein verba fecit, præter communia ſacra limite contiguum extollens, & cui ſoli, ſponte ſe dedere tutum, nec indecorum Coſacis foret: poſtremò veteris dominatus, per tranſennam iniecit mentionem, non quòd revera pro Polonis ſentiret, ſed quo animi multitudinis inclinarent, experiretur. Fama fuit, conclamaſſe multitudinem, ſi omnino ſerviendum eſſet

Anton. Dytynicki.

1653. ſet antiquos præoptare dominos, & barbaricæ ſervituti, ac illiberali Moſchorum iugo, anteponendum benigni Regis imperium, tot clementiæ exemplis tractabile. Hinc Dux conſenſui haud refragatus Antonium miſerat, vt ſecurior tanquam multitudinis delegatus, ſuas quoq; non oſcitantèr partes ageret. Is primò ad Campiducem deprompſit petitorias, vt inter offenſum Regem, ac deprecantem plebem mediator accedere vellet. Dein ſecretiora legationis capita in concilio militari pandere iuſſus, porrexit folium, diverſo quàm peroraverat argumento, identidem adactum ſe vt ferret dictitans ſumma fuit. Profligati ad Batovum exercitus culpam, nemini iuſtius quàm ipſimet Kalinovio imputandam, vt qui provocator à repellentibus vim oppreſſus foret. Proin Coſacos noxâ cuius immunes eſſent, liberandos. Iam verò ſi emeritam Zaporoſcenſium militiam, inter ſuos adſciſcere Regi placet, veteres colendi Deum ritus, quales Orientali Eccleſiæ ex antiquo manent, ſublata vnione conſervandos: Pacta Zboroviana in ſolidum reaſſumenda: Rex Varſaviam regreſſꝰ pacandæ Vkraynæ Commiſſarios mitteret, ac in eum finẽ Internuntius, cum indubitata declaratione clementiæ quãtociùs remitteretur. Nam, ſi abrupta ſpe veniæ in Crimen Maieſtatis vocantur Coſaci, alium ſibi Dominum & externas gratias quæſituros. Ad expoſita ea, non iniuſta ſubijt omnes indignatio; vt Campidux mitis alioquin, & pacati animi, ereptâ de manu aſsiſtentis Optionis clavâ, mox ſe agreſtia & pluſquam barbara poſtulata (inhibitus ab aſtantibus impetus fuit) ferro deciſurum minaretur. Itaq; Antonius nè viſo Rege in Caſtris detentus manſit; tranſmiſsis per vnum è ſuis Chmielnicio literis, quibus ei ſervilis perfidiæ typhus, ſimul Chriſtiani ſanguinis ſitis inſatiabilis objecta ſunt. Affuêre dein à Baſilio Palatino, etiam Thymothæo internunciꝰ, quorum prior fide & opera ſua Regno nõ inutili commemoratis, collapſæ fortunæ quod verè Regiũ eſſet opus, ſuccurri poſtulavit: alter ſtolidè ferox, ſubitum

ſe Re-

1653. ſe Regis profeſſus, quidquid terrarum Danubio alluitur ſubiugandum, proprijs viribus promittere auſus. Neq; Logoferus Stephanus omiſit, novum dominatum regalis patrocinij fulcro ſtabilire, Tranſilvano ac Moldavo, armatæ ſocietatis competitoribus, & in communem hoſtem cõmilitio Polonorum adſcribi petentibus. Stephani præ Baſilio cauſa favorabilior viſa: tum, quòd à Turca in Palatinum Valachiæ recens deſtinatus; tum, ſi in Thymothæum proprijs armis bellum gerit, Coſacorum vires facilè diſtractus, ac ita diviſas minore negotio à Rege opprimendas, ſuffragaretur commodiſsimè. Etiam dona obtulit, complura dolia vini infectiq; melis vaſa, ac præter paſsi pecoris in vſum culinæ gregem, equos duos curſu pernici & formâ ſpectabiles. Reſponſum iſti. Favere Regem novellæ inautorati Palatini fortunæ, ex qua Baſilius, animo turbidus, fide ambiguo, ſuo demerito excidiſſet. Indolere ſimul, quòd qui ſibi rebelles, ijdem & ditiones Turcicas turbent, & ſua cum imperio illo fœdera indignè convellerent. Oſtenſurum nihilominus quàm cordi ſit, illæſa cum Turca vicinitas ſarta tecta ſervanda; etiam Palatino non extra vſum fore, quòd ſpes resq; ſuas in patrocinio Regio collocaret, Baſilio ſimul renuntiatum. Submitteret vela adverſitati, qui proſperis ac tranquillis rebus vti neſciviſſet. Cæterum, ex caſu quo depreſſus, commiſeratione non indignum videri poſſe, niſi cum rebellibus Regis, ſe iunxiſſet; nunc Turcam laceſſendo, vt poſthac Poloniam oppugnaret. Namq; ſubinde Baſilius recollectis ſenſim naufragæ fortunæ tabulis, attollere ſe ex caſu videbatur, iam in emercandum Turcæ favorem opulentiâ valens, iam ſubventuri Thymothæo Patris acceſsione virium validus. Præterquam enim ſolicitum de filio Chmielnicium, angebant ingentes theſauri, quibuſcum vxorem Baſilius Soczavæ committens, dotales nurus ſuæ opes, infirmè locatas Stephano proſtituerat inhianti. Soczava ad Seretum amnem vetus magis quàm firmum oppidum, in

Soczawa Sereth Fl:

circuli formam murus ambit; adiacente Caſtello, quod nuper Hieremias Mohiła Dux gentis, operibus ac vallo circũductum permunierat. Hic Baſilius Cameneco revectas opes, dum nihil vſpiam tutum irritanti metallo credit, & omnia timet, malè conſulto depoſuerat, quò citiùs perderet. Quidam Stephani dolum ſuſpectabant, facilem concordiã cum Baſilio fingentis, nè peregrè evehendo, aut impenſè largiendo, iacturam peculij faceret: aliqui Chmielnicio imputavêre, metum ex Rege Polono adijciente, quaſi eius rei gratiâ Leopolim veniret, vt prætenſo crimine, quòd Baſilius Coſacis iunctus; ſequeſtratæ poſt indigenam opes, fiſco eius cederent: hinc ſeu metu, ſeu intellectu calligante, malè perſuaſus, intra confinia Valachiæ depoſuiſſe. Aderat ſocrui Thymothæus, pro Thymothæo Coſaci ſtabant, conductitij Valachi pro familia, omnes pro theſauris. Inexpugnabilis iſte faſcinus animorum ac oculorum; ſanguinem prodigit vt lucrum occupet, & vt non ſudet in acquirendo, vitam impendit. Neq; crede gloriam pugnando quæri, ſi aurum pectora in certamen vrget. Fortalitium inierat Baſiliſſa cum Mille peditum legione, dudum Baſilio privato ſumptu conducta: Mille CC. præterea Semenij peritiſsimus iaculandi pedes. Oppido impoſuerat Karaſaſſos quibus diurnum ſolarium Talerus Leonis: hinc apud levem militem conſtantia in fide, & maior adverſùs obſeſſores pertinacia. Sed ſpes omnis in Coſacis, quorũ Chmielnicius, cum Nicolao Fedorovicio ſeptem Mill: ſubmiſerat, robur ſuorum, ac filio in extrema fidam manum. Iſti, dum vaſtum agmen oppidum non capit, per ſubiecta in plano conſedêre, circumiectis vndiq; operibus tuti. Superventu Moldavorum adhibita in oppugnandum vis fuit, exili ſanè adverſùm munimenta & viros efficacia; Coſacorum præcipuè per crebrás eruptiones proſperiore in hoſtẽ ſucceſſu. Experti dehinc Moldavi nihil in ſummam proficí poſſe, ac Chmielnicium in ſuccurſum filio cum Scythis tendere, crebreſcente famâ; auxilia Poloni Regis vr-

1653. gentiùs penſavêre. Nemo ambigebat mittenda, præcidẽdis viribus rebellium in aliena terra; tum quòd Glinianenſibus caſtris diffluens miles, non ſine murmure dilata in eam diem ſtipendia repoſceret: etiam Sias Baſsâ Siliſtriæ Præſide invitante, qui datis ad Korycinium Regni Cancellarium literis, amicè ſubmonebat, Coſacos à vi arcendos, vt qui dominia Turcæ invadendo, ſuis æquè ac vicinis agerent infeſtos. Tandem quô diuturna in loco Exercitus morâ, afflictæ aut conſumptæ annonæ conſuleretur, ſubmittere auxilia decretum; modeſtiore inter diſcrimina milite, ſi alieno in ſolo ſucceſſum belli & panem habet. Quatuor proin millia levioris armaturæ deſtinata. Sub Kondracio, ac Kłodzinio ductoribus, præter non obſcura militaris ſolertiæ experimenta, notæ celeritatis: inſuper Denhoffium cum ſexcentis ſclopigeris equitatibus ac Michaélem Obuchovicium, Fœdaratorum animis penitius introſpiciendis, Rex addiderat.

Kondracki. Kłodzinski. Denhoff Obuchowicz.

Primus ingreſsi Valachiam Kondracij ſucceſſus fuit Mill Scythas diſperſiſſe, quos pretio inductos Chmielnicius, explorando ſtatui rerum ſubmiſerat. Mox arctiori obſidione circumdata Soczava, nec adeo promptum erumpere Coſacis, vbi à Denhoffio operibus, à Kondracio continuo aſſultu ſtringi cœpêre. Cùm experientiâ palam ſit, animos hoſtium citiùs diuturno obſidio, quàm præſenti frangi impreſsione; ac fruſtra multa inter pericula feſtinandũ, ſi terræ glebâ, magis quàm ſanguinis impendio, parabilis ſit victoria. Etiam Rex incruenta potiùs ſubactione loci lætari volebat, quàm ac invaſione violenta famam quærere potiundi: tum quòd expediret ita externo diſcrimini immiſceri vt participium periculi æq; pacis vtilitas pariter ad ſocios armorum pertineret. In eum finem Marius Iaſkolſcius Excubiarum Præfectus antemiſſus, vbi in ſociandas vires animosq; Tranſilvanum ac Moldavum propendere comperit; ſecutus mox Chriſtophorus Gembicius Gneznenſis Caſtellanus, mutua pactione devinciendis in eam

Iaſkolski Gembicki.

legem

legem Colligatis; vt ſi Poloni pacandis Valachiæ rebus ſanguinem & operam impendunt, viciſsim id conſociatione armorum à Principibus iſtis in communem hoſtem redhiberetur. Quod tunc eodem parario perfectum eſt; in ſtabile vtrinq; fœdus, firmatis partium iureiurando animis. Leopolis interea per intricata ſtipendij nomina belligerendi opportunitatem morabatur. Arma in promptu, Regis præſentia, ſtudia ſociorum, ratio temporis, accingi in opus Martium vrgebant: quo verò modo quavè arte, non ſolutis ſtipendijs miles extrahi poſſet, nemo reperiebat; promptior infallibiliter obſequio futurus, ſi vanis promiſsis ineſcato, non illuderetur. Expectabat hærens, hærebat dubitans, diutina procraſtinatione ſuſpenſus: iam vt dolorem propè, ita non longè ab indignatione iactis promiſcuè vocibus, palam & paſsim ſeceſſum cum renuntiatione obſequij minantibus. Haud iniqua iræ cauſa in eos, qui ſtellionatum rem privatam ex milite lucris augent; & improbo per defraudationem ſtipendiorum quæſtu, meritorum præmia, ac agendorum tempora pervertunt. Melior tamen tunc Procuratorum Ærarij fides (etſi paſsim publico odio ſuccumberent:) nec ea militis Patritij pervicacia fuit, qui ſtudio gloriæ, Patriæ operam præſtat, ſerviendo. Ardua nihilominus cura illuſtribus è Senatu viris à Rege ſubmiſsis, incubuit; quomodo exulceratos, ac in ipſo matris præcipitio militares animos, componerent. Ægrè convenit, vt quantùm ad præſens pecuniarum in parato diſtribuerentur, addito Ad Rationem percipi tantùm; quæ reſtarent nomina, verbo Regio firmata cautione, quamprimùm ab ijs qui cum iniuria retinerent repetita, de toto & in ſolidũ exolutum iri. 1653.

Subſiſtente Leopoli Rege, venerat à Moſcho Legatio, Comitatus CCC. Equitum erat, verſicolor veſtis, equi ſuperbè phalerati formâ impare; & omnia in faſtum aut oſtentationem. Placere ſibi exquiſito apparatu viſi, donec XXIV. cohortes è Caſtris accitæ, officij causâ occurrebãt

excipiendis: tum demùm comparatione alieni decoris, cri-
1653. ſtas ſubmiſêre. Ivêre noſtri militari gradu, fulgentibus ſignis, diverſo armorum genere cultuq́; ; erant qui in totũ cataphracti pellucido niterent ferro ; loricæ aliorum radios ſolis irritabant ; alij ſub tygridum exuvijs, ſtrutionum pennis, Perſicum in morem clypeati ; militare decus augebant, generoſis in volubiles gyros equis latâ planiciè circũactis. Nec animorum vigor in obſcuro fuit; primo namq; manè campum ingreſsi, per flagrantem immodicis ignib⁹ ſolem, ex diſciplina equis inſidentes, in veſperam exegêre. Moſchi vt magnificè accepti, ita per hoſpitia lautè tractati ſunt; grandes in tot cænipetas ſumptus, Theſauro erogante. Exhibiti Regi, præter veteres querelas, mediationi Magni Ducis, & in pacificandis Coſacis operam offerebant ; id officij conditionatè præſtitũ iri recipientes, ſi ſublatâ per totam Regalem Ruſsiam *Vnione* Orientalis Eccleſiæ ritib⁹ conſuleretur ; Maieſtate Mag: Ducis imminutione titulorum læſa ante omnia ex condigno reparanda, aut ſaltem traditione Smolenſci cum attinentijs placanda. Conſtitit demùm veniſſe ſpecie magnificos rerum vacuos, & qui in tempus perſonati amici, acciſas Chmielnicij res opportuna ſuſpenſione armorum refoverent, aut deniq́ quid ex formidabili illa armorum coniunctione ſperandum, aſtutè rimarentur. Prolixè per deſtinatos actum, quominùs introſpici abſtruſiora intentorum poſſent ; Etiam Witovius Sandomirienſis Caſtellanus morum gentis ac tenacis ſilétij gnarus, multo ſuaſu impellebat, vt apertè promerent quorum cauſâ veniſſent : in longinquum bellum abeunte Principe, fruſtra poſthac velle expoſituros, vbi tempus effluxiſſet. Sed nihil excuti potuit, præterquam miſſuros pro informatione ad Mag: Ducem, ſi interim conat⁹ Thymothæi in Valachia non interpellarentur, vt potè ad exagitandum Turcam Chriſtianitati proficui. Vnde haud obſcurè apparuit, anteponi fœderi noſtro patrocinium Coſacorum, Chmielniciumq́; palam pecuniâ ac re tormentariâ ſubmiſsis, ab ijs in Polonos inſtructum. Septi-

Septimo Nonas Septembris Leopoli Rex, etiam Exercitus à Gliniany movit; lento nimis inceſſu, cum iugi pluvia madeſcens Autumnus, accelerari iter haud permitteret. Sederat conſilium, ſi Chmielnicius (vt rumor tulit) liberando filio in Valachiam deflectit, vndiq; incluſum commodè circumveniri poſſe: ſin ſe in viſcera Regni effunderet, relicta fato ſuo Soczawa, arma & obliquo in incurrentem vertenda. Hinc Haliciam verſùs deſtinata via, dum nihil certi de hoſtium occurſu affertur, aut ſeri Provinciarum delectus. ſupplendo exercitui expectantur, Rex, quid facto opus ; cum militaribus deliberavit. Etſi enim ſummo iure decernere potuit, præſertim vacante tum generali armorum Præfectura, nihilominus explorandas voluntates ſuorum cenſuit, fortè experturus, an ſagi munia, cum Togæ negotijs, pari animo ac libertate agitarentur. Hìc verò diverſa, ſuo quisq́ pro ſenſu ſapuêre. In Vkraynam, vt rectà verterentur arma complurium ſenſus erat; inter quos Landzkoronius eo fermè argumento dixit. *Duplicem diuinitùs offerri potentiſſimo Regi gloriæ materiem : vnam quidem in ſubacto poſtquam expugnatur Soczawa Thymothæo ; alteram in præcidendo rebellionis capite, ſi vincitur Chmielnicius Pater. Grandis vtraq́, ea momenti, & quantùm periculoſæ plena aleæ ; tantùm eximiæ ad poſteritatem commendationis vtralibet habitura. Maturuiſſe tandem cum revoluto in autumnum anno regali manui meſſem, quæ victrici ferro ſubacta, in manipulos iuſtiſſimæ vltionis, ſimul & immortalis gloriæ faſcianda ſit. Aſt in poteſtatem redigendæ Soczauæ, levis aliquot cohortium labor, & vnius alæ Ductoris, privata fortuna fuerit ; magis arduæ te Ser: Rex manent, qui iura Orbi dare natus, excelſam indolem hiſce minutis occupari non patieris ? Quæ verò indignitas, exile vnius oppidi clauſtrum, in quo imbellis ſcrutorum ſuorum farragini anus incubat ; ac deteſtabilis contorto ad ignem veru aſſans mulierculis carnes Thymothæo habentur, præpotentibus armis tuis circumſidebis ? Alia longè ſunt de te Orbis expectatio, & noſtrum vota : quibus etſi ad mi-*

1653. *nimos nutus tuos morigeris, non tamen ſine adæquato victoriæ pretio, ſanguinem fundere lubet. Offert ſe enimverò diffuſiſſimus Vkraynæ tractus, qui Regem ſuum, vbi vtrag; Boryſthenis ripa potiitur, iam retrò Septemtrionis dominatori, iam vltra Euxinum Tyranno Orientis, formidabilem oſtendat. Non ab alio nobilis Roxolania vindicari cupit, niſi à Caſimiro, non alio Monarchæ pervicax collum ſubmiſſura, niſi Vncto Domini. Liberius ibi decurrent immenſa ætheris ſpatia Aquilæ Sarmaticæ, quæ in arcto dominatus Valachici hemiſphærio, ægrè pennas involatum exped rent, etiam fatalia iſthic fagineta exhorrentes. Maior quidem ſubiugandæ Vkraynæ labor; aſt gloria incomparabilis; imò neceſſitas, Patriæ tranquillandæ: excellentiore providentiæ titulo, ſi regia via in hoſtem tendens, populandi Provincias Regni licentiam, obiectu virium hoſti eripueris. Glorioſior hinc ex ſeruatis ſubditis Civica, quàm ſi Mille hoſtes interemeris: pluris æſtimabitur pacatæ laurea Patriæ, quàm ſi innumeris arcibus vicinos incommodantibus potireris. Faxit interim Deus, vt Bohdanº ſimul & Thymothæ, quos natura ità hoſtilitas ſua in nos vnijt, in Vkrayna ſimul & Valachia victi, exiſtãt immortales gloriæ tuæ materies.* Hæc Landzkoronio, hæc plures quibº per Podoliã ac Pocutiã ditiones, metu an providentiâ, nè ſi illàc tranſit aut ſubſiſtit exercitus deſolandi. Diverſum prompſit ſenſum Regni Marſchallus Lubomirius, præſentiſsimâ trutinâ, rei ac temporis momenta perpendens. His ſanè verbis. *Haud diffiteor Ser: Rex, ſi anteactis conſilijs intereſſem, non facilè ſuaſurum me, vt obſidẽdæ Soczaviæ negotium, miſſo cum parte copiarum Kondracio vrgeretur: non item vt ſua Mai: bello præſens adeſſet; multo magis in obliquum latus, quo Camenecum eſt, deflecteret. Etenim ſepoſitis alijs conſiderationibus; minus fortè expediebat, in obſidione Soczaviæ ſumptum ſanguinem, imò tempus perdere evidentiore commodo publico, & ſuæ Mai: gloriâ, ſi in ditionibus Regni dudum cœpto bello inſtitiſſemus: etiam ſi voto non reſpondiſſet eventus, vt eſt alea belli variabilis & anceps, minore dedecore. Nunc ablegata copiarum parte, Colligatis Principibus fide & adventu S. R. M. in ſocietatem armorum erectis, ne-*

quaquam

quaquam citra levem famæ iacturam fore arbitror, Soczaviã 1653.
inexpugnatam deſerere; quæ iam ſemiconfectum opus, vt credi par eſt, aut per pactiones, aut vi vlteriore, non difficilè ſubigi poſſit. Verùm ſi deſeritur, præter ſolius famæ detrimentum, multa conſequi incommoda, cauto bellatori providè diſpiciendа: Primò hoſtem à tergo relinquere intutum; imminuendam ex receſſu Colligatorum fiduciam; hoſtem animo augeri, ſuos verò, dũ irriti ſucceſſus evaneſcunt, ſuccumbere. E contra recepta ea, percellet fautores partis, quâ bella conſtant famâ, adverſarios conſternabit, intrabit Polonus Vkraynam & victor, terrore ſocialium armorum duplicato, ipſo ſucceſſu animoſus miles, per ſecunda prælia ad victorias, per victorias in conſummandum bellum enitetur. Ibit S. M. in viſcera Roxolaniæ ditionis propriæ ſpectandus vicinis, rebellioni formidabilis; ovabunt exules, applaudet plebs, proſequentur votis & copijs Colligati, quæ etſi levidenſe additamentum virtum noſtrarum, aliquid tamen ad famam valebunt. Conceſſerim ſanè duo motiva eſſe, amovendi à Soczava Kondracij. Nempè habendam rationem temporis ac operæ, alieno fortalitio expugnando inſumendæ. Alterum, fieri vix poſſe quin hærente propè Camenecum Exercitu, vt ad alimenti penuriam circumſita ora redigatur. Et anterioris quidem puncti, præpoſtera conſideratio eſt; ante enim dimiſſum Kondracium deliberandum fuit, obſidenda nè Soczava? Si iã factum vt mitterentur in obſidendam copiæ; nè miſſæ irrito effectu redeant, enitendum. At Cameneco inferri commeatus penuriam, hinc famem? Eodem modo vbicunq; terrarum ſubſiſtimus, idem malum metuendum, niſi refrænata calonum licentia, aliquis ordo aut modus conquirendis victualibus imponatur. Sed eſto, omiſſam Soczavam nullam à tergo faceſſituram diſcrimen? cur in Vkraynam deproperemus, perpendere liceat? Hoſtis aut occurret nobis, aut ſuetis vſus artibus expectabit. Si occurrit, diſſertitis copijs, longo itinere ac fame feſſis, cum recenti non ſine diſcrimine decertabimus. Si expectat itidem laſſis obijciet locorum iniquitatem, aut pugnæ neceſſitatem imponet, cui dum oppugnando ruimus, vtinam defendendo ſufficiamus.

1653. *mus. Si munitionibus ſe incluſerit, inexpugnabilẽ hyems præſtabit; ſi ſtatarium prælium init, ancipiti marte depugnandum fore. Neq; in hyberna diſtribuêre militem licebit, ſparſim faciliorem opprimenti, nam dum ſinguli pugnabunt vniverſi vincentur &c. &c. Satiùs ſubacta quoquomodo Soczava, redituris in Patriam aliqualis victoriæ famâ circumdari, quàm irrito effectu tentata, cum temporis ac famæ diſpendio ingloriè traduci.* Hæc, preſſa & gravi oratione elocuto, haud occulta Principis offenſa accipiuntur, quòd vir Togatus (Legionẽ aut cohortes ſtipendiarias nullas tum in Exercitu habebat Mareſchallus, etſi vltra Octingentos ſub ſignis milites proprio ſumptu in Caſtra cõduxiſſet) Principi ac Senatui probata ſolus reſtringeret, & palam culparet conſilia, quorum non ipſe autor fuiſſet. Hinc diverſus ſententiæ Rex, iter militare Bracłaviam verſùs edicit; nondum firmatos acceſsione Scytharum Coſacos præventurus: cùm occultiore impulſu ablegaſſet Machouium, inſinuandæ Soczavienſibus deditioni; quem ponè Houvaltus cum ſexcentis Deſultorijs, ac Campeſtribus aliquot machinis ſequebatur.

In ſeſqui menſem trahebatur obſidium, aliquoties irritò tentata impreſsione, cum Moldavi nequaquam eam adferrent pugnacitatem, qua tot viris inſeſſum munimen ſuperari poſſet. Clamoribus tantùm aggreſſos valla Polonos iuvabant, vnde & iſti fervore decidere viſi; nam dum ſibi quisq; famam aut ſpolia deſtinat, rari laborem ac periculа ſubeunt, inde opera ac ſucceſſu pigriore. Kimenius quidem Hungaris Præfectus, quatuor maioribus tormentis arcis muros convellebat, vnde deiecta valli lorica, etiam interiora ad ictũ pateſcebant, quæ tamen verberatio exili profectu inſtitui viſa, cùm introrſùs agger & foſſæ cõcuſſo muro obijcerentur; tantaq; laboris pertinacia in veteri vallo vineæ ac corbes excitatæ, vt ſub obſidionem conſummatiori opera, munitiones Soczavam abſconderent. Erumpebant præterea creberrimè Coſaci ad vsqué ſuggeſtus tormentarios, vt inde machinæ in tutiora aſportari debuerint.

Kimeni. Ianuſz.

In

In tantumq; audacia ex ſucceſſu creverat, vt per noctem ſtationibus noſtris aſſultantes, Kłopotovij turmam ſaucio ductore diſiecerint, cæſo inter alios Stephano Maczynio, claræ ſtirpis ac virtutis iuvene. Patuit vt conſummaretur negotium moram provenire, quod diverſarum gentium Duces (aberat Palatinus Moldaviæ) regulas agendi aliunde & procul peterent, quæ in promptu & præſentium eſſe debebant. Interea dum è longinquo conſilia poſt res afferuntur, labebatur tempꝰ, & occaſiones, tum demùm agendi poteſtate oblatâ, vbi nihil auderi poſſet. Attamen Houvalti ſuperventu excitatus fervor erat; veterano ignavam ſocijs operam exprobrante, & animorum in re ipſis vtili, ad deridiculum remiſsionem. Erecti demum in ſpem impreſsionem adornavêre, præferentibus alacritatem Hũgaris, modò non in eam partem qua Coſacis ſtatio, incurrere iuberentur. Adverſùm hos è contiguo monaſterio, vbi Denhoffij ſtatio, inſtituta exploſio, noxijs paſsim ictibus vallo proturbabat defenſores, cum ij ſubito ac vltra ſpẽ è clauſtris ſuis evoluti in Moldavos ingruentes, interfectis aliquot Centurionibꝰ loco depellũt, ac deſtinatam impreſsionem interturbant. Mox, ſub proximam noctem in Polonos erumpunt, tenebris ac laſsitudine, ſopitos credentes: niſi ſolers, Kondracius cognito ex transfuga conſilio, ad primum adventantium ſtrepitum vigil, paratas in diſcrimẽ cohortes ante valla obiecerit; quoad ſpe deiecti ac accurrentibus auxilijs terrefacti, exitiabilem audaciam inobſervato per tenebras abſceſſu conſignarent. Interim Machovius deditionem ingerebat, non tamen perſuadebat; allapſis Baſilij literis, vnius tantùm ſeptimanæ conſtantiam ab vxore generoq; repoſcentis. Premebat ſub hæc obſeſſos victus inopia, in potum tribus puteis haud ſufficientibus; namq; corruptis pridem conatibus, ac averſo qui ex Sereto derivatus torrente, ordinariam aquationem Denhoffius ademerat. Verùm Baſiliſſa, ſupra ſexum animi erectior, excitabat generum hortatu, Coſacos largitione, Valachos promiſ-

1653. Kłopotowſki Maczyński.

1653. promiſsis, omnes exemplo. Partiebatur far, carnes, pecora, etiam aquam moderatis ad menſuram portionibus, & omnia non pro muliebri genio ac fragilitate. Tum pulveris nitrati occurrens defectus, elaborando excitaverat officinas; Thymothæum meri haud contemptorem, quominus Coſacorum animos compotationibus devinceret, perurgens. Sanè liquebat mulieris vnius conſtantia eluſam tamdiu Colligatorum vim; etiã averſata qualeſcunq; dedendi conditiones, cum non inhonoræ eæ, iam à Machovio, iam à Tranſilvano imperia Turcæ obtendente, ſuggererentur. Venit tandem ſũma dies, quâ ſors magis & caſus; quàm humana conſilia aut vis, pertinacis Soczavæ portas reclusit: valeſcebat fama reſcindendo obſidio adventare Scythas, qui vera ea optarent aut metuerent, creditu facilis: vndeColligati acriorem in fortalitium exploſionem inſtituerant, inter multiplices ictus libratore Hungaro, directâ in celſius conopæum machinâ, deſtinatum ſcopum non infeliciter feriente. Diſcumbebat Thymothæus cum ſocijs, cum ecce ferrea Colubri pila, rotam currus diffingens, bino axis fragmento ad eliſionem cerebri caput ac pedem contudit, immani in ſubitam exanimationẽ vulnere. Corripiunt aſsidentes repentè ſenſu defectum, cui iam erepto capite nuſquam ſuperfuit vita. Intra conopæum abditũ cadaver, celata in ſextiduum morte Coſaci tenuêre: vnde ingens luctus & deſperatio ſubibat Nurum, haud vanè neganda à Patre auxilia conijcientem, vbi occiſum filium innotuiſſet. Nihilominùs vt erat ſuſpirijs ac planctu recens, cum potioribus è gynæceo ſtationes militares ingreſſa, precibus & lachrymis obſecrabatur Coſacos, quatenùs qui pro vivo Ducis ſui filio ſtrenuè depugnaverant, eadem conſtantia orbam ſe, Filiamq; ex Thymothæo vterum ferentem, in extrema tuerentur. Nec inefficax apud Coſacos Baſiliſſæ poſtulatio credi potuit, (cum Valachiçæ mulieres forformâ & illecebris, vix Peruſinis decedant) qui mox protẽſis dextris, non deſerendam teſtati, fidem & conſtantiam ſuam pe-

1653. am periclitanti adpromiſêre. Hunc finem immanis & cruentus, perpetratæ ad Batovum lanienæ autor, ſortitus; miſerius à glande tormentaria vitam finiens, quam noſtris eã emptis percuſſoribus eripuerat. Ferociâ magis quàm vlla militari virtute notus, cùm ingenium Patris infra eſſet, vitijs ſuperavit; in divos blaſphemus, amicos periurus, cũctos truculentus. Omnia divina & humana ſuſq; deq; vertere minatus, Pontifici, Turcæ, Regibus, convitia oggerere ſolitus; ſolâ temulentiâ, & furioſo animi impetu, in audaciam præceps.

Barium propè Rex militari via penetraverat, cùm quarto Nonas Septembris, à Stephano Palatino citus equo nuntius adtulit, Bacciſlaraio Hanum Crimenſem moviſſe, eundemq; acceleratis itineribus, in Valachiam iter deſtinare, ferendam ad opem Soczavæ, opibus quo pro ſe tolleret Baſilij, ineſcatum. Tum demum Mareſchalci conſilium ex eventu æſtimari cœpit, attrito paſsim inediâ ac itineribus Exercitu, præcipuè vbi per Barenſem deſolam penitùs oram tranſit: adeò evaſtato tractu illo, vt qui ſemina terræ mandarent mortales, vix reperirentur. Inter alia mala, etiam non ſoluti æris reminiſcentia ſubibat militem, coortis inter queribundos vocibus, trahi ſe per inhoſpitales in longinquum bellum oras, vt nè viſo quidem hoſte perirẽt, cruentos interim emeriti ſtipendij aſſes, ab ijs conſumptũ iri, qui nunc perdendos, ſuis artibus eluſiſſent. Cœpæratq; turbidis imbutus miles imperia detrectare, quoad ex ſeveritate turbis remediũ Campidux quæſiturus, vnum ex turmalibus, qui deſerendi ſigni autor ſocijs fuerat, caſtrenſi ad Balinam iudicio, capitis ſupplicio affici iuſſerit, abſterrente cæteros exemplaris pœnæ intuitu. Bacciſſaray.

Demùm Soczavæ dedendæ conſilia, acrius poſt extinctũ Thymothæum agitari cœpêre. Nam tametſi Coſaci multa pollicenti Baſiliſſæ in extrema ſe perſtituros obtulerant, at vbi ſublatum authorem deſperata auxilia, & vim in oppugnandum parari vident; maximè propter accepta ab hoſtium

1653. ſtium telis detrimenta, refrixerat ardor, vt ſi modo tolerandæ conditiones darentur, eas non omninò averſari oſtendebant. Non ingratum id Colligatis, ſatius periculoſis laboribus, & ſanguini ſuorum parcendum ducentibus; etiã comperto abſeſſorum animos contra famem & arma obſtinatos adeò, vt in defenſione fortiter mortem oppetere, quàm turpi deditione vitam paciſci præoptarent. Etſi quominus pactiones abrumperet, nihil non agente Baſiliſſa; iã adventum Hani, ac militarem in caſtris Polonorum ſeditionem rumoribus differente; iam opes quas haberet, in Coſacos ſi perſtant erogaturam; etiam vacuum filiæ talamũ Præfecto eorũ, aut qui alius virũ ageret, oſtentando. Attamen invitâ ac muliebriter reclamante, inſtituto colloquio, ad leges deditionis ventum: inclinavitq; Fedorovicius vt fidem Polonorum ſequi mallet; Moldavos ſibi ob rapinas anteacti anni formidoloſos cenſens. Eadem clementiæ regiæ opinio Valachos ſtimulavit, vt in nomen Regis arma deponere offerrent; verùm ſuggeſtum fuit, Principis alteriùs ſubditis fruſtra à vicino patrocinium quæri, interceſſionem non negari. Inducti ad mitiora obſeſſi, ijs conditionibus arma poſuêre, quæ memoriæ cauſâ pono. *Iurent de facto Coſaci, Ser: Regi, ac Reip: Polonæ fidelitatem. Tranſiluaniæ Principi ac vtriusq; Moldaviæ Palatinis bonam vicinitatem, & quòd nunquam illorum inimici directè vel indirectè forent. In ſignum humilitatis, vexilla militaria, coram Illuſtr: DD. Commiſſarijs Colligatorum Principum, in terram deponent; quæ manebunt pro S.R. Pol:, retentis pro ſe ex benigna conceſſione ſignis decem. Nihil ex bonis ſub adventum ipſorum Soczavæ repentis ſecum vllo prætextu auferent: Arma ac ſclopeta minora hactenus offenſiva, ſimiliter humi poſita, præmiſſo iuramento, nunquàm contra PP. Colligatos vertenda, reddentur ipſis. Bona Thymothæi relinquentur circa DD. Commiſſarios; bona etiã ex tẽplis Moldavicis rapta reſtituentur. Neminẽ ſecum ex arce oppidovè abducent; Fortalitio Soczavienſi, cum omnibus quæ in ſe continet, in manus moderni Palatini Valachiæ*

chiæ conſignato. In regreſſu damna nemini inferent, neq; poſthac ditiones Colligatorum PP. infeſtabunt. Rebus Baſilij Palatini, Baronum, ac ſequacium eius, ſe non immiſcebunt, neq; illis patrocinabuntur; ſuper quæ puncta bona fide Chriſtiana, ſinguli iurent. Nec quicquammoræ interceſsit quin iurarent eâ ad verbum formulâ. *Ego Nicolaus Fedorowicz, protunc Exercitus Zaporoſcenſis Senior, cum Collegis ac Tribunis meis, iuro, per nomen SS. Trinitatis, Beatiſſimæ Virginis, ac SS. Omnium, quòd in præſens experti benignitatem ac miſericordiam Ser: Regis Pol: D.N. Cl:, tum Illuſtr: Tranſilvaniæ Principis, ac vtriusq; Moldaviæ Palatinorum; ſicut S.R. noſtro conſtantem poſthac fidem, ac ſtabile obſequium ſpondemus: ita Illr: Prin: Tranſ: adpromittimus, nos abhinc nullo modo prætextuvè, perſonam aut Dominia eius hoſtiliter oppugnaturos, imò contra eiuſdem hoſtes & adverſarios, vtriusq; item Moldaviæ Pal: auxilio adfuturos. Quod ſi hanc iuramento obſtrictam fidem noſtram, erga Ser: Regem Remq; publ: Pol:, tum erga Principes Colligatos ſponſionem, in quopiam à nobis violari, neq; deſcriptis conditionibus ſatisfieri contingat; iamtum vlciſcatur Deus iniuriam nominis ſui perperam invocati, ſuper nobis, Coniugibus, ac pignoribus noſtris. Sic nos Deo adiuvante, ac Sancto eius Evangelio. Actum ad Soczavam in Caſtris, die 9. Octobris, Anno Chriſti 1653.* Convenerat cum Federovicio in arcano, ituros ſub ſignis ad Caſtra Regia Coſacos, per evidentem ſubmiſsionis actum, vbi Regi militant, diluendæ rebellionis culpæ. Credidêre noſtri pactum ex fide exolvendum, additusq; Mogielnicius Equeſtris Centurio, qui deduceret, ipſis viciſsim quatuor è ſuis obſides manu tenendæ pactioni tradentibus. Verùm vbi Poloni conſulendo equis ob pabulum feſtinanter abſcedũt, Coſaci cum cadavere Thymothæi, tranato Tyra, ac abducto ſecum Mogielnicio velociſsimè in Vkraynam perrexêre. Craſſo conciliantis deditionem errore, quòd non Præfectum aut melioris notæ Tribunos, ſed extremæ ſortis vernas, vadimonij loco recepiſſet. Ita Soczava in manus Ste-

Mogielnicki.

1653. phani Palatini, etiam Basiliſſa antagoniſtæ vxor venêre: penes quàm reperti minores opinione theſauri, quos mulier anxia retinendi, partim profusa in Coſacos largitione prodegit, partim in nigras ſub terram ſpecus defodiſſe credita, metu nè hoſtis potiretur. Similius verò fuit, Basiliũ mercuriali fidere & ingenio hominem, nè omnia in ſe caſus aut fortuna poſſet ſolicitum, Conſtantinopoli, Venetijs, Amſterodami, Gedaniq; , ac per alia celebriora emporia, nominibus in fœnus datis, providè, pecunias inter negotiatores diſpertijſſe ; etiam quo rem per verſuras augeret, Polonis pretium operæ ſtetit, ſeptem campeſtribus machinis, ac vnde quinquaginta gradioribus tubis, quos è furcillis librare mos. Aderant cum Kondracio in obſidendi curas, è Polonis, cohortium Præfecti clariores, Sſuzevius Pater Koczubey dictus, ob celebrem bellis Scythicis operam, cum Filio itidem turmæ ductore; Wielohorſcius, Kłodzinius, Alexander Minor, Piaſecius, Kruſzelnicius, Kłopotovius, Mogielnicius, Roſzczyc, Telezynius, alijq; alarum veterani Ductores, cum ea obſidio vltra quadringentorum iactura è noſtris ſtetiſſet. Kondracius non diu deditæ Soczavæ ſupervixit, aliqui ſublatum veneno ab æmulis tradidêre ; pleriq; tædio animi ſeu atra bile conſumptum, vbi grandi pecuniæ extorſione deditionem pepigiſſe inſimulatus; etiam vt elaberentur Coſaci muneribus corruptum cõſenſiſſe. Convincit falſam obiectionem melior viri fama, tum ſilentio intercidens ſuſpicio; neq; poſt extinctum, cooperatori deditionis Machovio à quoquã intentata. Hæc de Soczava, ex qua plus Polonis famæ, quàm operæ pretij acceſsit.

Sſuzewſki. Wielohorſki. Kłodzinſki. Minor. Piaſecki Kruſzelnicki. Kłopotowſki. Mogielnicki. Roſzczyc. Telezynſki.

Filij caſus, concuſſerat vti memoravi, vaſtas illas ſpes Chmielnicij Patris: aſt non in totum animo deiecit, ſortis ambiguæ vt mutabilis eſt intelligentem, & contra Polonos vel acheronta moturum. Nec vicini tantùm in nos ſolicitati, aut qui religionis, commerciorumq; nomine miſceri potuêre; ſed in diſsito Orbis receſſu Suecus, & longinqua vltra

ultra maria poſiti Angli Scotiq; conciti, diverſo argumento aut motivo. Riſum ſanè movit, interceptæ tunc epiſtolæ inſcriptio, (ſi modò non figmentum erat) quâ Oliverius Cromvell, magnæ Britanniæ, vti ſe dixit Protector, Chmielnicium Orientalis Eccleſiæ baſim, Polonorum flagellum, Erroris Papiſtici extirpatorem &c. titulis dignabatur. In quem verò vſum, tot ſpatijs terrarum diſcreta amicitia quæreretur, occultum tunc fuit; niſi quòd remota ab igne corpora, etſi non calefiunt, luce tamen elementi fruuntur; ita ſocietas illa inter Pirithoum ac Theſea cõſimiles, famæ magis quàm rebus conſultura credi potuit. Cum diſsitorum loco populorum prenſationes & amicitiæ, ſimile quid cum ijs ferculis habeant, quæ multo auro ac pigmentis delibuta dum oculos paſcunt, ſtomacho non ſatisfaciunt. Moſchus iam non amicus, necdum nobis hoſtis erat; Scytham tædere cœpit rebellis ſocietatis; præſertim quod Turca Polonos illaceſsitos, etiam Valachiam omninò intactam iuberet. Potis tamen Bohdano viſũ, veteri inniti amicitiæ, vafrè abolitis quæ intervenirent ſimultatibus. Aggreſſus igitur Hanum exponit, ingentes Baſilij opes, filij ſui omni meliori iure dotales, ſi inhiantibus Colligatis eripiuntur, ſe admittente Hano ceſſuras, quibus tam exul Socer, quàm obſeſſus filius promptè liberatori ſuo decederent. Non omninò ſurda aure talia, accepta præſertim oblatâ ingenti in numerato pecuniâ, confeſtimq; ſuccurrere Hanus decrevit; adeò oſtentata offa, quemvis ad ſonitum lucelli trahit & pecunia omnis auſus irritamentũ eſt. Diu tamen, an contra inhibitoria mandata Turcæ Valachiam intraret ambiguus, in Derepezenſibus campis hæſit, quoad per Chamambet Murzam ſucceſſu deditæ Soczavæ explorato, ad Tranſilvanum miſerit, monendo improficuam ei Polonorum ſocietatem, imò ſi pervicaciter aſſerit partes, fore omninò damnoſam. Res Radulij Moldavi in tuto eſſe, invadentes Valachiam Coſacos malè mulctatos, hinc ſatisfactum Turcæ, capeſſeret & ille armis aſſer-

1653.

Derepczyn.

Raduli

tam

1653. tam quietem; niſi malit alieno diſcrimini ſuo malo miſceri. Internuntium cum XX. virorum comitatu, Hyacinthus Szembergius iam tum Legioni poſt Kondracium impoſitus, ſolertiſsimè per compendia viarum aſſecutus, in limite Valachico cœpit; cuius tum indicio cognitum; nec dum decreviſſe Hanum an Regi congreſſurus ſit, cui ſpopondiſſe Chmielnicium, ſi modo occurrit Polonis, iam irrequieto motu ac itinere, iām fame ac morbis, inſuper ſeditione caſtrenſi laborantibus, finem bello, incredibili fama & præda facturum: quibus pollicitis ſi deforet eventus, ferro Scythico vltro iugulum ſubditurum offerebat. Vnde hic cognito Soczavam interempto Thymothæo victori patuiſſe, gyrato viarum flexu à Szarogrodo veniens, in Wołhyniam ingruit, ſi circumcluſum Regem tenet, ſpe ac fiducia vincendi impletus. Vnde Scythæ quo ad maiora audenda præda imbuti acuerentur, ad populandas circumiectas oras ſe paſsim diffudêre. Etiam in Lithuaniam cum Coſacis Podobayłone dimiſſo, qui ſe iſthic Lithuanis metuendum Moſchis ſocium oſtentaret. Neq; arduum apertas Provincias decurrere, cunctis ad famam prægreſsi in Vkraynam Regis, ſecurè in penatibus ac velut altâ pace diverſantibus. Rem traicam, ſed ex vero compertam vt tū accidit inferam. Henricus Kaſſovius Caſtellanus Vendenſis, complures è vicina Nobilitate ad nuptias cognatæ Virginis vocaverat, inter pleroſq; Hołowczynio non obſcuri nominis terrigena, ſolennitatem actus honeſtante. Vetus is militandi, etſi tum ob ætatem rudè donatus, ad iniectam de Scythis mentionem, vix credibile aiebat, vt prædatum iſti diſcurrerent, in proximo Rege tantis viribus ſubnixo. Eiuſmodi dum familiariter diſcurſus ſeruntur, interim lupus in fabula eſt. Siquidem ad primum illatas menſis dapes, vbi adeſſe Scythas inclammatum, convivæ trepidare, diffugere, arma audaciores corripere: nequé deerant, qui tardos è ſuis hoſpites ſubvenire rati, crateres expedirent, vanum contubernalibus metum cum riſu exprobraturi.

Kaſſowſki.

Hołowczyński.

Incen-

Incenſa demum Villa ac vociferatio agreſtium hoſtem prodiêre; qui mox effractis ſepimentis involans, corripuit omnes, ſuccenditq; domum alijs mox tedis deſtinatam. Capitur Caſtellanus cum Hołowczynio, cæterisq; hoſpitū; rarâ cuiusq; in effugium fortunâ, (ſolam Matrem familias proximæ lacunæ arundinetum texit) cum & clarior dies ſubtraheret latebras, & Barbari domum indagine complexi neminem elabi permitterent. Quandoq; in ſuſpectis ſecurior metus, cui nomen circumſpectio, vnde enatū proverbium, timidi matrem non flere; etſi propè animoſitatē incedit fiducia, aſt non rarò inter fortunæ ludibria numeratur. 1653.

Quia paſsim pervaſerat rumor hoſtium armis Valachiā, deinde Wołhyniam deſtinari, hinc diu quò ſe verteret ambiguus Rex: tandem à Bario retromotis copijs, ad extimum Podoliæ limitem penetravit: cùm permoveret facilior ea parte commeatus ratio, etiam Colligatis in ſocietatem belli, è propinquo promptius pertrahendis. Zwanecium dirionis Landzkoroniæ oppidum, gemino à Cameneco milliari diſtat, cui à meridie Tyras amnis, ab aquilone paludoſa convallis obtenditur; Caſtellum modicum in fronte habet; à tergo aperta latifundia, arbuſtis hinc inde extantibus; & quantum devexus nonnihil ad metationem Caſtrorum locus, ita ad occiduam plagam non iniqua ſuberat, inſtruendæ aciei planicies. Tyras quô vltro citroq; commeabilis eſſet, gemino ponte inſtratus, etſi non ſtatim ſtructilis tabulati patiens, ob rapiditatem aquæ, ſublices haudquaquam facilè in imum defigere permittentis. Attamen vimineæ corbes, intra concavum lapidibus iniectis, ſub onere dehiſcentes, vbi immobiliter adverſùm vortices fundo inhærent, ſummitas earum craſsis trabibus in vſum pontis inſtrata. Poſtea lixæ quibus etiam cum periculo compendia viarum placent, vadābile flumen equis tranſeundo oſtenderant. Quominus hìc ſedem belli figeret Rex, rationum maxima videbatur, vt coniunctis hoſtium armis,

Zwaniec. Dnieſtr Fl.

1653. etiam noſtra Colligatis vnirentur : imò ſi inopia annonæ invaleſcit, non tantum ſe dives frumenti Valachia aleret, poſcente neceſsitate ſocijs armorum aliquid impertitura: deniq; vt ſociæ gentes amne tantùm intermedio diſcretæ, vna alteri quocunq; vis verteretur, haud morâ ſubſidio adeſſet. Etiam Cameneci vicinitas ad omnem caſum aliquid valere exiſtimata, locus naturæ artisq; adminiculo non incelebris. Aderant tum ad latus Regi, Potocius Campidux, Landzkoronius Ruſsiæ, Petrus Potocij Bracłaviæ, Tyſzkievicius Czerniechoviæ Palatini; Sandomirienſis, Poznanienſis, Kaliſsienſis, ac Halicienſis, Caſtellani Mareſchallus Lubomirius. Korycinius, ac Trzebicius Sigillorum præſides ambo, Boguſlaus Radivillus Hipparchus Lithuaniæ, Ioannes Zamoyſcius Kałuſsienſis, Ioannes Sobieſcius Iavorovienſis, Daniełovicij, Parcovienſis, ac Czerwonogrodenſis Præfecti, Sapieha Regni Notarius, Demetrius, ac Conſtantinus Wiſniovecij, Czarniecius, alârum veterani Præfecti: Tyronum quoqué ſupplendo Exercitui delectus, propè Octo Mill: Caſtra Regia ingreſsi ſunt. Etiam Colligatorum copiæ (die 22. Octobris) trans Tyram ad Chocimum metatæ venerant; quæ arx in crepidine abrupti montis ſita, ex Caſtris Polonicis conſpiciebatur. Sub primum adventum X. Mill: complêſſe credita, Hungaris, Ianuſsio Kimeni: Valachis, Duraco, ac Bohuſſo parentibus.

Witowſki. Gęmbicki. Cetner. Lubomirſki, Korycinſki. Trzebicki. Radziwił. Sobieſki. Zamoyſki. Daniełowicz. Sapieha Wiſniowiecki. Czarniecki.

Ad Zwanecium metato Rege, dum hoſtis moram trahit, ſolita interim belli præludia interveniebant, per fortuitas aut ſubitarios congreſſus, qui exploratum miſsi, manum conſerentibus. Et Scythæ quidem Orininum propè aliquam noſtrorum manum ductore Telezynio diſperſere: æquante damnum fortuna, cum Szembergius, iungente ſe Michaéle Micheſsio cum CCC. Hungaris, obvium ad Zynkoviam Scythárum agmen fudit; etiam Chocholus Potocij Optio in ipſam ad Smankowce ſtationem, vbi ſub noctê ſolutiùs egerant inveheretur. Quotquot autem capi potuêre, concordi relatione afferebant, hæſitare ſuper congreſſu

Telezynſki. Szembergh. Mikieſſy. Chochol.

greſſu Hanum, nec vt aleam belli periclitetur commiſſurũ: niſi priùs circumvolutum agminibus ſuis Regem, morâ & pabuli inopiâ exagitaſſet. Cordolium ad hæc Regi, tot temporis laborisq; impendia, evanido ſucceſſu, ac vix conſpecto hoſte perijſſe. Abſumptam æſtatem, evolutum autumnũ, & nullam offerri rei benè gerendæ opportunitatem: nec ſi offeratur ea faviturum cælum, frigidiore aura ſub finem Novembris grave, & quod militem poſt amicas Martini ferias, in hyberna ſolito more reduci invitaret. In ſocijs quoq; langueſcebat animorum fervor; vt ferè minùs aliena curæ, ſi privatis & proprijs rebus conſultum eſt. Lixarum noſtrorum protervia, Valachos penatibus proviſuros abſtrahebat; Fæx enim iſte ſervitij caſtrenſis, non in horrea modò & quæ vſus vitæ poſtulat, ſed in pignora gentis inhumanâ licentiâ graſſabatur; vnde exacerbati iſti iniurijs, in immites pari officio hoſpites ſæviebant. Iugulati multi, paludibus merſi, manibus aut pedibus truncati, etiam exſectis virilibus mulctabantur: eos proferente fructus bello, vt quantò quis inferendæ iniuriæ promptior; tantò talioni pœnæ paratior vt exiſtat neceſſe eſt. Hungari quin etiam paſsim ſigna deſerebant; cumq; reliqui miſsionem publico nomine petituri viderentur, meditatam requiſitionem præſentiens Rex, Ordinum Ductores benigno affatu, ac pollicitis; gregarios per ſeptimanas veritim bino Imperiali retentavit. Evenit ſæpiùs, vt quæ ſolertiſsimis ingenijs deſperata, humano conſilio perfici nequeant; à remota plerumq; cauſa, nec in præmeditatum finem directè tendente, faciliùs proveniant. Supplendo Exercitui Nobilitas Regni, (cui tum bellicæ expeditionis veniam Rex dedit) coactum è Tyronibus ſubmiſerat agmen, prælargo ſtipendio inſtructum, ac inditis Tribunis fama & vſu militiæ egregijs. Quodq; delectus tales, pro quantitate poſſeſsi agri fierent; agri verò laneis menſurarentur, laneales (ſeu Łanowi) tunc dicebantur. Iſti vix per bimeſtre exercitui iuncti vbi præſtituta ſtipendio dies

1653.

Łanowi.

1653. venit, missionem pervicaces petière: retentantibus frustra Præfectis, ac toto passim exercitu convitia oggerente. Quis crederet patritiam iuventutem parentibus in militandum surrogatam, eo propudij ac vecordiæ prolabi potuisse, vt nulla Principis exautorationem negantis reverentia, non honoris cura, non infamiæ metu, deserere Castra institerit? Origo motus ab iunioribus & turbidis fuit: quibus solitũ odisse bellum, dum incipiunt. Ordinum Ductores, ac vt quisq; animo melior remansêre, præcipuâ Ioannis Olesnicij Succamerarij Sandomirienſium operâ, qui præter verba & suasus, etiam si quidusquam pretiosioris supellectilis erat, contribulibus destinabat retinendis. Sanè mirum quòd turbantes non ex lege militari Rex cóèrcuisset, qui notabili in cæteros peccabant exemplo: ast transmisit, satis pœnæ ex probro militari iudicans, imò abundè fore ratus, vbi discreti Patres infamem filiorum abscessum, suo prorsus iure castigaverint. Aliqui istorum dum Castris abeunt, in manus Scytharum incidendo, famam sparsêre, in exercitu Regis turbida omnia, & *Quarcianos* ob famem ac nõ soluta stipendia passim diffluere: imò dilapso equitatu propè esse, vt Rex cum legionibus Cameneco se committat. Quæ vbi plurium narratione firmata, hærere aliquantum Scytha, ingruendine aut desistendi consilia sequeretur? contra Chmielnicius vehementissimo impulso suasit, vrgendum in extrema Regem, Moldavis, Hungarisq; dilapsis debiliorem. Succendit audaciam, futilis narratio, vt Hanus agmen suorum à Latyczovia, obliquo viarum flexu ad Hussiatynum circumduceret, tanquam diducto rete, à castris dilabentium capturam exhibiturus. Verùm elusit sua expectatio Barbarum, integras Regis vires vbi occurrit comperientem, nobis pertraxisse commodo fuit, etsi iam peditatu victus, equis pabuli inopiâ, emorientibus. Hinc Rex in novissima consilia pronior, destinaverat hostẽ educto Equitatu aggredi: cùm contra suaderent pleriqué, non temerè dispertiendas vires contra eum hostem, qui vt vniver-

Olesnicki.

Laticzow, Hussiatyn.

vniversum Regij exercitus robur metuat, ita diductum in partes contemnat, vel certè faciliùs frangat divisos. Eius sententiæ Mareschallus Lubomiriꝰ, dum aliqua in rem præsentem liberiùs profert, haud dissimulata offensa perstringitur. At is incolumitatem Patriæ iniuriæ præhabens, heroicè immeritam tulit redargutionem, non nisi Korycinio Regni Cancellario quæstus, consiliorum libertatem similibus premi; ac defuturos mox, qui sententiam proferrent, si placita Principi disuasisse, iacturâ gratiæ steterit. Inerat tamen arcani aliquid, vt Rex consilia Mareschalci primò improbata, deinceps aut moderaretur aut sequeretur; effectum sæpiùs non infelicem expertus, cùm etiam à finè incipere prudentiæ actus sit. Enimverò vsu compertum habetur, multa salubriùs sub eo Principe geri, qui aliorum repertis aures commodaret; quàm cui proprij sensus tenacitatem, sapiendi fiducia indidisset. Dum in proximo Scythæ, facilè conijcere licebat, prælium aut congressum meditari; quid enim extremo anni tempore sparsim siti agerẽt cælo & fame caballis gravi: nam etsi ijsdem malis Exercitûs Regius premeretur, attamen Castris velut quodam grandi hospitio commodiùs degere, ex Valachia liberaliter ali, socijs armorum in extrema constantem societatem tuentibus. In Tauricam quoq; ex bello sine præda redire, indignum pugnaci genti videbatur: vnde pari impulsu vtriq; Principes, in periclitandam belli aleam ferebantur. Effundebat proin subtus Castra agemmata Hanus: missitabat è contra Rex suos, qui subitos motus arcerent, inter alios Potocius Bracłavienſis Palatinus, aliquot ex insignioribus Murzis in traiectu Smotricij oppressit, ac rursus Notarius Campestris Sapieha, apud Barsczovum nactus, grandiùs agmen eorum dissipavit. Omni hoc tempore Rex Imperatoris munia exactè obibat, suggressos è tubo optico hostes speculabatur, instruebat aut pandebat aciem, proliciebat in equestres excursus suorum promptiores, & exactâ die eadem per noctẽ providentiâ. Tunc verò avidus experiri, præmittit Kłodzi- Kłodzinski.

1653. nium cum bis mille levioris armaturæ, qui hoſtem ſtudio laceſſens, ac ſimulatâ fugâ ad inſequendum tracturus; occurſu ſuorum inevitabilem pugnæ neceſsitatem imponeret; ſeu demum in paratas inſidias, ardore pugnæ præcipitaret. Fecit vt imperatum vir manu iuxta & conſilio valens, ſub ipſamqué ſtationem, Hani apud Kudrence ſuggreſſus, aliquot obvios Scythas manu iniecta præhendit; verùm mox ſubito incurſu exciti hoſtes, nobilem audaciam malè mulctarunt, vndique circumvoluto Kłodzinij agmine; ijs qui ſubſidium ferre debuerant, maturo receſſu ſibi conſulentibus. Ferociter refugis Scythæ in ſubiectam Caſtris planiciē inſtitêre; quoad inſecutio à prorumpentibus regijs ſiſteretur. Cæſus Sławinius (Łyſek dictus) turmæ Centurio, Linievij item iunioris Optio deſideratus, multi ſaucij, plurimi ſub noctem, inter quos Alexander Minor Præfectus cohortis, per adſita virgulta manus ſequacium elapſi.

Kudrence.

Sławinſki. Liniewſki.

Dum ſic mutua incommoda aut certamina pugnatores premunt, interim omni humana ratione potentior fortuna, aut neceſsitas, oſtendit pacis vias, quanquam non repente, temporisq; ac ſanguinis interveniente iactura. Erat Mareſchallo Regni mancipium, Scytha Fetacus vocabulo; hunc Wezyrus Hani, vbi in Caſtris Polonicis haberi comperit, aſſerendū in libertatem, per literas repoſcebat: veteri benevolentia Mareſchallo refricata, etiam eius ſe gratiâ nūc indigere profeſſus. *Si Fetacus fidus ſibi olim & probatæ operæ, donum mitteretur, factum pro teſſera benevolentis animi fore; tū ſi præſentem hoſtilitatem ſine armis dirimere placet, ſanè enixurum, quominus vtriq; Principes ſtabili in poſterum fœdere, ſine noxa & ſanguine ad propria regrediantur. Dat: ad Huſſiatynum die XXVI. Novembris, Anno 1653.* Alia mox ab ipſo Hano ſuperveniebat epiſtola, quâ ita ſtabiliendam amicitiam (nulla in anteceſſum præmiſſa à noſtris de pace tractandi requiſitione) velle præfetulit, vt minari nō omitteret. Formalia erant. *Parentem Mareſchalli, Palatinum Cracovien: amicum ſibi, concordiæ inter Monarchas Orbis ſtabi-*

1653. *liendæ, autorem ac pararium extitiſſe; optare etiam nunc, ut compar Patri Filius, in conciliandis fœderibus, locum inter gentes infeſtas obtineret; qui in aula ſui Regis, cæteros gratia ac muneris prærogativâ anteiret. Se quidem in renovandam amicitiam propenſum, etiam Polonos ab eadem non averſos cenſere eo rerum ſtatu. Quod ſi hoſtilitas paci antehaberetur, prodiret Rex in campeſtria, aperto ſecum marte dimicaturus; probroſum quippè videri, ſi tanti nominis Exercitus, intra Caſtrorū tabula incluſus teneretur.* Reſponſum ad ea. *Polonos ſtimulo in certamen non indigere, pugnaturos cum quo, quando, & vbi velint: eos gerendo animos quales victi multoties Scythæ præcipuè ad Bereſteczko experti ſunt. Regem quin etiam in ditionibus ſuis, velut Patrem familias in domo propria agere, cui qua parte adium placet, conſiſtere liceat. Invitare proin exiure hoſpitij Zwanecium advenas, ibi monſtraturos, an minacibus verbis pares animos gerant. Si populationibus inſiſtūt Scythæ ſciant oportet, vt illis in Regis ditiones, ita Polonis in Tauricam tantundem viæ.* Intervenit hìc ſolertis aſtutiæ cōmentum, quo tum nimium crudelis noſtris illuſum, rumores ante ſalutem ponentibus. Metator Regni Samuel Kalinovius, Batoviana clade ipſo in ætatis flore cæſus, reliquerat cōiugem Oſſoliniam: non magis ſua orbitate, quàm immenſo viri deſiderio excruciatam. Illa non amicorum ſolamina, non ſpiritualium aut medicorum dehortationes, leniendo dolori admiſit, niſi dum ſubornati adferrent Nuncij, captivum maritum apud Scythas teneri, aliquantum ex dolore remittere viſa. Ita diu ægrum animum, ſpe redituri ſuſtentans, crebrius in Tauricam miſitavit, veſtigatum an viveret? condicto lytro in libertatem aſſerēdum. Vnde multi largientis quæſtu illecti reperiebantur, qui vivum referentes, nimis diu futili expectatione, animū amantis implebant. etiam amicis commentum iuvantibus, vt exagitatam ærumnis ſanitatem, aliqualis ſpes alimēto tueretur. Notum id hoſti, tanto ſumptuum impendio vivum velle qui iam obierat; proin ſtudio ſpargit rumorē,

condu-

1653. conductum à Scythis Kalinovium adeſſe, & iam Huſsiatyni paterna domo hoſpitari. Rumor fidem, non inter plebẽ modo Kalinoviæ ditionis invenerat; etiam in Caſtris multi potiorum credidêre, tantum virum, fata ipſa ſuperaſſe gratantium. Neq; fruſtra tenſa decipula eſt. Vt quisq; cliẽtûm deſiderio Heri occurſum accelerabat; inter alios Suſovius ac Chlebovius turmarum præfecti, cùm ab hoſte correptis, pro amplexu ac ſalutatorijs officijs vincula indita ſunt, donec biennio poſt captivitati eximerentur. Acceſsit explorandis rebus, tabellio publicus (Poſztam nuncupant) cum grandi à Leopoli Epiſtolarum ſarcina interceptus; exiles quidem papyraceæ hoſti manubiæ, ſed quibus faciebant pretium, arcana totius Patriæ retecta, maiore nihilominus vſu, ſi ex Caſtris eæ in Patriam dirigerentur.

Suſowſki. Chlebowſki.

Aiunt, vbi Scænici actus in Epilogum deſinunt, cum cura pileum tenendum, nam fermè circa finem maior motus eſt. Etiam tum, quamvis Attaſycus (ita Filios Nutricum prolis Hanorum vocari mos) ab Hano paci ingerendæ mitteretur, nihil tamen minus quàm ponenda arma vtriq; agitabant. Scythæ circumducto quâquaverſus agmine, noſtros obſervare, pabulatores carpere, & quia rarius iſti per inopem oram pererrabant, caſtris advolvebantur; crebris globis iam camporum plana, iam ſpatioſa arbuſta perreptando. Divæ Barbaræ dies erat pro ratione temporis nubiloſus, cum Rex deſtinatis in id rei cohortibus, concava vallium ac arbuſtorum latebras, excutere imperavit. Hic dum prompta in pericula iuventus ruit, hoſtis infeſto agmine in anteſignanos fertur, eo incurſu, vt de ſumma rei periclitaturus videretur. Datur pugnæ ſignum apud Regios, animat advolans vbiq; Rex, milite alacritatem Principis in prima diſcrimina ſecuto. Sed primo congreſſu aliquantum Scytha anteſignanis ſe oppoſuit; deinceps turmas ſuas campo occupandis anguſtijs locorum ſubduxit, vnde noſtros carperet; ex his mox protruſus, ad vlteriores convalles ſeu dumeta refugiebat, more ſui certamen vitans vt dolo pu-

Attaſyk

lo pugnaret. Vbi verò cognitum partem ſolummodo hoſtilium copiarum adeſſe, receptui canere Rex iuſsit: continuitq; ſub ſignis aciem, haud levi certamine ad meridiem perfunctam, donec ſudum aëris non fictum hoſtis abſceſſum retexiſſet. Sub veſperam iterum Attaſycus adeſt, multa cum incuſatione Chmielnicij, vt qui exleges, nec probè imperio Hani parentes Nohaycios, in vetitum confligendi auſum impuliſſet: ac quo fidem aſtrueret, diras in ſe, Principemq; ſuum ciebat, maturandum pacis negotium quantociùs perurgens. Dubitavit Rex an crederet, ob fluxam Barbarorum fidem; vt qui tum demum paciſci cuperẽt, poſtquam omnino de victoria deſperaſſent. Aſt omnes ad mitiora inclinabant, contra ſpem, imò poſsibilitatem ſuperare inſtantiâ iudicantes, cùm non magis iam cum hoſte, quàm cum elementis eſſet luctandum. Enectis equis labeſcere Equitatus vim, ſpirante aurâ peditem ventilari, auxiliares paſsim emori, & niſi tranſactione arma dirimũtur, omninò fœdus deſerturos. Finiendo bello magnum tractatu pacis offerri momentum, quod ſi homines reſpuerent, cælum acceptare cogat. Hæc in conſilio non minus verè quàm opportunè. Proin abeunti Attaſyko additur Woyniłovicius Campiducis Optio, præparatoria tractandi diſcuſſurus, veriùs quæ fides & animus Barbaris penitus dignoſcendis. Iſti ambo dum ad ſtationem Scytharum nocte concubia pergunt, propè fuit vt à Nohaycijs fera gente interciperentur, niſi dies & ius legationis obtendens Attaſycus, mitiora ſemihominibus perſuaſiſſet.

1653.

Woyniłowicz.

Woyniłovicio, dum pro mandato ſolers, quid Scytha expoſtulet, quidvè ei & quomodo negandum explorante? tridui interceſsit mora, noſtris iam de ſucceſſu ſecus augurantibus, cùm toties repulſus hoſtis, iugiter noſtros laceſſeret; nec iam Valachiæ parcebat, tranato infernè Tyra immiſsis qui popularentur. Hinc colluſio indignationem movit; mora omninò exitiabilis fuit. Ergo iterum Rex, ipſo VIRGINIS DEI-PARÆ, ſine labe CONCEPTÆ die, edu-

1653. ctam aciem pandit. Erant quippè qui ſuaderent, eundum cum Equitatu in adverſos, id enim generoſius, & ad ſeriam pacis procurationem expeditius fore : refutatis qui in diverſa & tutiora rationes adferrent. Vix inierant campum legiones, cùm hoſtis magna ſpecie ac truci clamore in cõſpectum ſe dedit, diducta ſuorum vndiq; turmas ſpargens, quô numeroſior appareret. Velitatum dehinc, nec diu cũ dextrum Regiorum cornu incitatiùs in adverſos ſigna inferebat: verùm Scytha nihil præter impetum temeritatis adferens, conſtantiam Regiorum experiebatur; ſucceſſu belli ferox, ambigua ſorte inſtabilis. Itaq; repreſſus pari formidine, vt priùs prælium deſeruit, præſertim cùm circumſitæ valles ac campi exploſarum machinarum fragore vbiq; reſonarent. Nec inſtitêre noſtri ſparſim abeunti, Sacrorum potiſsimè causâ, cùm vniverſæ Poloniæ in eum IMMACULATÆ CONCEPTIONI Sacrum diem, iurata devotio retineatur. Dum fortunam & hoſtem infracto animo ſuſtinemo; Woyniłovicius tandem cum Oſman Aga comparet; cuius in crastino inſtituendi colloquij poſtulatum, planè indignabundus reiecerat Rex; niſi noſter bona fide pacem peti, eamq; divortio Scythicæ cum Coſacis ſocietatis conſtiturã, affirmando perſuaſiſſet. Tum demum vbi maturum fuit delegantur (die XVI. Decembris) Ruſsiæ Palatinus, Mareſchallus, ac Cancellarius Regni: Hanus è ſuis Wezyrum, Suppenkazium, ac Schin Begum; tum quia à noſtris addebatur Caſtellanus Sandomirienſis, etiam iſti Karoſz Murzã adiecêre. Prodeuntes comitantur quinq; cohortes ea quæ Camenecum ducit via; aſt comperto vagis excurrentium vndiq; Scytharum globis dumeta compleri: ſubijt metus doli tanta Patriæ decora Lubricæ fidei credere, cùm in recenti memoria eſſet, ſimili ad Zbarazium aſtu potiores Procerũ evocandos inſtitiſſe, vt interciperentur; ad Białacerkiew, vix excuſabili errore peccatum, ſi abſq; fide publica aut vadimonio miſſos, hoſtis reinuiſſet. Tunc pro tempore viſum, ſecuritàti actus cavere obſidibus, vel ipſo Hano condi-

conditionem offerente. Itaq; à noſtris ivit (haud reluctare calame, fatum iubet!) Ioannes Sobieſcius Iavorovienſis Præfectus cùm priùs maturaſſet adventum Murtaz Aga à parte Scytharum. Ad invicem congreſsis Patratoribus, dum ſalvos vtrosqué Principes Miniſtris conſtitit? Landzkoronius prolixioribus verbis haud adſuetos ſciens Barbaros, intulit prior; tria ab ijs, ſi Polonam amicitiam æſtimant, præſtanda. Exuerent rebellium patrociniũ: hìc & nunc ſine noxa ditionibus Regni emigrarent: ſtipendio à Rege dari ſolito in poſterum contenti, amicos & hoſtes pro delectu Regis haberent: ita demum regia amicitia inclytos, gloriam ſocietatis, pretium operæ laturos. Tria & ipſi ſed diverſa obtrudebant, nempè; Retenta donaria de toto exolvenda: manubiæ, quas ex bello remeantibus agere mos, non negarentur: Coſaci iuxta Zborovianam tranſactionem conſervarentur. Vtriq; dum expendunt aut refutant propoſita; aut hi iſtis minus congruentia proponi demonſtrãt, abrũpere colloquium viſi: cùm Lubomirius Sefercalsium ſibi iam altero paciſcendi actu prænotum, cuius caballus ad congelati ſoli duritiem ceſpitaverat, compellat. *Quidni ſodes (ait) pacem componitis? quam vel Equi veſtri enixè poſtulare videntur, adeo ſtrigoſi & pedum debiles.* Subridens ad hæc Scytha, equum ſuum per colloquium pedibus parcere dixit, alioquin vbi cursûs admoneretur incitatiſsimũ. Dein, velut iocum ſeriò penſaturus, reducto aliquantum in aurem innuit. Non vsq; tanti patrocinium Coſacorum æſtimari Hano, vt non immenſis ſpatijs Regiam amicitiam præferat, ſi modò compenſabili obventu fructum repudiatæ ſocietatis noſceret; id verò exhibendum, ſi in retentis pẽſionibus ſatisfit bona fide. Ita barbari in cardine tractandæ pacis, more eorum qui merces licitantur agebant: intento primùm rei venalis pretio, deinde vbi emptor inſtat, diminuere ac retrò abire. Sanè Tauricanus etſi belli pertæſus omninò territabat, vt quantùm animi Regijs eſſet exploraret. Hinc in ipſo hoſtilitatis & amicitiæ confinio

1653. acrior, agmina ſuorum vbiq; ſparſit; præcipuo Commiſſariorum metu, qui coronâ hoſtium cincti, deſperatæ pacis protinus, ac ſui periculi commonuêre Regem. Perijt quiſquis in extremis anxiè de fato deliberat. Tunc Rex iam plo animo ſuo quàm conſilijs fiſus, confeſtim copias educit, aciē inſtruit, ac infeſtis ſignis hoſtem verſùs tendit. Apparuit tum quid virtus, quid innatus ardor poſſet? Fame, frigore, laſsitudine, afflictæ Legiones, eo in hoſtem animo ac ordine ivêre, vt vix alacriùs in triumphum poſſent, & iam non impellendi, ſed retentandi viderentur. Vtroq; cornu profilientia ſigna, in præludium certaminis ſe dabant, cùm ecce nihil civile auſi Scythæ retrocedunt, fugâ ſe inſtantibus eripientes. Fati nimirùm opus erat in extremis non hæſitare, & anguſtis rebus circumdare audaciæ famam. Quippè, in irritum minax Barbarus, impenſiùs in curas pacis ferri cœpit, ſuos iubens haudquaquam in condicendis novis legibus immorari: Si Rex Hano amicus Coſacos in obſequium promptos ſub Zborovianis pactis in gratiam recipit. Cui manutenendæ ſtipulationi, vades ab vtrinq; dati & accepti, firmius conſtantiæ vinculum. Ex noſtris ivêre, Hieronymus Landzkoronius Palatini Ruſsiæ, ac Staniſlaus Oleſnicius Succamerarij Sandomirienſis Filij floretiſsimi iuvenes; viciſsim Scythâ geminos hirquitalos ad Regis latus amandante. Inter hæc Chmielnicius odio iam apud Scythas laborans, non ſe deſeri à Hano per ſubmiſſos petebat, nec palam ſubeſſe cauſam, cur ab eo qui extulerit, nullâ ſuâ ſuorumq́ué culpâ in extremum præcipitium protruderetur. Eſſe ſibi animum memorem beneficiorū, quibus vt vicem gratitudinis evolvat, vota impendere. Orare proin pergeret Hanus vt cœperit, neu tot patrocinantis animi argumenta, quæ toties ſibi ad incolumitatē profuerant, in iram verteret, ſed autores potiùs iniuriæ Polonos, quàm omni deſtitutam præſidio gentem Coſacorum perſequeretur. Verùm quia poſtulata eiuſmodi auro promovere ſolitus, tunc intermiſit, oſcitantiùs accepta ſunt; reſponden-

Landzkoronſki Oleſnicki.

ſpondente Hano, moleſtam ſuorum famem haud quaquā poſſe magnificis promiſsis exſaturari. 1653.

Abiturus Hanus per fidos ſuorum detulerat Regi, ſi capiſtrum rebelli plebi indere conſtituiſſet, motis in Moſchos armis Coſacos in id belli evocaret; ita demum ad officium reducendos, dum legionibus Polonis permiſti, turbis ac licentiæ deſueſcunt. Ad hæc Nohaycios, ſi ditionibus Regis nocent armis cóèrcendos, protervam gentis colluviem & mandatis ſuis ægrè parentem. Nec inaniter data præmonitio, cùm illi furtim circumemiſsis ſuorum agminib⁹, ferro & igni cuncta popularentur. Quibus in celeriorem abitum compellendis, Ioannes Sapieha Campeſtris Regni Notari⁹ ſe ſe Potocij iuſſu expediens, dum prægreſsū, debilioribꝰ equis cohortes aſſequi nequeunt, commiſſo ad Taykury prælio funditur; ac pleriſq; militū cæſis cum Thoma Fratre, nuper è Taurica reverſus, iterum captivus abducitur. Hunc finē ſortita Zwanecenſis expeditio, in qua Hano tertiò Rex cōgreſs⁹, inclinationem deinceps Barbari animū experiebatur. Subindè Rex Polon⁹ XVI. Idus Decembris, è Caſtris movit, Regia legione ac phalange Prætorianorū, cuſtodiæ causâ ſtipantibus. Securæ cohortes quibus hyberna per Regnum gravi incolarum preſſurâ diſtributa fuêre. Iſſan-Gereo demùm Crimum digreſſo, non diu vita ſuperſtes manſit. qui conſummatæ felicitatis Barbarus, vt Tauricam ſpolijs Poloniæ, ita Europam terrore nominis impleverat. Cauſam deceſsûs mox ponam; cùm priùs quæ gens ea nobis infeſta, mox vltra Barbarum morem amica, obiter protulero. Scythæ origo ob vetuſtatem aut literarum ignorantiā incerta: Terræ filios ſe iactant. Certè Ægypto ortos, Chami aut Iſmaëlis germen extitiſſe probabile fuerit. Nam, vt olim Ptolemæi Ægypti, Arſacidæ Parthorum, Syriæ Seleucidæ, Caliphæ Saracenorum, ſucceſsivè Reges dicti; ita hi ſueto Orientalium more vetuſtati iactandæ, à primo gentis conditore Chamo, appellationem Chami regnantibus indidêre. Ampliſsimum genti tota Aſia imperium eſt, ad Imavum vsq́ué montem protenſum;

1653. tensum ; vnde avorum memoriâ traiecto Tanai, in adsita Euxino Ponto emersêre. Tartaros communiter appellamus, vsitatiore in Poloniſmum flexu; ab inhumana vt opinor feritate, cùm Tartaro mancupi venire eadem propè quæ Orco miseria sit. Gens bellax, dum aversatur voluptates, aut ignorat divitias, continuo armorum vsu exercetur; equitandi sagittandiq; peritissima; vnde Scytharum ethymon, pleriq; ex Gottico vocabulo trahunt. Etsi sæculo nostro ad elegantiæ, molliorisq; vitæ cultum inclinare palam sit; dum pretiosis vestiri, peregrinis pellibus involvi, auro textis vti; horologia, sclopeta, aliaq; automata in delicijs habere; iam agriculturæ & mercaturæ bona nosse, occipiant, antehac mangones tantùm, & ferri equorumqué studiosi. Quod si rude palatum cupedijs, artes coquinæ imbuant, nè venter quidem legem temperantiæ servabit diu, immodico veneris vsu, vt illis mos, elassatus. Polygamiam namq; exercent retinentq;; hinc, multiplicatæ turbæ germina, dum Asia non capit, orbem diffusi subsidebant; famosis maximè Tamerlani successibus, qui ævo suo terror mundi, etiam Regni nostri limites, per Ædigam Polemarchum invaserat. Cuius reliquiæ sub An. Ch. 1289 Tauricam Chersonesum, Euxini Maris peninsulam, exactis Liguribus occupavêre, græco tantùm incolatu, vt essent qui servirent, retento. Ac, dum Genuenses ereptum dominium, dissidente passim Christianitate, & afflictis Græciæ rebus, vindicare nequeunt; Scythis non solùm circa Tanaim, sed in Bessarabiæ quoq; campestribus, in gentem magnam excrescere facilè fuit. Quorum surgentis potentiæ initia, non vsq; tanti habita, vt vicini Monarchæ in herba opprimenda censerent; infirmiores credendo, nec formidolosos exilitate sua; vel quod aliquo donativo, ac precariâ pasthuorum concessione, in fiduciarium Regno obsequium obligarentur. Cæterum, quod superiori ætate Hani, imperium Gauricæ, à Regibus Polonis precariò ac clientelæ in modum obtinuerint, ex vetusto Michaëlis Lithuani, Tartariam

tariam describentis codice, præter alios liquet. *Et illa ipsa Corsonij Clades (verba sunt autoris) sic à nostris tractata, iactură suâ dedisse fertur necessitatem Tauricensibus Christianis, luxui & ignaviæ deditis, recipiendi ad fœudalem incolatum, reprimendis hostilibus, Tartarorum manum. Vt sensim deinde valescens ea vis, ac ad iustum populi examen propagata, protulerint sibi in Principem quendam Temir Kutla, appellato eo Cæsare. At Progenitores S. M. V. (ad Sigismundum I. Regem Poloniæ scribit) perdomitis illis iniquis Græcorum vasallis, dabant eis in Cæsares, subditos hinc ex Lithuania Tartaros. Vltimus Adzy Gierey Han, apud Troki natus, à D. Vitoldo ad imperium illud missus, genuit in Taurica Mengli-Gerey Hanũ, moderni Saph-Gerey imperãtis Patrem. Sic enim recepta nobili Parentis sui nomenclatura, gaudet ea in fascibus suis posteritas. Hæc igitur est Gereiorum stirps, forti dextera Progenitorum S. M. V. ibi plantata; quæ nunc referendo provectionis gratiam, iuge negotium nobis facessit.* Hactenus autor memorat, de origine & progressu potentiæ Scythicæ, per socordiam & torporem nostrum, nimiùm quàm adultæ & formidolosæ. Ex eo germine prodijt Issan-Gierey, hostilitate & amicitia nostra iuxta famosus, qui olim ad Vscie Pocutiæ bello captus, aliquandiu ignorata conditione intergastula habitus, demùm à Vladislao Rege, vel in hostes liberali, manumissionem obtinuerat: post ad imperium Tauricæ evectus, collatæ libertatis non ingratus sperari potuit; nisi beneficia matutini ad instar roris existant, quẽ diffusus solis calor arefacit; hæc pinguiore fortuna oblite-rentur. Quo magis mirari libet anterioris sæculi socordiam, quod dum exitiabile germen pullulat, non in ovo præfocaretur. Mortis Issani caulam tradidêre pleriq; immoderatum vini adusti, (quod Crematũ dicimus) potum; diu antehac muliere captiva eum spiritum eliquante. Vnde creditum Scythis dolo Chmielnicij interijsse, quasi autore eo, Roxolana liquorem veneno imbuens, pridem invisum, ac recens disertorem suorum, sustulerit. Verum nè, an vt

1653.

Ozaki

Issan-Gierey.

pleraq;

1653. pleraq; confictum, in medio relinquo? cum diversa ab ijs qui tum Bacciſſaray commorati, acceperim. Nempè. Ex enato in iugulo vlcere, ardentiſsima febri correptum, Philippus Germanus Oleſnicij Hirurgus, curandum ſuſcepe-rat; iamq; ſuppurato malo ſpem convaleſcendi remittens-febris feciſſe viſa, cùm medicaſtri Scythæ famam reſtitutæ ſanitatis Chriſtiano invidentes, ſuperſtitionis ægrum arguunt, imò metu toxici onerando perpulêre, vt proficientibꝰ amotis remedijs, illorum ſe curæ committeret, qui dum irritant malum, obitum maturaverant. Filium reliquit Menli-Gereum, ex tanta pellicum caterva vnum; ſucceſſorem nactus Mechmet-Gerey fratrem, qui multos per annos Galathæ, dein Rhodi pro obſide à Turca habitus, tandem præmortuo Iſſano ſucceſſor mittebatur. Prodigio affine, adeò ſub fræno affectus dominandi apud gentem barbaram haberi, vt nemo natu minor, habenas imperij capeſſere auſit, niſi prærogativa naſcendi in ſpem ſceptri genitus; nec poſt Patrem filius ſucceſsione, ſed frater ordine propior, velut naturæ lege regimen adipiſcatur. Cùm tamen inſita mortalibus potentiæ cupido, regnandi causâ nihil non nefas ducat, obvijs paſsim omni ævo & vbiq; exemplis.

Menli-Gierey. Mechmet-Gierey.

Fine anni Nicolaus Bieganovius Vexillifer Leopolienſis, Conſtantinopolim fœderi renovando Legatus ad Turcam ivit: quod olim inter Solimannum Imperatorem, ac Sigiſmundum I. per varias temporum viciſsitudines firmatum aut convulſum; donec tranſacto ad Chocimũ cum Oſmane armorum experimento, per Iacobum Sobieſcium Structorem Regni reſtabilitum; dein per Chriſtophorum Zbarazij Ducem, Legatum in Turciam memorabili & glorioſa pactione renovaretur. Et Zbarazius quidem immortalem famam navatæ operæ, pretium tulit; cæterùm immenſo ſumptu, & ad ſtuporem exquiſita magnificentia, poſterioris ſæculi legatis præiudicaſſe viſus; quibus diſpari cultu ac oſtentatione venientibus, plurimùm apud Arilam illam decedat, opinionis & autoritatis. Vix non idem contigit Bieganovio, ab illo legationis Zbaravianæ ſplendore, multis-ſpatijs infra poſito; & qui inſtituto vitæ parcior, raro penitus vt mos ſæculi, in alliciendis Purpuratorum animis largitionum artificio vteretur. Acceptus tamen ſub primum ingreſſum non ingratè Stambuli: nam etiam hoc, vrbi illi, quæ olim Græcorum Imperij ſedes, calamitatis acceſsit, vt cum mutato Domino, etiam antiquum vocabulum mutaretur. Dicta antiquitùs Bizantium, dehinc à primo inſtauratore Conſtantinopolis; nunc Turca mutationem nomẽclaturæ æmulatus, Stambuł, ac ſi amœnam reſidentiam-appellavit. Sunt qui eam Vrbem à mirifico naturæ ſitu, tum & benigna aëris temperie, Coloniam Paradyſi, aut-quoddam cæli pomærium vocent. Comitem legationis ſe tunc exhibuerat Ioannes Sobieſcius Iaworovienſis Præfectus, heroicæ ad videndam Aulam illam indolis impulſu; vel quod ſatius crediderim, indito deſuper ſtimulo, ad introſpicienda eius imperij arcana, cum quo ei quandoq; Sarmatiæ rebus impoſito, fataliter luctandum eſſet. Tum quo ſecuriùs iret rediretq;, ore & habitu diſsimulatis, alium ſe non qui eſſet, dici ſuſtinuit. Aſt malè tegitur quod plures noſcunt, nec diu latere poterat ſub alieni nominis involucro, magna olim Europæ Hiſtoria, Iuvenis præclariſsimus. Quippè concinna naturæ dono forma, acres in quemcunq; fortunæ caſum oculi, vigor igneus, ſecreto ſuo maior animus, cognoſci occultata cœpêre: cumq; accederet humana comitas, & ſub illiberaliore legato non vulgaris munificentia, ſuſpicionem, mox metum iniecere Barbaris, non fruſtra tanti Patris filium, vel ſuapte indole ſuſpiciendum, inter eos animo & cognomine ſuppreſsis, verſari. Et quãvis inclinatior in res noſtras Aula illa, Bieganovium (redierat primis Iunij Anno ſequenti) confirmatis fœderibus expedijſſet, Sobieſcio tamen retentantibus Turcis è naſſa illa evolui, nimis arduum fuit. Inquire qui voles in Fata, & ſupernæ PROVIDENTIÆ ratiocinarium ſi potes evolve; reperies, deſtinata cælo nullâ humanâ induſtriâ perverti: ac

Biegano wſki.

Sobieſki Zbarazki.

1653.

1653. sanctione æternâ, velut lege immobili, omnia mortalium opera fataliter disponi & gubernari. Documento est, qui modò sub manu barbara intra casses præhensus hæret; olim potentissimus Sarmatiæ Rex Turcarum flagellum erit: qui fatale hoc Orbis diluvium cum summa gloria excipiet, nec trepidam modo Patriam, sed & prostantem insultui Europam, pro virili tuebitur. Etsi factum malim eventu quàm ratione metiri. Reprehensionem effugit quem Fatum servavit; & cùm audaciæ suffecit eventa, in laudem vertit, quid quid ausûs est.

ANNALIUM POLONIÆ

REGNANTE

IOANNE CASIMIRO

LIBER SEPTIMVS.

An. CH: M. DC. L. IV.

Elenchus Contentorum.

MOschus rebellibus patrocinando bellum in Polonos movet, apparatu & terrore ingenti. Quis ille? tum pauca de Moschoviæ situ, ac moribus gentis. Eidem à Metropolitano Moschuæ bellum vti iniustum disuadetur; cuius tamen rationib9 pro pace Mag: Dux non acquiescit. Chmielnicius armorum socius Vkraynam Moschis in Fœudum addicit, ac fidelitatem iurat; Clero ac plebe refragante, sed magis Sierkone, ac Bohuno Cosacorum poticribus Ex istis Bohunus promissa transitione Campiduci illudit. Comitia Varsaviæ indicta ac varijs Ordinum querelis protracta, tandem dissolvuntur. Subinde miscentur externa. Nẽpè: Christinæ Suecorum Reginæ eius Regni abdicatio, ad fidem Catholicam reditus. Mors Ferdinandi IV. Regis Romanorum, non sine Patris dolore, & totius Aulæ Cæsareæ. Coronatio eodem Anno Ludovici XIV. Regis Galliarum, cum prolixa solennitate. Iterum Rex Comitia indicit, quæ itidem ambitus vacantium munerum turbat; quorum distributio, ac sancitorum in Comitijs summa brevis. Radzieiovius quoq; scribit deprecando Regi humillimè. Indigenatus quibus tunc concessus, ac vt lus Nobilitatis acquirendæ, per legem venale expositum mansit. Ostenta in cælo imò sole. tandem Comitia finiere. In Lithuania Moschus bellum prosequitur, vbi Duces ambo fataliter dissident. Radivillus hostem versus tendit, cum obvio aliquot prosperioribus per suos congressibus experitur; qui tamen subinde Fortalitia & oppida intercipiens

1654. *ad Sclovum pudenda clade Radivillianos affecit. Vnde Radivillo se ad Minscum recipiente, Rex in Lithuaniam veniens Grodnæ subsistit, ac consultat vano conamine. Smolenscum Moschus obsidet. Interea Soliman Aga à recens inaugurato Scytharum Hano, societatem armorum in Moschum offert; à Turca item Bieganovius optata nuntiat; Sueco Rege per Legatum suum minacia mandata exponente. Si quando certè tunc miserrimus rerum in Polonia status. Attamen Iaskolscius Crimum ablegatur, qui tandem Chmielnicio ad monita Hani impersuasibili effecit, vt societas armorum inter istas gentes decerneretur. Moschus Dux firmato præsidio Smolensco, Moschuam redit. Expugnatur Witepscum: Sclovia fortiter oppugnationem pertulit. Mors Gnievossij Episcopi Cuiavienſis. Exercitus Regni in Vkraynam movet, Bussam exscindit, deinde alia latronum receptacula. Intra Hippanim Bractavia oppugnatur vnde Bohunus Præfectus, cum alijs Tribunis profugit. Chmielnicio Czehryniæ delitescente fama mortis eius spargitur, qui ibidem sepelit Zlotarenkum amicorum fidissimum Mengligerey Soltanus Scytharum auxilia adducit. Post varia oppida vitentata aut subacta, Humanium obsidetur, quòd tamen illæsum manſit. Chmielnicius Moschis iunctus it nostris obviam, ac vtrinq; exercitus ad Ochmatovum nocturno prælio certant, imò triduano. Huius prælij descriptio. tandem Moschi semivicti se manibus Polonorum eripiunt, instructa Carragine ad Fortalitium Buki regressi. In Exercitu Regio angustæ res, fame & frigore peditatum prosternente. Medio hyemis Soltan Galga cum altero Scytharum agmine in Vkraynam accurrit, interim per hybcrna disponuntur legiones, etiam Scythæ ex itinere respiraturi. Cum his amicitia & fœdus nostrum ab externis perstringitur. Ostenditur contra, ex lege naturæ & praxi talia non vetari. Appetente Vere legiones Vkraynâ decedunt, evocante Rege seu mavis fame compellente. Climactericum primum finit mors Innocentij X. Pontificis Romani, quę Vladislai IV. Regis obitus incæperat.*

ABitu Scytharum liberata in tempus externis armis Respublica sperari potuit: cùm ecce cruentũ, iniustũ, sine causa, indictione, vnde omne malum, ab Aquilone, bellum nos involvit. Nempè Poloniæ nondum propitia fata, struebant media aut instrumenta concutiendæ, alia mundi plaga. Vix digressi à Zwanecio Exercitq, cùm Lublini subsistente Rege, videre licebat, repercussum fulgoribus ignium cælum, quibus exurebat continenter Podoliam, effrenis Scytharũ protervia. Cumulavêre dolorem allatæ literæ, vniversam Moschoviam insonare armorum paratibus, adversùm Polonos vertendis, & iam Principe illo vltra triennium hostilia meditato, postquam se occasio dabat, intimis viribus bellum movendum decrevisse. Deliberavit diu an amicũ exueret,

exueret, & postquam animo sedit hostilitatis consilium, omnem se, suaq; in patrocinandum rebellibus effundebat. 1654.
Ingens sanè paratus belli; quid quid sub nomine Moschico virium audit, quantùm populorum latissima illa Septemtrionis latifundia continent, omne id Cosaci nominis studio in Polonos contractum. Turca, Suecus, Danus, Hollandi, in societatem belli solicitati; ex Imperio, Belgio, Suecia, conducti Polemarchi; supellex omnis generis bellica, Amsterodamo, Antuerpiâ, Hamburgo, Conquisita; qui instinctum dabant, ijdem Cosaci instrumentum belli destinati; ad convellendam Scytharum fidem: auro, quod gens avariùs tractare solet, haud parcitum. Causas bello si quæras, nè prætextum quidem reperies, præter vetera & inania, nisi quòd importunus vindicandorum titulorum Dynasta, pro Patrono se Græcorum sacrorum ferens, dum bello petitur à Rege Polono rebellio, religionem violari prætendebat. Additamentum tunc, se potiùs querelæ caput, à Wiazievicio, omissus Dominatoris totius Russiæ titulq, in rumpendam pacem suffecit. Imperabat genti Alexius Michaélis (alias Michayłowicz, nam ijs assuere patronymica cognomina solitum) cuius Parentem Michaelem Moschi sibi Ducem, abdicato perfidiosè Vladislao, sub Annum 1612. delegerant. Vicina gens nobis, eadem dudum inimica, veterum cladium intuitu, aut maioris potentiæ formidine: etsi cultu corporis, idiomate, moribus, neq; instituto militandi vsq; quaq; differat. Vastum Septemtrionis tractum incolit, vltra Tanais fontes, & ad vsq; glacialem Oceanum ditionũ suarũ limites protendendo. Minor terræ vbertas, ob asperius cælum, frugum nihilominus tantùm habent quantùm necessitatis, vt se alant non distrahant. Præcipua laus à ferarum, armentorum, ac melificiorum copia; etiam equis abundant, qui licetsi humiliores, cursus tamen ac laboris pertinaces sunt. Ferrum & æs quantum satis suppetit; auri & argenti fodinis carent, metalla nihilominus ea, suprà quàm cæteri mortalium congerere, & servare sciunt: vn-

Alexey Michayłowicz.

1654. decunq; allata recipiendo, nam recepta è ditionibus Moſchi efferre vetitum. Pretioſæ ferarum pelles huc maximè pecunias vicinorum vertunt, nominatim Zebelli, qui nigredine ac lævore ſuo, ex inſigni raritate carò veneunt. Thanais & Rha Wolga amnes principales habentur, qui ſinuoſo anfractu per Septemtrionem decurrendo, tandem ambo in Hyrcanum mare evolvuntur. Vis militiæ in pedite conſiſtit, in Caſtellorum defenſione Moſchis in extrema obſtinatis; neq; equitatu deſtituantur, numeroſo magis quàm ſtrenuò, niſi vt omnia ita militiam quoq; vſus doceat. Evexiſſe in id nominis ac potentiæ gentem, anteacti ſæculi autores tribuunt Ioanni Baſiliadi, artibus non magis regnandi, quàm ſua Tyrannide famoſo. Modernũ Alexium ſubiêre curæ, adverſus Polonos bellaturo occaſione vti, ac quo color bello quæreretur, defenſio religionis & patrocinium oppreſſorum, ſpecioſa nomina vulgabantur. Etiam vt nos præveniret, metus faciebat; nè armis noſtris ſubacti Coſaci, pellecti ſimul in amicitiam Scythæ, præſtantes bello gentes, imperium illud iunctis armis invaderent. Eum in vſum anteverſurus diſcrimen dimiſerat in Tauricam Nuncium, prænſandæ per largitiones paci, ac nè propriũ timorem proderet, pro Coſacis, in conſtanti patrocinio retinendis precabatur. Accepta dona, quæ etiam prudentib⁹ negligere nõ eſt moris: in reliquis ambiguè dimiſſus nunci⁹, aut certè arroganter: *Si Moſchus Scytharum hoſtilem animum experiri nollet, redderet vltra Tanaim avitas genti ſedes, & cum Aſtrachani Regno, ſibi ſubiectas Calmucorum Ordas, nec alio actu ſtabilem amicitiam procurari poſſe.*

Mſochi. Iverat in Moſchoviam Ioannes Mſochy ex Sen: Con: qui à bello dehortatorias Regis literas ferret, etiam à Primate Regni ad Metropolitanum ac Purpuratos eius Aulæ. Verùm ſtrepentibus iam armis ægrè commoda pacis admittuntur, & qui ad iuſtitiam provocat, pro imbelli audit. Increverat nimiſquàm inter Moſchos rebelliũ favor, vt non aliter

aliter ſe facere ſtrenuè iudicarent, niſi pro illis arma ſumerent. Vnde maioris iam momenti viſum Moſchum ſedaſſe, quàm Scytham à Coſacis divertiſſe. Non tamen tunc Moſchovia ſine viro reperta, qui amore pacis bellum oderat. Nicon erat Moſchuæ Vrbis Antiſtes, Metropolitanũ vocant, qui iniquiſsimi belli apparatu diſplicente, tantùm animi oſtendit, vt contra omnium ſententiam, ad Magnũ Ducem pro pace verba faceret. Accedebant præſagia, curiosè apud ſuperſtitioſos obſervata, vt non planè & iſta, & abſtrahentem à bello Antiſtitis ſermonem, Moſchus reijceret. Septem maioris modi machinas dehiſcente ponte, aqua abſorpſit; genius aliquis territaverat Ducem, haud ex Lithuania rediturum minatus; Mater inſuper varia onerabat ſolicitudine, ſi averſis Dijs arma in innocuos movenda pergeret. Moveri talibus Alexium palam erat, expediebaturq; Legatus hoſtilitati præcurſor, cui equitanti dum largius meram gulam fregit; tunc vero poſteriùs præſagium priora expugnavit. Decretum bellum, inſtituta expeditio, ac præſente Mſoccio mota in Lithuaniam ac Vkraynam arma ſunt. Vidit ille permiſſus aſpicere, præter innumeram armatorum vim, CL. maioris modi tormentis, tantum exercitum firmari; incognitas machinas, mirabiles pyrobolos, truſatiles molas, falcatos currus, ac alia artificij miracula circumduci. Sed qualia narrata nec credũtur, nec timentur nobis, donec pereundum eſt. Neq; intrà ſpectaculum minæ ſtetêre. XL. armatorum millia Duce Srebmy ac Chowanſcio in Lithuaniam protinùs immiſſa ſunt: cum altera Exercitus parte Anthymus ac Buturlinus Palatini, infero tractu in Vkraynam expediti, qui deportatis Kijoviam prono amne armamentarij oneribus, illùc ſedem belli fixêre. Accurrerat Chmielnicius honorẽ introductioni hoſpitum exhibiturus, id requirente Anthymo, vt de manu tradentis poſſeſsionem Provinciæ, vſu caperet. Factum, tradita poſſeſsio, in nomen Magni Ducis iuratum, conſignata Caſtella ac munitiones, in portoribus

Srebmy Chowanſki. Antyni. Buturlin.

vrbibus

1654. vrbibus Iurisdictio Moschorum fundata; præsidia introducta, armamentaria recensita, & quæ alia ordinandis rebus faciunt. Viceversa Chmielnicius cum investitura fiduciæ Vkraynensis, Cosacorum Dux, à solo Mag: Duce dependens renuntiatur. Tum verò non plebs tantùm, & qui adversùm Polona imperia obstinati, in plausus & immodica studia ruêre: verùm qui hactenus partibus adversari ostenderant, nimij affectus gaudium simulabant. Ast vbi recẽti status ordinatione ad spiritualia ventum, ad primum statim lapidem Moschi offendêre. Vrgebat Ophanasius (quẽ alij Wiazmæ Episcopum, alij Tuerensem Cœnobiarcham dicebant) quominus sublatâ in sacris differentiâ, Sacricolæ Vkraynenses receptos in Moschovia ritus amplecti vellent: Abnuebant præcisè isti, in rebaptizandis præcipuè parvulis hallucinati; tum quominus abdicato Patriarcha Constantinopoleos, autoritatem Metropolitani Moschi, Metropolitanus & ipse Kijoviensis, suo cum Clero sequeretur. Sed nec suasu, nec precibus, insuper minis, nihil ab isto impetrari potuit; cuius rei causâ Moschuam vocatus, (tractum obtorto collo fama tulit,) tum demum simulatum gaudium in mœrorem vertit, novi dominij rigore rebus larvam detrahente. Addictæ in reditus Ducales arces & possessiones quæ Regis fuerant, Palatinis ac Tribunis Moschorum, bona Nobilium, imposita plebi Tributa, nec quisquam immunis ab onere; cunctis promiscuè armorũ tractatio. Sed nihil æq; commovit plebem, quàm capistro legis sumptuariæ stringi, quâ commessationes genti solitæ vetabantur. Namq; vino adusto seu Cremato interdictum, nativi potus monopolia instituta, à victualibus, à mercimonijs, vsu aut rerum commercio insolitum vectigal: nè vestitu quidem nisi è rudi panno; calceis, nisi è vili corio, aut arborum cortice, in vsum multitudini permissis. Transeo reliqua pro Moschorum ingenio, quàm vt novæ dominationi expediret instituta; etsi plura in speciem cõcessa Cosacis, vt Tyrannidi mos, demulcere potiores quo vniver-

vniversi capiantur. Non tamen deerant qui mutationi rerũ palam obstreperent, vel ipsi Chmielnicio grave servitium exprobrando: præcipui Bohunus ac Sierko vterq; rerum bello gestarum fiduciâ, etiam amicitiâ Ducis erectiores. Suspectabat etiam minima rerum momenta Chmielnicius, vt ferè multis formidandi omnia timent; sed precipuus ex istis quos memoravi metus, nè tamen præcarium in Cosacos imperium, aut se per aliena arbitria trahi proderet; ambobus apud se causam concitæ in turbas multitudinis dicere iussit. Ast non exspectavêre iudicium; Sirkone in Insulas Zaporovianas confestim se recipiente, vnde securior quis violentæ dominationi finis aut modus operiretur: Bohunus haud quaquam promissæ à Duce veniæ fidens, incognitus diu oberrabat, iam Scythæ favorem, iam Polonorum clementiam pertentando. Vnde scripserat Potocio, superbiam Moschorum, sævitiamq; Ducis sui incusans, & tanquam præsens exilium, instructasq; in vitam machinationes, quod legionum Regis assereret imperium, iam nunc pateretur: talibusq; per secretos nuncios Ducem conveniens, validus suadendi effecerat, vt Potocius, discordia hostium vsurus, cum leviori suorum armatura, celerem in Vkraynam expeditionem destinaverit. Sed Bohunus neutiquam ab ingenio suo degeneraverat, vafer, fallax, & postquam Chmielnicium sibi conciliavit, veteris in Polonos odij ac hostilitatis tenax, exstitit. 1654. Bohun. Sierko.

Sub hæc Comitia Rex Ordinibus indixerat, quibus tamen profectum nihil, æq; sagi quàm togæ consilijs in deterius ruentibus. Franciscus Dubravius Premyslienſis Succamerarius Collegio Nunciorum præerat, vir polyticis probè instructus. Sed postquam à suo Ordine perorans, nonnulla liberiùs tanquam ex commisso protulisset, apertâ Aulæ disgratiâ vapulare cœpit. Scatebant cuncta fatalibus disidijs, multis è Senatu sequius in Regem animatis, ac privatas offensas publico commodo præhabentibus. Variæ ex eo fonte querelæ. Lithuani expositos se Moscho- Dubrawski.

rũ incurſioni querebantur; Wolhynienſes, ac Podolij Scy-
1654. thicas populationes incuſabant; omnes poſcebant reddi Senatus Conſultorum rationes, exprobratâ palam quadrimeſtri ad Leopolim morâ. Prolixum queribundis argumentum Soczavâ emiſsi Coſaci, interceptum Thymothæi peculium, malo exemplo in privatos derivatum, quod publico ſumptu acquiſitum ſtetit. Interim hauriri inexplebili Euripo totius Regni opes, flagellari tributis Provincias, deniq; pretium ſanguinis qui meruiſſent deſtinatum, inter ſorices Palatij diripi. Docere Ærarij tabulas. (Tareffam) Comitijs Anni M. DC. LII. contuliſſe in bellum gerendum Rempublicam gemina agrariarum Collecta, vltra Milliones Novem: quid ſi extraordinarij Proventus cõputarentur? hyberna militum, commeatus, ſubvectiones, & omni tributo graviores circuitus, quæq; alia accipere, ſi negantur rapere militi mos; palam forè nè quidem ſeſqui anno elapſo, corrogatum æs vltra XVII. Milliones extenſum iri. Talia nec falſo iacta, imò dicta. Sed maximè cõcertationibus alimentum dabat vacantium munerum diſtributio, potiſsimè Præfecturarum militarium, tam in Regno quàm Ducatu Lithuaniæ, quæ ex vſu antiquo Præfectis minoribus dari conſuevêre. Potocius quidem mitiùs meritum munus poſcebat; flagrantior pro Lithuanica Radivilli ambitus fuit, tanquam debitum meritis dari contendentis. Et ambitui prætextus publici adſuebatur, iactãtibus partis fautoribus, minori impendio conſtituras bellorum expeditiones, ſi Rex in ſummam tantùm regiminis ac fortunæ intentus, mandaret bella Ducibus gerenda; ita ſecuriores victorias, clades reparabiles, ac minore ſumptu, maiore diſciplina continendos Exercitus. Ægerrimè eiuſmodi voces accipiebat Rex, dolebatq; Iura Maieſtatis, ſeu veriùs Iuſtitiam diſtributivam privatorum ambitu velut cãcellis circumſcribi, in cætu familiarium aliquando quæſtũ, gratiorem ambienti Clavam Lithuanicam, ſi extorta ſibi, non benignè collata foret. Etenim nihil in competitore

modi-

modicum; animo & potentia tumidus, largitionum po- 1654.
tens, ac per ſucceſſus armorum vltra Civem ſpirans, importunius exigere munus haud erubeſcebat. Hinc Principi renuendi cauſa, aut differendi, cum inter eos turbas, ſat illaudato fine Comitia diſſolvuntur: aliquo ex nuncijs Terrarum Pruſsiæ, Tribunitio ſpiritu, per malè vſurpatæ libertatis Zelum, abutente.

Sed liceat tantiſper circumactum iugi malorum narratione calamum, brevi diverticulo componere, mox in viã reducendum; vbi aliquot Externorum eiuſdem anni acta memoravero. Primas meretur Chriſtina Suecorum Regina, quam cæſo Patre Guſtavo gubernaculo Regni admotãm, ac vt ſibi Carolum Guſtavum è Palatina Familia ſucceſſorem deſtinaverit, ſupra recenſui. Nunc profundioribus curis, quas mundus, aut ſtatus Regalis capit intenta, paternum Regnum abdicare conſtituit. Triennium in eo propoſito hæſit, in quod labefactandum, non ſubditorum preces, non amicorum diſuaſus, nè ipſius quidem ſucceſſoris obteſtationes, evaluêre; prætendente illa virilium curarum tædio, tranquiliori vitæ addici malle; & patrem diadematis oneri Carolum prolixè Suecorum expectationi reſponſurum. Credidêre Sueci faſtiditam ex cutis Maieſtatem, quàm animæ conſultura abdicabat. Siquidem perſpicaci ingenio virago, diu ſacrarum literarum lectioni immerſa, ſalutis animæ conſilium & viam agitare inſtitit: incerta ſcilicet extra ovile Chriſti vitæ æternæ, ac inter diſcrepantes de veritate Fidei Sectariorum opiniones, anxia ſalvandi. In ante, acciverat viros Lutherani dogmatis præſtantiores; verùm his adiaphora capita ac perplexitates, non in ſolidum reſolventibus; cœpit animo deliberantis inſpirari aliqua lux veritatis, ſuſcepitqué conſilium vel diſpendio Regni, ad Romanam Eccleſiam poſtliminiò redire. Multa intervertere propoſitum videbantur; præcipuè quod in Suecia fidei Catholico-Romanæ profeſsio, adeò arctis ſeverisq; legibus prohibeatur, vt eius cauſâ o-

1654. mnis Regibus decedat authoritas, ac regendi poteſtas; etiã ſubditos eam amplectentes capitali ſupplicio addici neceſſum ſit. Primi qui hoc in negotio vadum tẽtarunt, duo ex Patribus Soc: IESV gente Itali fuêre; diſsimulato profanũ in morem habitu Holmiam venientes, perq; iſtos Regina, Stokholm in diſcriminoſum arcanum vocatos, Summo Pontifici amplectendæ Catholicæ religionis expoſuerat voluntatem, ſcriptis manu propria literis. Addidit momentum Antonius Pimentellus Catholici Regis in Suecia Orator, qui ſecreti particeps, imò conſũmandi negotij impulſor, Mantuam Carpentanorũ veniens, vt tam grandè opus autore Rege in effectum deduceretur Philippo IV. autor fuit; qui Madrid. idem per Guemezium è Dominicana Familia Theologũ, decreti è Suecia diſceſſus Reginæ, Innocentium X. certiorem fecit. Vbi verò maturum, Chriſtina Comitijs Vbſaliæ pro Sueonibus indictis, abdicavit Regnum, ſimul Carolum rebus potiri voluit. Idq; eum in modum. Regali apparatu ac diademate redimita Throno incumbebat; depreſsiori menſæ aſsidebat Carolus: vtriqué Suetici Senatus Coronâ circumfuſi. Ad imperatum cunctis ſilentium, Roſenhanes gentis Cancellarius, propoſitionem Reginæ ſcripto comprehenſam, mira omnium attentione legit, eo ſenſu. *Chriſtinã Suecorũ Reginã, vltro & benevolè deponere Regni Hæreditarij diadema, ex cauſis quas pridem vulgaſſet: non tamen abdicare natalis ſoli amorem, & dilectiſſimæ gentis memoriam retenturam, quàmdiu ſpiraret; neq; nunc depoſituram gravè regendi munus, ſi vires oneri pares ſupereſſent. Proviſum tamen omni meliori modo, vt non tantùm commodius, ſed & generoſius parerent Sueci, à ſe deſtinato, abijs deſignato, Regi, viroq;. Quod vt felix fauſtumq; ſit, nimiſquam exvoto cupere.* Tum verò Diadema detractũ Capiti, aliaq; inſignia, Carolo corã deponi iuſsit, ac omni propemodũ Regio cultu ſe exuẽs, vix palla virginea ſemicincta, in cõſeſſu Ordinũ comparuit. Ad hæc triſte Suecis ſilentiumimò ſtupor, nihil tale viderant nihil audierant. Cùm rursùs illa, ſupra exem-

xemplum fortis, ſubditos ab obſtricta fide luculentiſsima 1654. Oratione exolvit, valere iuſsit, ſimul & Succeſſorem patheticè affata. *Tu interim Carole abdicata inſignia Regnumq; me tradente ita accipe, vt noſtri memor, ſuſceptum regimen iuſtè ac feliciter abminiſtres, nosq; etiam abſentes diligas.* Illachrymavêre gentis primores, etiam ſucceſſor, vsq; adeò collati beneficij gratam mentem oſtendens, vt inter coronationis ſolennia ſparſis in vulgum nummis, inſcribi mandaverit: A DEO & CHRISTINA. Ita demum conſtitutis rebus, ac tranſmiſſo navibus mari, prætextu Amitæ Landgraviæ Heſſæ inviſendæ, per Coloniam Vbiorum Antverpiam, dehinc Bruxellis, à Leopoldo Archiduce Auſtriæ alacri occurſu, ac magnifico hoſpitio excipitur. Lætum id in Orthodoxos, ringebantur paſsim Acatholici, errores ſuos muliebri prudentia conculcari; etiam Mundo contemptum ſui à vix quinq; luſtri Virgine haud ſatis demirante.

Dum Chriſtina Regnum, etiam Ferdinandus IV. electꝰ Rom: Rex vitam magno ſuorum dolore abdicavit; morbo quem variolas dicunt abſumptus. Infeſta ea pueris lues ac planè inevitabilis, viris vix tolerabilis, acriùs in adultos ſeviente malo: nam ſi puſtulæ per corpus effloreſcentes, rurſum ſe intra cutem recipiant, infallibile mortis ſignum habetur, quod tum evenit ſub obitum Ferdinandi. Exacto anno Rex Rom: Auguſtæ Vindelicorum renuntiatus; præſenti ſub tertium Nonas Iulij, extremum diem Flavianæ clauſit, XX. & vnius Annorum Princeps. Narratũ tunc conſtanti domeſticorum adſeveratione, ea ætate ac ſtatu, ùbi multa ſolutioris vitæ irritamenta ſunt, florem innocentiæ illibatum, ſecum in tumulum intuliſſe: diverſo illorum more, qui ex magna fortuna licentiam tantùm vſurpant, & diſſolutâ vitâ Filios Principum agunt. Præſagia mortis anteceſsêre, Anſtria terræ motu quaſſata; Iaurinum Hungariæ fortuito igne exuſtum, aliaq; aſt magis curioſos advertit, Aquilæ pullus, iam tum ſuccretis pennis intra Arcis Viennenſis mænia cicur, ante extrema Ferdi-

1654. nandi evolans, nec redire visus, nec requisitus inveniri; cõgruente præsagio, quòd Aquila iam pro Regina avium, eademq; pro vetusto Imperij Germanici Stemmate habeatur. Dum Viennæ iusta persolvuntur, adfuit à Rege Polono Denhoffius Wielunensis Præfectus, dolenti Cæsaris Patris animo solatia daturus, obligante pietate Christiana, etiam necessitudinis officio, cùm Reges nostri sanguine Domum Austriacam proximè attingant.

Denhoff.

Galliam Germaniæ, & tristibus læta subiugo. nam vt gentibus istis ad invicem æmulari mos, ita plerumq; fortunæ vicissitudine alterantur. Ludovicus XIII. cui Galli Iusti cognomen tribuunt, reliquit eiusdem nominis Filium, ex Anna Hispaniarum Infante, in successionem Regni Gallici, spem vnicam & maximam. Isto per ætatem sceptri capessendi immaturo, incumbebat Regni administratio Matri; hæc rursùm committebat Ministris; isti à se dependentibꝰ aut obnoxijs: restricta vel maximè Principũ sanguinis, ac Patriũ potentia, quorũ in administratione politica, summa ratio habetur. Hinc apertis dissidijs aut occultis odijs, Gallia cõmitti cœpit. Asseruerat nuper Regũ authoritatẽ Richelꝰ Cardinalis; etiam nunc per simile Ministeriũ Mazarinꝰ se probare studens, offenderat Optimates, vbi isti leges Galliæ, ille causam publicam, quia Regis, tueri in diversum contendunt. Et eo vsq; odia valuêre, vt ob suspectam potentiam primò Mazarinus, deinde & Princeps Cõdæus extra fines Galliæ secedere debuerit. Lethali dissidio subveniri creditum, si Rex per se capesseret Regni gubernacula: qui Anno Ætatis XVII. Vrbe Rhemorum, cui coronandorum Regum antiquitùs prærogativa tribuitur, ipsis Sacri Corporis Christi Solennijs coronatus est. Aderat Mater Anna, tum Henricæa amita, quæ Carolo Angliæ Regi nupta, nunc viro & Regno orba, cum tribus in spem avitorum Regnorum Filijs, bono Galliæ successu, viduitatem suam solabatur. Præsto erant Pares Franciæ, quorum ex primævo instituto is qui & Apostolorum numerus,

merus, iam nunc titulo & specie muneris, vltra Discipulorum turbam succrevêre. Imponebat Diadema Regi Rhemensis Archiepiscopus, eoq; nomine Parium Primas, solitâ in augurandi formulâ. Mos Regibus Gallis circa Coronæ impositionem, sub vtraq; specie Sacra Eucharistiâ reficI, quod scilicet Princeps participet ex virtute Sacerdotij quatenus Vnctus Christi: aut quod potestas Regum, immediatè à Deo sit. Postridie Torquato Regiorum Equitum Ordini ascriptus, eiusdem instituti Privilegia firmavit; quod ab Henrico II. fundatum, summæ dignationis locum inter primores obtinet. Præter complures immunitates quibus Collegæ Ordinis fruuntur, magni æstimatur, eodem sodalitatis albo cum Rege comprehendi, corã nemine causam dicere, nisi Rege iudice; ac Cocquitem habere Principem, eminentia censetur. Nomen Ordini Sancti Spiritus Equitum, quos à promiscua Nobilitate distinguit, Crux vittâ cæruleâ è collo pendula, albicantis columbæ simulacro insculpta, quali hieroglifico diviniſsimum Pneuma Ecclesia signat. Æmulari hac in parte Gallos, Domus Austriacæ decora facilè credam, cui aureũ vellus, relicta post Burgundicos Principes hæreditas, in manꝰ venit. Etiam alij Reges eiusmodi crepundia deferunt, quale in Anglia periscelidis, in Dania Elephanti habetur. Vladislaus quoq; IV. simile quid tentaverat, Equites sub titulo Immaculatissimæ Conceptionis Deiparæ instituêre satagens; verùm vbi novitia commenta, è diametro æqualitati repugnare animadversum, posthac optimus Princeps, invitos ornare ea dignatione omisit, titulo magnificâ rerũ vacuâ. Ac nè præteream, in curandis tactu Regiæ manus strumaticis, extraordinarium tribuentis Dei beneficium iactant scriptores Galli; multa adseveratione, vt credamꝰ, propè fidem esse articulum, demonstrantes. Ego interim patrijs Annalibus stylum, & me afflictæ Poloniæ reddo.

1654.

Iterum vrgentibus vndecunq; periculis, Comitia indixit Rex celebravitq;: necessario magis quàm opportuno remedio

1654. medio vsurus, dum deberet arma, consilia expediebat; & id quidem ad V. Nonas Iunij. Præsidebat Nuncijs Christophorus Grzymułtovius Succamerarius Calisiensis, magna spe feliciter actum finiendi, quod in eo omnes convenirent, vt intra semestre spatium, pertinentia tantùm ad defensionem Patriæ tractarentur. Sancitorum summa fuit. Exercitus præteritis Comitijs autoratus, tum in Regno, quàm M. D. Lith. in parato ad opera Martia esset; & stipendia quidem Polonis Leopoli, Lithuanis Vilnæ exolverenda. Publica Expeditio vtrobiq; laudata, extremum in novissima pericula præsidium. Ac quo consilia belli, præsertim apud Lithuanos in expedito forent, datur negotium Nicolao Corsio Vendensi Palatino, ac Eustachio Kierdey Samogitiæ Castellano, quominus ex temporis ac rerum opportunitate, intervenientibus negotijs consulerent. Descripta præsidia, locis quibus immineret Moschus inducenda, cùm iam induci ea, non consuli satiùs esset: Smolensco maximè, in quo intercipiendo omne molimen verti apparebat. Tenor legis qua ei Fortalitio cavebatur, in codice Constitutionum eiusmodi habetur. *Quam insigni fortitudine, ac propè inæstimabili sanguinis sumptuumq; impendio Reipub: Fortalitium Smolenscense, cum tractu Severiensi, ab hoste recuperatum sit; ita vicissim conservatio ac integritas eius, in summa consideratione manere debet. Ac licetsi nè minimam quidem à parte nostra dederimus, M. Moschoviæ Duci, perpetuæ pacis violandæ occasionem; nihilominus advertendo liquida hostilis animi eius argumenta, ditiones nostras invadentis ac vastantis; vnde de iniustissimè nobis bello illato, coram Deo & Mundo protestamur, cùm muneris nostri sit propugnare Reip: hæreditatem: declaramus ei Civitati Arciq; nostræ, omni cura & studio succursum opemq; sine mora laturos, si idem hostis eã Civitatem obsidere destinaverit.* Proinde assignati Commissarij, qui vetus præsidium pecuniâ refoverent, novum militem scriberent, commeatum ac rem armamentariam recẽserent. Provinciali Nobilitate in vrbis defensionem ex more &

Grzymułtowski.

Korff. Kierdey

re & lege obstricta. Demum (ejiciebatur tandem vetus fermentum, quod dudum ante facere par erat) quo res bellica Ducibus niteretur, supremum in Regno militare regimen Stanislao Potocio Kijoviensi Palatino: minor sub Campiducis nomine Clava, Stanislao Landzkoronio Russiæ Palatino cessit: vtrisq; quantùm sibi tribueret Resp: intelligentibus. Lithuaniæ armorum Præfectura Ianusio Radivillo Palatino Vilnensi maior, velut invito, quòd seriùs quàm ipse volebat tradebatur: eidem simul officij Collega seu Magister Equitum adiunctus, Vincentius Corvinus Gasiewius, privata æmulatione infensus, & honore Quæsturæ Lithuanicæ gravis. Vnde prior eminendi nimius, iste retinẽdi honoris solers, dum irreconciliabili odio dissident, multum tunc laborantis Lithuaniæ rebus obfuêre. Radzieiovius quin etiam, seu exilij tædio, seu reparandi status desiderio, clementiam Regis per supplices literas tentavit. Stilus epistolæ incipiebat. *Manus Domini nova miracula in creatura sua operatur, quoniam elevans allisisti me, & vas honoris in contumeliã factũ. Contritus & humiliatus clamo, vsquequo Domine? Profiteor accepta beneficia, etiam agnosco, quod æmulorum invidia se obiecerit indignationi Clementissimi Regis; tam vt nunc patratorũ pœnitet, ita solatijs honoribusq; pristinis nudatus, ac precario inter exteros vitam trahens, maneo præsentibus & futuris sæculis exemplum, quomodo optimũ ac clementissimum Regem expediat venerari, &c. Quare Ser: Rex contrivisti nocentem, erige supplicem, ac pro innata Maiestati benignitate, propitiatus errori fatentis, de gratia desperare non permittas &c.* Epistola subscriptione manus Radzieiovij firmabatur, etsi quando & vnde scripta, solita deerat appendix: hinc pleriq; confictam eam ciendæ amplius invidiæ putavêre: alij de authore annuentes, dudum conceptarum offensarum memores differebant; cavendum acriùs quo humiliùs loqueretur; astum esse, vt per simulatam demissionem lingua blandior, intra sinum more anguis recepto nocentio pungeret. In Suecia eum esse; quo

1654.

Potocki Landzkoronski-Radziwił.

Gasiewski.

1654. modo verò, vtriusq; Regni incola, aut duorũ Dominorũ ſervus, eſſe poſsit? Inhærere tenaci viri maligni memoriæ, in præcipuos Regni Miniſtros implacabile odium, proin per abiectiſsimæ fraudis commentũ agere, vt ſub larva ſubmiſſionis, veſparum more, caudâ aculeum figeret. Ad ea Rex, pro, aut contra apertè nihil, niſi quod eiuſmodi placamenta iræ, non improficua filijs Radzieiovij videri potuêre, iniectâ egregijs iuvenibus ſpe Principis gratiæ.

Ragocy. Iiſdem Comitijs ius Indigenatus Regni Georgij Ragocij Principis Tranſilvaniæ Filio Ordinum conſenſu collatũ eſt; quod nè palam ambitum convinceret, collideretq; ſuſpicionibus apud Aulam Turcicam, ſcripto ad Archivum regni dato involvere placuit: & ita diplomate volumini legum eximendo. Vilhelmus præterea Donovaij ac Ioannes Dzibonius Italus, privilegio Nobilitatis Polonæ donati: prior per gradus militiæ ad Tribunatũ apud Lithuanos evectus; Dziboni⁹, excitatis per Kielcenſem ditionem fundendi ferri officinis, quia fuſilibus machinis alijſq; ferreis inſtrumentis ſub bellum Bereſtecenſe armamentarium iuverat, eam prærogativam à Republica accepit. Haud omiſerim arctis tunc Ærarij rebus, iam œconomica Nowodwor bona, apud Chriſtophorum Gembicium Caſtellanũ Gneznenſem oppignorata fuiſſe: iam exemplo antehac inaudito, ius Nobilitatis Polonæ vendibile proſtitiſſe, vt quod hactenus generis decus aut meritorum præmium erat, iam tum conſtituto precio mercari liceret. Ita æras noſtra (eheu) vidit equeſtre decus ſervili metallo æſtimatum; qui olim Maioribus ſanguinis virtutisqué impendio quæſitus, character. Vbi nobilis merces taxata nummis, pauci qui licitarentur reperti; ſubibatq; mox pudor, equeſtris dignitatis proſtitutæ. Cælum quin etiam in aperto Zodiaci ſui volumine, per oſtenta, futurorum præmittebat ſigna. Quo die Comitia Varſaviæ cœpta, Sol in occaſu, mitigato radiorum fulgore velut immobilis ſubſiſtens, videndum ſe ea ſpecie præbuit. Totam nitidiſsimi luminaris faciem diſcri-

Donoway. Dziboni

mina-

minabat Crux, ex qua dein effrmatum cor, mucrone gladij 1654.
tranſverſim actum: tenebat ſub dextro oculo manus pomum, quale inter inſignia regni ſpectari ſolet. Hoc poſt trihorium, in quatuor minutiora poma diuiſum, ac peripheriam solis tranſcendens, in Cometam ab Aquilone minacem qui ſcoparum ſpeciem præferret, transformabatur. Aſpexit hominum multitudo ſpectaculum; nemine qui vel mediocriter ſaperet dubitante, quin eiuſmodi ſigna, non raro, nec fruſtra ſe ſe in natura oſtendentia, ſæpius à cauſa aliqua diviniore proveniant. Neq; id oſtentum, in præſens metu, in poſterum effectu caruit.

Sub finem Comitiorum concuſſæ Lithuaniæ rumor percelluit cunctos, etiam Regem; vt profectionem iſthùc cõtra Senatus vota decerneret; ac vbi nihil vndecunq; ſolatij, nihil opis à quoquã appareret, animatus in extrema Princeps totum ſe ſuperis ac Fato committebat. Equitatus noſter hyberno per Vkraynam diſcurſu laſſatus, per extima Poleſsiæ Wołhyniæq; hærebat: pedes Zwanecenſi expeditione propè exinanitus, per longinquas Regni oras numeros legionum ſupplebat: ſi quid vſquam gravioris armaturæ in Caſtra ad Zborovum Landzkoronius contraxerat. Eas ſi in Lithuaniam copias duceret Rex, ſuberat metus, nè aliò verſis armis, nudatum Regni latus Coſaci incurrerent. Nec levis Regiæ menti angor, Lithuanicum Ducem, plus irarum in æmulos ac Cives, quam hoſtem fundere; Gaſievium præcipuè, quem non iam poſtponere cœperat, ſed planè ſpernere vir vaſti ſpiritus & quoſcunq; infra ſe Magiſtratus ponens. Triſtis ſanè tum Poloniæ imago, in convellendum florentis Regni ſtatum, externis interniſq; malis conſpirantibus. Etiam abeunte in Lithuaniã Caſimiro venerat Varſaviam, Internuntius à Sueco Rege, Kork vocabulo, ſuperba depoſitionis tituli Regni Suetici mandata ferens, quod ſi ſponte abdicare nollet, ſurrecturi mox belli minas iaciebat. Magnus Moſchoviæ Dux cum LXXX. Mill: ſuorum limites Lithuaniæ introgreſſus, hoſtem oſtẽ-

1654. debat, quibus præter Scythas Kalmucenſes XX. Mill: Coſacorum Duce Złotarenko acceſſêre. Nec inferiores numero primi ſucceſſus, Drohobuzium vi expugnatum ac excîſum; Nevelium, Sierpieyſko, Mohiłovia, & poſt alia celebrioris notæ oppida, Połocia ad Dzwinam flumen, inſigne fortalitium iram victoris ſenſit pertulitq;. Iverat tamen in occurſum Radivillus, artibus belli & meritis in Patriam alioquin præſignis, niſi nimium imputaſſet; aſt octo Mill: quæ tùm ei ad manum, immenſam Moſchorum potentiam laceſſere, extremæ audaciæ videbatur. quòd verò cohortes quæ penes Gaſievium erant in participium operis vocare nollet, neq; publicæ Expeditioni miſceri, propè temeritatem acceſsit. Ergo militari itinere ad Orſam emēſus, Mirſcium ac Ganckoffum legionum Tribunos, cum ter Mill: ſubtus hoſtem emittit, non aliter imperato regreſſu, niſi aut conſerta manu, aut cominus invaſis ſtationibus, vel oculis ſaltem valla ac tentoria hoſtium delibarent. Ingens virium fiducia Moſchos in ſecuritatem reſolverat, cum ecce Ganckoffus per viarum compendia circumductꝰ, in præcipuum agmen, quod Cæſaris cuſtodia dicebatur, cúm ſeptem cohortibus ingruit, Moſchis poſt diurnam compotationem altum indormientibus. Nunquam vilius conſtat victoria, quàm ſi in nudos, aut ſemiſomnes agendum ſit. Subita tunc aggreſſione per vulnera cædesq; excutitur hoſti ſopor, clamore ac tubarum ſono inter tenebras formidinem augentibus. Incendunt interim aliquot ſtraminis acervos Moſchi, ſigno ignis auxilium à ſuis qui propè erant poſcentes; etiam Lithuanis dum flamma per obſcurum noctis ſplendet vim continuantibus. Cæditur incognitus Arthemon Palatinus, ſimul ex promiſcuis vltra mille; capti XVI: Boiary, ac Ducale ſignum cum Vexillifero in manus venit. Inalbeſcebat proximo diluculo cœlum, cúm Lithuani ſat gloriæ ac cædi datum exiſtimantes, receptui cecinêre; ægrè retracto milite, qui ferocior vbi primùm ſanguine imbutus eſt; eos retro abeuntes recol-

Drohobuz. Newel. Sierpieyſko Mohiłow. Połock.

recollecti carpſêre Moſchi, adeo incurſu vehementi, vt prædam miles aquis mergere, & Ductores iugulandos captivos imperare neceſſum habuerint. Succeſſus is auctū animo Radivillum impulit, vt maiore fiducia exiguam ſuorum manum hoſti obijceret, aleam tentaturus. Diſtrictè vetabat Rex congreſſum, etiam Primas Regni mulcendo homini ſcribebat, vt ſe Regi, tum Collegæ ac publicæ gentis Expeditioni iungeret, diſcrimen haud præcipitādo; ſed ſpreta omnia apud ſui conſilij tenacem, & victoriam ſuomet marte præſumentem. Itaq; ad Scłovum titulo Comitatus oppidum nobile, hoſti in interiora Lithuaniæ viā præcluſurus, agmen ſuorum decem propè millibus conſtās rapit, ſciens iſthàc adverſos obviam venire, & perſuaſus ſolâ famâ ſi vires opponit abſterrendos. Etiam Moſchus in occurſum properavit, gnarus imparem viribus, & diſsidio militari agitatum, in extrema propelli. Trifariam copias diviſerant hoſtes quæ XL. Millium cenſebantur, quorum primum agmen magno animo aggreſsi Lithuani ſtitêre, veteranis cohortibus adverſúm leves turmas prævalentibus: Verum, poſtquam ab vtroq; latere circumvehi Moſchos animadverſum, ac includi tergum à multitudine conſtitit; evanuerat prior fiducia: ac, quod in perditis rebus ſolet, metum fuga ſecuta eſt. Confuſis Ordinibus nihil Dux omiſit hùc illùc volitans, in reſtituendam aciem; donec ſubmittere vela adverſitati neceſsitas perſuaſit. Supellex Caſtrenſis cum tormentis in prædam ceſsit, iactura inſignium militum nobilitata clade; in qua Radivillus grande vitæ periculum in traiectu fluminis ſubijt. Lætus ea victoria Moſchus, non diu hæſit, quin optato rerum ſucceſſu vteretur; ac dimiſſo in intima Lithuaniæ prædatorum agmine, in perſona Smolenſcum armis quatiendum ſuſcepit.

1654.

Skłow.

Smolenſcum, inter Lithuanici iuris terras, ac Moſchi ditiones ſitum, primæva ab origine proprios Duces agnovit, vt fermè omnis ille Septemtrionis tractus, in tetrarchias cōciſus

Smolenſk.

cisus extitit; quoad Moschus, etiam Lithuaniæ Duces suc-
1654. cessu temporis amplitudine cæteros prætervecti, sub vni-
versale dominium, minores eius gentis dynastas acceperint;
vel ipsis se vltro subijcientibus Vbi verò ex Vnione Polo-
na res Lithuanæ increvêre, etiam conterminorũ odia sen-
Crome- sim augebantur: Suentoslao Smolenscіorum Duce sub Co-
rus. ronationem Iagiellonis, vacuam viris Lithuaniam invade-
re auso. Verùm malè cesit turbido capiti vis immerita;
Vitoldo cum auxiliaribus Polonis ablata iure belli recupe-
rante, vbi priùs invasor vitam posuisset. Post Patrem, Fi-
lius Georgius oram Smolenscensem Fiduciæ iure collatam
tenuit, à Rege possedit q;: qui idem Patris perfidiam æmu-
latus (sub An: Ch: 1403) ac Feudo exutus, iustas feloniæ
pœnas dedit, in Hungaria exul finiens; Vitoldo iterum
territorium Smolenscense, in ius Lithanorũ asserente. Fa-
idem. mam & nomen, addidêre genti præclara armorum studia,
præcipuè Grunevaldensi cum Cruciferis prælio, quo auxi-
liaribus Roxolanis, in turpem fugam prolapsis, soli Smo-
lenscenses, contempto mortis periculo, commissæ aciei sta-
tionem viriliter tuebantur. Dehinc Ioannes Basiliades,
Bielski. Moschorum Dux, florentem ditionem, nec invalidam vrb
Glinski. bem ratus, proditione Michàèlis Glinscij Lithuani, (sud
An: Cu: 1506.) occupauit. At vt Regula iuris est, non præscri-
bi adversùs malæ fidei possessores; Sigismundus III. Smolen-
scum tanquam rem suam obsidione biennali pressum recu-
peravit. Receptum iugiter exagitavit Moschum, vt is sub co-
ronationem Vladislai IV. validissimo Exercitu rursùs ten-
taverit. Verùm non ex mente cesit, vsurpatori alieni vis
iniqua, à Vladislao non modó gloriosè liberato Smolensco,
sed omni oppugnatorum Exercitu, cum signis, machinis,
Castris, in manus victoris Regis veniente. Secutæ dehinc
mutuæ clades, vt inter conterminas gentes solet, quoad Mi-
Fedoro- chàèl Fedorovicius gentis Dux, cum magnanimo Rege cõ-
wicz. ditiones pacis, eo tantùm respectu impetrabiles constitu-
isset, nè sanguis Christianus funderetur. In quas tum, vt
extra-

extraneis & posteritati constet, vtriusqué gentis Legati ad
1654. Wiazmam convenêre, integra fide memorabo, quatenus
ad causam iniquè impetiti Smolenscі nunc interesse reor.:
Tenor hic.

Abolita bellorum, damnorum, iniuriarum mutuo illatarũ Piasecij
memoria, pax & amicitia, inter gentem Polonã Lithuanicãq;:
ac Moschos coletur. Rex Poloniæ Iure in Principatũ Mosco-
viæ, per liberam Electionem Procerum gentis sibi delato, se ab-
dicaret; Moschosq; à præstito subiectionis ac fidelitatis iuramen
to absolveret &c. Authographũ electionis suæ diploma, à Pro-
ceribus Moschis subscriptum, sigillisq; obsignatum, eidem Mi-
chàèli Fedorovicio Duci moderno, circa confirmationem istius
Pacis restitueret. Vicissim Dux Moschouiæ renunciaret Re-
gno Poloniæ Provinciam Czerniechovienscm, cum territorijs
oppidisq; Czerniechow, Siewior, Nowogrodek. &c. *Et*
Ducatui Lithuaniæ Provinciam Smolenscum, *cum Civitate*
Smolensco, Territorijsq; ac Arcibus Drohobusz, Biała, Ro-
sław, Starodub, Poczopow, Nowela &c. *Quodq; Dux Mo-*
schoviæ non vteretur titulo Ducis Smolenscensis, nec Czernie-
chovienscis. Ad consignandos Provinciarũ Smolenscij, ac Czer-
niechoviæ terminos, delegati vtrimq; missi cõvenient; isti quid-
quid ex longæuo vsu, testimonijs senum, ac monumentis antiquis,
de terminis constiterit, statuent, inviolatèq; servandum præcipi-
ent. In Livoniam, Æstoniam, Curlandiam, Dux Moschoviæ
nullum ius prætendet. &c. Viceversa Rex Poloniæ, Provincias
Moschi conterminas Pleßcoviam, Neogardiam, Ebocum non
vsurpabit, &c. Tum post prolixa quæ brevitati studens o-
mitto instrumenti capita, concludebatur perpetuæ pacis
transactio, in eum modum. *Vt conditiones istas Rex Poloniæ*
Varsaviæ præsente Legato Moschi; & Moschoviæ Dux Mo-
schuæ præsentibus Legatis Polonicis & Lithuanicis, solenni iu-
reiurando firmaret, earumq; exemplaria subscriptionibus ma-
nuum, & sigillis vtriusq; Principis munirentur, ad Principes
vicinos Christianos æq; Ethnicos, transmittenda. Talibus cõ-
ditionib» mitis Rex vim tunc à se deprecari pass»; ac quo
Christi-

1654. Christiano sanguini parceretur remisit arma; iustè in Moschos conversa; non solùm quod priores lacessijssent, verũ etiam Iure competentis dominij, sibi ab ea gente, libera Electione delati. Futilis nunc prætextus moderno Duci, ob interversos aut diminutos titulos, humani sanguinis profluvio cuncta inundare. Ast, summa apud Principes Status ratio est, quam enata occasio producit; abdicantur fœdera, rumpitur fides, dissolvuntur iuramenta; non fas aut æquum prævalet, vbi se exhibet proferendi imperij opportunitas. In privatis contractibus fidem require, publicas pactiones vtilitas resolvit; nam quæ olim societatis humanæ vincula, nunc fallendi artes habentur. Ius Regni commodè, commodi causa rescideris, in cæteris pietatem colas. Hic firmus Aularum aphorismus. Sed vt ad institutum redeam. Smolenscum Civitatem, inæquali flexu Boryssthenes ambit, à Septemtrione emin9 circũductis aquis; propiùs ab Ortu vrbi alveum suffundens. A meridie in arenosos colles quibus Pokrovij nomen plaga extenditur, quâ flumen decurrit paluſtribus inundata. Vrbs ea latè patenti dat iura Territorio, quod ad XL. Milliaria protensum, amne Berezyna terminatur. Tutantur tam Arcem quàm Vrbem, adulto opere mœnia in altum secto lapide substructa, eius latitudinis, vt per summitatem muri immania plaustra vel bina commeare queant, transcursu inoffenso. Propugnacula vetere structura hinc inde murum sustinent; addidit Vladislaus Rex fossam, cum eminente vallo; etiam nunc eæ operæ vetustate collapsæ, per præsidiarios exaggeratæ fuêre. Curam loci tuendi susceperat Philippus Obuchovicius, nuper probato Aulæ obsequio, Palatinus loci creatus. Præsidiũ arci introductũ bis Mill: Virûm, imperitante Wilhelmo Korfio Præfecto Orlensi. Sub hoc Nicola9 Tyzenhauzen, Ioannes Daka alijq; Ordinum Ductores: cùm vetus præsidium regeret, Petrus Swiaccius terrigena Nobilis. Vrbem tuebatur Nobilitas, ad Quater Mille; sub Provinciæ Proceribus, Succamerario (cognomen præclari viri

Berezyna Fl.

Obuchowicz.

Korff. Tyzenhaus. Daka. Swiatski

ri viri non reperio,) Hieronymo Ciechanovicio Iudice, Vnichovio Subiudice, Bakanovio Dapifero, Meszczerino, Limunto, Gielguto tum pluribus turmarum Præfectis. Ac primò, comperto Russos incolas in hostem intuitu cõmunium sacrorum propendere, qui ex istis suspecti exarmati sunt; Andrea Kwasninio cognomine Złoty, Græcorum rituum Archiepiscopo, dum præsens in Vrbe moratur, ab infami fluxæ fidei macula, populares dehortante. Ineunte Iunio, die D. Antonio Paravino sacra, vrbi arciq; Moschorum exercitus se circumfudit. Aderat Dux ipse Magnus patrator operis, Trubetio in prima armorum imperia vocato, tum Serebrny, Iakoffo, Chowanscio, Dołhorukio, &c. copiarum Præfectis: nec non metatoribus è Liguria Italis, aut Batavis, militaris architectonicæ vndequaq; peritis: etiam Gallis Griono, ac Speruillo; Suecis Erkeno, Bilsawoq; Legiones in Exercitu Moschorum ductantib9 Constricta mox vrbis operibus; circumvallationis linea instituta, eo modo & ordine, quo olim Vladislaus IV. obsidione eius vrbis Sehinum depulerat. Vbi clausæ Portæ, Palatinus nihil ambigens, quin quæ ante alijs Præfectis defensa, retineret & ipse; convocatos Ordinum Civiumq; Ductores, magnifica oratione, verborum haud inops, in toleranda extrema erexit; ea cunctorum alacritate, & non iam pro loco ac pignorib9 tantùm, sed pro constantiæ laude dimicandum foret. Primum fortunæ præludium, quo interturbarentur hostium operæ, instituta eruptio: Platerus indigena ducebat, ferè quadringentos, irrueratque in accessus operarum, militari vocabulo (aprohes) cæsis qui obstinatiùs restiterant Moschis; ast vbi insperato lætus eventu, proximum munimen diruendo, moram trahit; ab hostium multitudine circumvolutus, triginta sex amissis retruditur, reliquos librata à muris tormenta ægrè vindicavêre. Misilibus posthæc certatum tantùm, nihil quod sciam ausis obsessis: cùm architectus militaris seu veriùs libratorum præcipuus, desertis in vrbe pignoribus, ad hostem transfugit, ac autorandæ

1654. Ciechanowicz. Vnichowski. Bakanowski. Meszczerin Limunt Gielgut Kwasninski. Trubecki. Serebrny. Iakoff. Chowanski. Dołhoruki.

Platerus.

1654. perfidiæ retulit ea, quæ maximè obsidentes nescire expediebat. Eo indice cognitum Moschis, ad Michałovienſem Portam (vulgò Małohovita) murum canalium illuvie labefactatum, qui si ſuffoſionibus tentaretur, adverſùs pyrotechnicas artes debiliorem ſperari. Solitum genti in bellis, dies Divorum tutellarium ſacros, magnis moliminibus venerationis cauſâ devovere: quæ vota ſi ſucceſſu carent, vapulant Patroni, vt quibus extra curam res Clientûm forent. Itaq; in diem Divi Ioannis Præcurſoris indicitur Vrbis oppugnatio (VII. Iulij erat ſtylo veteri) Vrgente conſummationem cœpti operis Duce; cùm & Polonorum potentiam poſsibili maiorem rumores adventare differrent; ipſeq; Dux iacturam militis quàm temporis, nuper cum Radivillo congreſſu edoctus faciliùs toleraturus videretur. Ergo inſtituta vehementi è machinis verberatione, vbi cõvulſus aliquantum murus fuit, datur irruptioni ſignum, ſub ipſum pænè gallicinium. Provolant vndiq; armatorũ globi, omni à parte vrbi minantes, Michałovienſis Porta petitur maximè; quaſſati muri ruderib⁹ concavitatem foſſæ, non nihil hìc explanantibus. Sed ductus introrſùm agger prætendebatur hiatui, etiam procuratis ſubtus terrã ſuffoſionibus, ſi mœnia cuniculis, convellere intenderet hoſtis. Ita circa exteriora munimenta ardor ſubſiſtebat oppugnantium, etſi alicubi ad extimum foſſæ marginem illorum anteſignani, propè valla ſigna Moſchovitica iactarent. Nec obſeſsi defuêre ſibi, Corſio ſubmiſsis ſclopetarijs vim arcente, etiam ab vrbe prorumpente Nobilitatis globo, vt tria intra ſtadia hoſtis pelleretur. Qui tamen ferreum è ceſpite munimen, ex adverſo portæ inſederat, loco in ſummam retinendo inſiſtens; ignarus ſuffoſionib⁹ præoccupatum, ac cuius ſubterranea ignitis alimentis referta inſeſſoribus mox inferias dedêre. Siqũidem vbi diu de loco pro & contra certatum, ſubdidêre noſtri abdito pyrio ignem, qui mox, violenter, ſuperna mole propugnaculi rupta, immani fragore inſonuit adeo, vt concuſſæ teluris ſonus,

nus, ad aliquot milliaria, non obſtantib⁹ ſylvis paludibuſq; 1654.
pertingeret. Ad præviſum caſum ſecedentes noſtri, mox confuſum inſperato malo hoſtem invadebant, per fumi opacitatem, nec reſiſtere, nec refugere ſuſtinentem. Sequẽti luce miſſus tubicen venit, cæſorum cadavera per breves inducias, ad ſepulturam colligere poſcens; quod non negatum, duo Millia ſuperaſſe fama tulit. Eiuſmodi armorum præludium, altius perculiſſe Moſchũ apparebat; qualiter vltra belli fortunam tentaret reputantem, ſub prima experimenta animis ſuorum concidentibus. Proin tranſfuga libratore, cuius inſtinctu prima oppugnationis conſilia agitaverat, in furcam acto; aliò curas intendit, ratus quâ regia via non poſſet, obliquo tramite enitendum.

Per inſequentes dies, præter iactus tormentarios planè ab hoſtilitate ceſſatum, vnde Moſchis novas munitiones excitare, ac ſuggredi opera cominùs, promptum erat. Etiam Palatinus ſuetas ſub obſidia eruptiones inhibebat, commiſſam ſibi loci tuendi ſervandorumq; Civium curam dictitans, non excurſus in hoſtem, quibus præſidium minueretur: idq; ſub pœna interminatus, vt ſi quis iniuſſus extra mœnia prodiret, deſtinatis globorum ictibus peteretur. Conſumebatur interim annona nullo operæ prætio, carpebantq; potiores, ſub nomine inanis prudentiæ oſcitantiam Præfecti, qui armorum inſuetus, ſapere magis quàm agere inter pericula vellet. Vnde declinabat fervidiorum congreſſum, in templis aut conclavibus ſemotus agens, velut imperij autoritatem obtenderet. Sed contigit, vt à Nobilitate, cur tam mitis in hoſtes, crudelis in ſuos eſſet, quibus propediem obſidionis malis ſuccumbendum, cõpellaretur? reſpondit. *Diuturni temporis ſpatio, à Maioribꝰ recuperatum Smolenſcum, non vnius horæ momento, ob inconſultam præcipitantiam perdendum.* Ad ea aliquis Nobiliũ. *Imò* (inquit) *in fatis eſt, vt quàm vrbem Maiorum noſtrorum ſimplicitas Moſchis eripuit, eandem tu nimia ſapientia amittas.* Brevi poſt mittebatur non nemo colloquium inſtitui

petens: negatum ſemel atq; iterum, demùm aſſenſi primo-
1654. res eo prætento, vt per ambages verborum deſtineretur vis, etiam ruinis aggerum reficiendis opportuna mora. Ita ad primam illecebram non reiecta peccandi occaſio, peccare etiam nolentem facit. In commentarijs reperio, Succamerarium Smolenſcenſem, virum priſci moris & animi, obieciſſe annuentibus, an eo cum hoſte ius colloquij conceſſibile foret, qui contra omne fas & æquum rupto fœdere impijs armis exerceret Lithuaniam. Aſt hæſitabat iam nõnullorum conſtantia, pertædebatq; ſenſim diſcriminis; apertè Præfecto, etiam Clero huc inclinante; cum prior leges pacis à Rege arbitrio ſuo commiſſas aſſeveraret: Clero providendo ſacris quo à vi & caſu immunia ſervarentur. Inſtitũ dehinc ſuadere cunctis aliquomodo extremis occurrendum; Regem in longinqua digreſſum; Radivillum profligatum; Campiducem expediendis Fiſci rationibus detineri; & omnes dandi ſuccurſus ſpes evàneſcere: iam in vrbe imparem diutinæ obſidioni annonam, pulveris copiã per continuos machinarũ ictus exhauriri, hoſtem interim copijs & apparatu belli augeri, quo non oppugnare modò Smolenſcum, ſed involuere liceat. Etiam ſacris aliquid tribuiſſe videri volebat Palatinus, quorum magna ratio ſi paciſcendo tranſigitur. Si prævaluerit victor tollendas templorum opes, vaſa ac donaria altarium profanos in vſo vertenda: deniq; avitas ceremonias mutationi, ſi perdurat obſtinatio, obnoxias fore. Cæterum præſentes ſub obſidionem referentes audivi; crebris per noctem colloquijs noſtros Moſchis congreſſos; obſervatumq; à cuſtodibus, occulta portula intromiſſos in arcem baiulos, qui ſuccolarent prægrandes feras, (ſacci erant ex luporum pellibus) auri aut margaritarum vim occultantes. Opportunè ſub hæc Succamerarius Smolenſcenſis vitam finijt, fortioris consilij autor, & qui Nobilitatem blandis ſuaſionibus, ad ſequiora traduci haud ſiverit.

Penultima Septembris diſcuſsis in arcano conſignandæ vrbis

vrbis legibus, deditur Smolenſcum in manus Moſchi Du- 1654.
cis. Prægreſſus cum armatorum agmine Srebrny, portas ſtationarijs firmavit, dein forum milite complevit in cuſtodiam. Excepêre hoſtem Conſules, ſimul ingreſſo militi exhibuêre quæ curando corpori faciunt. Auxit triumphum quod D. Michaèlis die cognominis ſui, Magnus Dux munimen illud Aquilonis introijſſet. Intra quatriduum præſidiarij expanſis vexillis, ſolito ſcloporum geſtamine, ac ſcintillantibus concepto igne funiculis, ad pulſum tympani vrbe emiſsi ſunt; nõnullis fructuoſioris ſtipendij promiſſo, aut quia vrbicis neceſsitudinibus immixti, Moſchorum ſigna ſecutis. Iuxta portam ſegmentatum phrygio opere tabernaculum extendebatur; hàc dum deditorum cum ſuis Ductoribus agmen tranſit (inſidebat Magnus Dux eximij candoris equo) vexilla Polona (proch dedec!) ſubſternebant vexilliferi victoris pedibus, ad ima terræ provoluta. Etiam Korſius Præſidio Præfectus cum ſuis deforme in obſequium mutatis, præhenſa ſellæ equeſtris ſtapeda, ſubmiſsè de genu venerabatur. Valedicenti Palatino renũtiari Dux mandavit. *Abi ſodes, ac Regi tuo refer, non numeroſas modò quas vidiſti legiones, ſed & diſcrimina quæ expertus es.* Tum eo modicùm digreſſo, ad ſuos minaci vultu. *Quam nolim veſtrum aliquem iſtius exemplum imitari, qui ſimiliter faxit palo infigendus.*

Mox ſub novo Domino, nova vrbis ordinatio ſequitur; Antimus Palatinus Vir grandævus gubernatorem agit, impoſitis novem peditum Mill: qui præſidio eſſent; imperata circumſitæ oræ incolis neceſsitate alendi intra vrbem militis, cui ærarium Ducis ſtipendium penderet. Primores Nobilitatis obſidum ſpecie abducti, qui tamen poſtliminio reſtituti penatibus, agroſq; ſuos excolere permiſsi. Religioſæ D. Dominici, ac Obſervantium familiæ immotæ circa templa manſêre; reliquis ex clero excedere iuſsis, permiſſa nihilominus ſacram ſupellectilem evehendi facultate. Increbuerat rumor, repertos tunc in arce immenſi

1654. prætij thesauros, quos sub captam à Sigismundo Vrbem Præfectus loci defoderat. Propius verò fuit, Imaginem VIRGINIS MATRIS, Ectypo ac lineamentis Czestochovienſi noſtræ conſimilem, olim ex Moſchovia à milite Polono huc delatam, ac à Prædicatoribus Sacro Roſario addictam, iterum Magnum Ducem Moſcopolim revexiſſe. Cum etiam gens iſta, vt ferme Orthodoxæ generationes omnes, BEATAM dicant, ac eximio cultu Matrem Chriſti colant, niſi debitum hyperduliæ cultum, in aliquibus admiſta ſuperſtione profanent. Poſt deditum Smolenſcum, præter opinionem omnium Dux Moſchus ex Lithuania exceſſit, XL. ſuorum, XX. Coſacorum millibus relictis, qui munitiora loca admota vi quaterent reciperentq; . Abſceſſus ratio tunc credita, ex malè afflato àére peſtifera lue, (Dziergam illi appellant,) certo temporis recurſu mortalibus letifera. Etſi autores prodant, Moſchoviam nulla vexari peſtilentia, àéris beneficio; aut quod ſatius, frigoris acrimoniâ noxios per àérem vapores repurgante. Alij maturati abſceſſus cauſam adferebant, quod Caſpium ſeu Hircanum mare claſsibus Turcarum explorandæ navigationi tentaretur: ſeu vt Aſtrachani vrbem, titulo Regni & emporio nobilem inváderent; incitantibus Scythis, qui plaga illa qua Rha ſeu Wolga amnis mari illabitur, frequentes degunt, Moſchovitici imperij pertæſi, Aſiaticorum pars & fætura. Capto, ſeu vt moderna loquendi formula vtar conſignato.

Wolga Fl.

Quod mille Regum peperêre labores,
Quod tantis Polona manus contexuit armis.

Smolenſco, res Lithuanæ eo loci repoſitæ videbantur, vt peiore non poſſent. Properè quidem accurrens Rex Grodnæ ſubſiſtebat; ſed cui præter ſuetam Corporis ſub Præ-
Wolph. fecto Wolphio cuſtodiam, ac Reginæ pedeſtrem legionē, XVII. non niſi turmæ Equeſtres adeſſent. Augebat comi-
Sapieha Tyſzkiewicz. tatum Paulus Sapieha Witepſcenſis Palatinus, ac Tyſzkievicius Pocillator Lithuaniæ, ad bis mille ſubito delectu contra-

contracti militis deducentes. Recolligebat interim ſuos Radivillus ad Minſcum; Gaſiewius rationibus ærarij attendebat, vterq; mutuis querelis ac opprobrijs alterutrum differendo. Identidem exquirebat Rex à Senatoribus, qui præſentes affuêre, quomodo tandem obviandum rebus perditis; iamq; deſtinaverat Sapiehan ac Chlebovicium Samogitiæ Præfectum, vt expedito agmine Mohiloviam versùs progreſsi, intercluſo commeantibus Moſchis paſſu, licentiam prædas agentium cóèrcerent. Ad hæc Edicta, Nobilitatem evocantia dimiſſa; ſed fruſtra omnia, nullo cuiusq; accurſu, omnibus privatas neceſsitudines, dum Provincia bello ardet, ſepoſito publici ſtudio curantibus. Fato itaq; permiſſum, quod humana prudentia vitari non potuit; ac diu cum animo ſuo, ac improſpera ſorte luctatus Rex, tandem violenti Fortunæ ceſsit, ægrè Grodnâ præ- Grodno.
cipitante Novembre Varſaviam movens. Eo magis progreſſus armorum hoſtis vrgebat. Quippè inſeſſa vtraqué Boriſthenis ripa, facilè in Vkraynā immitti ſubſidia potuêre; recepto viciſsim ex Severienſi ora commeatu, quem ad Smolenſcum tanti exercitus attriviſſent. Witepſcum, Witepſk.
mox obſidione cinctum, ac quia poſt Smolenſcum experiri hoſtium vires præſumpſit, repudiata quam offerebat deditione, indigniſsimè tractatum. Melior ſors Scłoviæ & a- Skłow.
nimus maior fuit, hæc namq; nullis ſolicitationibus vt hoſtis præſidium acciperet, induci potuit. Vnde maiorem hoſtilitatis vim ſenſit, arcta obſidione conſtricta, & terna impreſsione vltra quàm Smolenſcum tentata. Sanè tunc Civitas ea, privati hæredium oſtendit, non pro numero fuiſſe robur Moſchis, ampliusq; in rebus bellicis viros, quàm homines poſſe: ad quinq; Mill: oppugnantium interiêre, cæſo inter primarios Złotarenko Coſacorum Tribuno, qui Złotarenko.
iam tum Moſcho auxiliaris, vitam & ferociam à Lithuana manu poſuit, efferaverant in tantùm primi ſucceſſus Moſchos, ſuapte natura truculentos & ſævos; vt in excidium Lithuaniæ fortunæ petulantia ſtimularentur: & poſtquam vario

Radziwił. Gaſiewſki. Lebowicz,

1654. vario crudelitatis genere provincias exercuerant, quandam velut pompam crudelitatis extendebant. Profanata Rom: ritus templa, occisi Sacerdotes, non sexꝰ, non ætas quemq; cædi exemit, & postquam fœdati sanguine penates, delubra arcesq; exitiabili igne absumebantur. Verùm vt effari liceat, reddebant quæ olim in Moschovia à Polonis perpessi, redhibendo talioni.

Gniewosz. Circa ea tempora Nicolaus Albertus Gnievosius gente Ravicius, Cuiavienſis Episcopus, vita defungitur; cùm diutius non sine spe progrediendi, ei Cathedræ præfuisset. Mediocriter is in literis versatus, probare magis quàm vestigare arcana scientiarum suetus; verùm innatæ solertiæ, dein experientiæ multum debuit, artes Polyticas altiùs penetrans, vt multis in Aula anteiret civili prudentia. Indoles illi prisci moris, natura in iram pronior, dictio pura, connexione rationum firmata; calamistri ac macaronicon dicendi genus omnino aberat; cuius vsus nunc vel nativũ idioma corrumpit. Domum accurratè rexit, nec congerendi æris cupidus, nec profundendi capax. Nobilium Parentum filij, præcipuam domus partem faciebant, qui varia in ministeria discreti, sed maximè vt per assistentiam Hero, Remp: primo in limine noscerent. Hinc Patres velut ad palæstram tradebant filios, non quemquam fortuna, sed ingenuitate discernenti. Vnde videre erat, nobilissimæ iuventutis globo Præsulem circumdari, quæ mox vsibus Ecclesiæ aut Patriæ aptaretur: vocabatqué catervam illam Seminarium Regni, aut Narybek Rzeczypospolitey. In id sumptus non parcè impensi victu amictuq; liberaliore suppeditato, æs alienum, vt fit, increverat. Liceat nunc salvâ cuiusq; veniâ, per potiores Procerũ domos oculos circumferre, quorum pinguior fortunæ ratio, prolixioribus ministerijs indiget. Familiam Magnatum complent adscriptitij ruris, cauponum proles, aut aliquis Theutisci generis Verna; isti arcana servant, familiam constituunt, ac intimis rationibus præponuntur. Nobilis interim numerosæ pro-

1654. sæ prolis Parens, felicem se Genitorem censet, si tam fœcũdus non fuisset: quippè re angusta domi, deest qui parvulis suis panem frangeret. Ita dum impendijs in studia caret, sumptu in militiam destituitur, hebescit interim otio Nobilium filiorum indoles, diffluitq; intra paterni agelli operas Corydon; si cultura ingenij adfuisset, futurus Patriæ Cincinnatus. Etiam lex de Abbatibus, vt nobiles pueros alant instituantq;, obliteratur. Desipiunt enimvero quibus non modo avarè leguntur opes, sed & anxia mente retinentur. Inhiant eheu congerendis! incubant congestis, immoriuntur relinquendis: cum vix quidquam inde Ecclesia; parùm ex debito pauperes; nihil pro dato acceptoq; Resp: obtineat; si quæ amicis obiter rapta, offendiculo magis quam solatio sunt. In proverbium interim abit, ab opulento Præsule, non posse alium, nisi aut Primũ, aut Felicianum scribi hæredem. Aſt ex hoc diverticulo in viam.

Posteaquàm faventior in res Cosacorum Moschus, vt inter eum Scythasq; immortale odium geritur, ad suspectã mox amicitiam, etiam societas Scythica, cum rebellibus sensim flaccescere cœpit: Chmielnicio, vbi requiritur constantior fides, primum adulante, mox ambiguo, vnde contemni se Hanus impatiens, acrius in vltionem ardescebat. Islan-Gierey quadriennio ante per Soliman Agam pro cõiunctione armorum solicitaverat Regem: iam quod pro illo tempore vana æstimatione virium suarum contempsimus, aut distulimus; maiori solicitudine nunc quærendũ erat. Anteacto bello nomen aliquod sibi pepererant Scythæ, in asserendis partibus fidi, sed prædæ insatiabiles; verum nunc acerrimi Moschorum hostes, Cosacis ex desertione inimici, & qui eodem stipendio auxiliari Reipublicæ censebantur, quod etiam infesti acciperent. Marius Iaſcolſcius Excubijs Castrensibus Præfectus, quia peritus moris, & artium, quibus studia gentis prolici solent, ad cõsocianda in Moschum arma missus est. Distinuit hunc in itinere

Iaſkolſki

1654. itinere mors Iſſanis, quoad Mechmet Gerey ſucceſſor in imperio Tauricano datus, vbi quas partes aſſereret diu & ſolicitè deliberaverat, tandem odio Moſchi, ac Coſacorum perfidiâ, ad amicitiam noſtram inclinavit. Deliniebat diu ChmielniciusSolita vafritie novum dominandi, ac alias curas infra munera ponentem; maximè per Murtazbeiũ ſuadere pergens: quominus Vkraynam armis Iſſano acquiſitã eo iure vſurparet, quo Circaſsij ac Quinq; Montani ipſi haberentur. Egregium fore imperij Scytharum fines extra Mœotidem protuliſſe, prout vltra Caſpium mare eſſent: quodſi id, gens minus terræ avara reſpuat, depenſurum ſe ex Vkrayna Tributum; vel deniqué effecturum quominus Moſchus in exolvendam Hano penſionem ſe obſtringat, qualem Polonus pendere ſolet. Hæc illicia tribuentis aliena. Aſt Hanus, vbi per ſubmiſſos cognoſcit Vkraynam omnem non magis armis Moſchi, quam ſpontanea ſubiectione in Dominium reale vſurpari; delegato ad Chmielnicium Caiabeio ſeveriùs perquiſivit, eccur ille ſocietatem ſuam hactenus Coſacis ſalutarem turpi perfidia reſcindens, perpetuo hoſti ſuo fœderaretur? Si reſipiſcit, renovandũ ſibi iuſiurandum, ac traditione Moſchi Boiarorum, reſtabiliendam, quam ſubleſta fide violaſſet amicitiam. Fortè in Tauricam venerat Iaſcolſcius, cum Mechmet Gerey primatum eius imperij gubernacula Bacciſaraij capeſſeret: Iſſanis, vt ſupra innui frater erat, inſtituto veteri, vt non filius poſt Patrem, ſed Frater natu maior prærogativâ naſcendi imperium ſortiretur. Vbi publicum exponendæ legationi datum, præcisè ea vrſit Iaſcolſcius. Iſſanem nuper mortuum, arma vt in Moſchum verterentur, à Rege ſuo poſtulaſſe; nè id nunc Remp: abnuere. Quod ſi placet, fides eiuſmodi ſocietatis, Sacramento firmaretur: Polonicis Scytharum copiæ iungerentur: Colligati Tranſilvanꝰ ac Moldavus fœderibus comprehenderentur: captivi inſuper ſolverentur. Hano vt animus non negare iſta, ita nec ſtatim concedere vacuum fuit; donec Caiabeius ad Coſacos miſſus

Czerkieſſowie. Piaryhorcy.

Karabey

Machmet Gerey. Hano

ſus ſuprema reſpõſa tuliſſet. Scilicet, nihil ad rem Chmielniciũ, & poſtquam fœdus cum Moſcho occuli non poſſet, amicitiam commendare. Itaq; ſepoſita tergiverſatione, Hanus, explorandis ſuorum animis concilium primorum (Muſſavara) indicit, ac ſenſum pro amicitia Polona perquirit. Quippè non defuerant fautores partis, qui dicerent palam; *Coſacis patrocinando, incredili præda repletam Tauricam, ex opulento hoſte partam; qui ſi contra egenos armas vertunt, nullum operæ pretium relaturos. Pugnaſſe plebem pro libertate, quidquid bello partum Scythis ceſſiſſe: nequaquam talem ex Polonis promptitudinem ſperandam, qui ſericis veſtibus, præcinctis pellibꝰ, picturatis molli excorio calceis exculti, nequaquam ſuperba gens, vt pro alienis commodis pugnet, induci poterit.* Demum Hanus, pactionibus Iuramento ac ſubſcriptione firmatis, honorifice legatum dimiſſurus, hiſce affatur. *Frater meus Iſlan Gierey ſexennio vobiſcum belligerans, pœnitere tandem hoſtilitatis oſtendit, reſumpto ſub noviſſima vitæ amicitiæ fœdere. Ego non beneficio non iniuria vobis cognitus, partibus accedam; prius arma ſociaturus quam animos exploraverim. Bellum in Moſchum vtriſq; hoſtem & ambobus iniuriũ docebit, vtrũ bona fide & ſincero affectu coaluerimus? in reliquo Deus felicem eventum provideat.* Sic confectis fœderis tabulis, decernitur exnunc XXX. Mill: auxiliare agmen, quod ingreſſum Polonorum in Vkraynam operiretur. Ac quo exhibitio operis probaret affectum, aſſerti in libertatem captivi, Sapiehæ duo Ioannes ac Thomas, Kaſſovius Vendenſis Caſtellanus, Chlebovius, Suſovius, ac præter hos ferme ducenti: Obſides Landzkoronius, ac Oleſnicius retenti, donec prius in bellum accinctis gentibus, conſtaret recentis amicitiæ fructus. Romaſzkievicius impetrari nequijt, vt qui Generalis Filium Potocium, in locum Patris donec Lytrum exolvitur vadem ſubſtitutũ, clandeſtinè ex Taurica ſubduxerat, ac ibidem non vt captivus, ſed vt damnatus haberetur.

1654.

Sapieha Kaſſowſki. Suſowſki. Chlebowſki. Romaſzkiewicz.

Quæ vbi Ducibus nuntiata, haud morâ, Barium versùs

Bar.

1654. (27. Octobris) Exercitus proceſsit, quanquam moleſtiſſimo inter fuſos imbres, ac denſa gelva itinere; ac adeo curribꝰ machinisq; impedito, vt quo hodie pervaderent legiones, eo vix intra quatriduum carraginis reliquiæ ſequerentur. Equitatus XX. Millia ſuperabat; VIII. Mill: peditatus cenſebatur; cui ſupplendo nimiſquam tarde novi delectus accurrebant. Equeſtrium legionum hic ordo fuit. Prima Regis ducente Czarniecio Caſtrorum Metatore; Potocij Generalis Prætoria; Landzkoronij Campiducis; Tyſzkievicij Czerniechovienſis; Potocij Bracſavienſis Palatinorum; Cetneri Halicienſis Caſtellani; Koniecpolij Vexilliferi Regni; Sobieſcij Iavorovienſis Præfecti; Demetrij Wiſniovecij; Potocij Winnicenſis Præfecti; Baſſabani, Szombergij, tum Excubiarum geminæ: etiam Fridericus Wilhelmus Boruſsiæ Dux, qui ſub nomine Electoris Brandeburgici audit, miſerat ex nexu Feudi Mill: CC. ſclopigeros, ſub Hieronymo Kalſzteyno, Tribuno, ſeu vt ipſi vocant Colonello. Is Exercitus à Tarnopoli confecto vltra ſeptuaginta Milliarium itinere, tandem apud Szarogrodũ quod Vkraynæ veſtibulum eſt, in vnum contrahitur; vbi ad futuras Scythos fama tulit. Hìc ex circumſitis oppidis exacti commeatus, diſtributa ægris hoſpitia, etiam peditibus ſtationes, præſidij in modum. Mox Morachwa & Kraſne anteactorũ memores vltro ſe dedunt; etiam Czernieiowce, dum oppidana plebs deditione antevertit exitium. Buſſa portas prima claudere auſa; ea haud procul Tyra amne ſita, conſimilem loci & naturam & poſitionem obtinet, qualem Camenecum, vnde nepotem ſe eius dici in eam diem ambitiosè tuliit. Duo oppida in edita rupe habuit, tertiam arcem cui Przygrodek nomen. Exciſa anteactis amnis Mohiłoviâ, delectum hic accolis Tyræ reclinatorium, vbi pignora, facultates, ſpolia, deponerent. Præſidium ad ſex Mille ex prædonibus montanis, Levenſij dictis habebatur, præter duodecim millia municipum, tum ingenti numero proximæ Valachiæ eiectamenta. Legio

Szarogrod. Morachwa. Kraſne. Czernieiowce.

Buſſa.

Regia

Regia dum pomæria ſubit, ictibus primò, mox inſtituta eruptione accipitur, ſauciatis compluribus; etiam Ianicio loricatæ Myſzkovij cohortis Optione cæſo. Inſultabant repreſsis Coſaci, vbiq; per templa campanis inſonantibus, cum Czarniecius accurſu cohortium auctus, quia ad inferam portam acceſſus planior erat, iterato hùc vim vertit, non inſtrenuè porta potitus; etiam oppido; quod ſuccensũ interea neſcitur à quo fuit. Vnde facilè depulſi loco noſtri à tergo flamma, à fronte vrgentibus Levenſis confuſi; Czarniecio dum irruentes ſuſtinet globo in pede vulnerato; itidem Wilczkovio haſtatorum optione ſagitta in capite læſo; Gembartus Deſultorijs Præfectus haſtili transfixus occubuit & vltra XXX. Commilitonum, Speravêre, Duces obſeſſos, poſt prima experimenta ſubmiſſuros imprenſandam clementiam animos; verum iſtis multum à loco fiduciæ inerat, plus temeritatis; vnde tubicinem deditionem ingerentem ictibus exploſerant. Proin dum mora nil proficimus, ferociam adornata impreſsione ſubigere viſum. Ad datum ſignũ, hinc inde prorupere noſtri, pleriſq; locis in ſummitatem valli eniſi, ſed mox deiecti, aut crebris fiſtularum ictibus ſternebantur. Iam Campidux in participiũ operis equeſtrem militam impulerat, & præter peditem, lixæ vndiq; in rupem enitebantur: cum Czarniecio, cui tũ ſaucio licet excubiæ obtigerant, forte diſpecto quà ſtagnum alluit, raro defenſore eam partem oppidi cuſtodiri, raptas cohortes ſubitò traducit, aquis ob interſciſsũ aggerem humilioribus. Deſilit miles equis, & ſepimentum invadit, è cuius ſummitate penſiles reſtibus arbores, in ſubeuntes provolvebantur. Balentus interim Coricij ſignifer audax iuvenis, in eminentius propugnaculum irrepens, Vexillum D. Michàélis effigie inſignitum volutabat, fervorem Exercitꝰ provocando: cum eo à Coſacis deturbato gregariorum aliquis admoto igne propugnaculum incẽdit. Tum demum fusâ flammâ geminante diſcrimen, hoſtes temeritas deſtituit: ſed ita, vt proprijs ædibus ſubderent faces,

1654.

Ianicki.

Lewenſy. Wilczkowſki. Gembar.

Balent. Korycki

faces, ac ſemet vicíſsim deprecati, adverſis telis, aut mutuis ictibus caderent. Eadem mulierum ferocia, igni, aut puteis ſe prolemq; inijciebãt: haud illaudata militum ſermonibus Centurionis Zawiſtny vxore, quæ caſo marito, ſuccenſi pulveris vaſi inſedit, victoris ludibra prævertendo. Reliqua more & neceſsitate victoriæ tranſacta. Arſit per noctem cum ſeptem delubris populoſum municipium; XVI. hominũ millia ferro iſthic perijſſe vero ſimile; paucis per tenebras effugium fuit,, attendentibus cuſtodijs, & nocte ad fulgorem ignium ſubluſtri. E Polonis vltra CC. perière; præter Gembartum, Bydłovius Equeſtris Centurio, ac Morawiec egregius peditum Præfectus. E regione oppidi, caverna in abdito rupis extabat, mira naturæ arte, orificium ſpecus operientibus ſentibus virgultisq;. Septuaginta amplius homines ſub noctem, prævíſo ante receptu huc ſe contulerant, quibus ſumma ſalutis ratio ignorari: aſt prodidère fœminarum veſtigia, ac lintea inter fugam trepidantibus elapſa. Lixæ primum ſubodorati; dein mãdatum Tribuno Peditum Celario, vt in deditionem cogeret. Aſt non oblata miſericordia, non ſervandæ vitæ ſponſiones emollivere in mortem obſtinatos, ictus pro verbis reponentes. In hos citra ſanguinem agere viſum. Profiliebat ſupernè exilis torrens, cuius aquas ſuppoſitis canalibus interceptas, intra cavernam derivando Cellarius, inundavit ſpecum; ita domiti contumaces, qui tamen lenta illuvie obrui mallebant, quàm neceſſaria deditione præſentiſsimæ morti eripi. Hoc Buſſæ excidium.

1654. Budłowſki. Morawiec. Celary.

Inde prævolans fama Vkraynam latè compleverat: tentataq; Edictis plebs, nè ſe pignoraq; ſimili Buſſenſibus pervicacia perderet, quàm ad vetus dominium redeundo obſequio ſervare mallet. Verum obdurata corda, vbi nullam ſalutis mentionem admittunt, placuit omne intra Hyppanim latifundium, ad obſequium vi cogere. Primum experimentum Tymonowka pertulit, cui ſe commiſerat Macherzynius, eo tractu rebellionis caput, etſi non diu armati agminis conſpectum ferens deſerto loco profugiſſet. Quò deinceps verterentur arma in concilio militari agitatum: iubente Rege vt quantociùs Kijovia, ſaltem Boryſthenis ripa peteretur: diverſa præſentium ratione, cum intra Tyræ Hyppaniq; adſita, operiri Scythas ſuaderet ratio, quorũ coniunctione, tum demum ad hoſtium cubile penetrandũ eſſet. In eum vſum Bracłavia ſedes belli deſtinata, vnde tanquam Provinciæ capite, circumſita retineri, & quæ deditionem recuſarent oppida, facilius ſubigi poſſent. Sed poſſeſsionem adipiſci non niſi eiecto hoſte licebat; tuentibus locum Bohuno, Zelenecio, ac Puſzkarenko Tribunis, cum XII. Millibus Coſacorum, in prælia pariter, & operas expeditis. Itaq; circumpoſitis legionibus, præmittitur Metator Regni, cum Andrea Potocio, vt per denſa nemorum ſuggreſsi, quid animi aut virium hoſti, ſpecularentur. Satagebat namq; Chmielnicio, inconcuſſam præſtare Bracłaviam; quâ velut obice interiora Vkraynæ tutaretur. Nunciatum erat ab exploratoribus, non excubias, per cãpum, non propugnatores per valla conſpici, imò portas vrbis velut alta pace patere: aſt Czarniecius haud vanè cõijciens dolum ſubeſſe Bohuni, otium quaſi vero fingentis, ordinatum agmen ducens proximam vrbi planiciem tenebat, cum repente compleri excubitoribus valla, ac explodi machinæ cœpere; omniaq; agi tanquam ad improviſum diſcrimen. Proin nè in inſtructas quas adverterat inſidias, ſuos præcipitaret, dedit receptui ſignum ſub veſperam movens, abierantq; cohortes mox redituræ, cum & Czarniecius nullo edito ſpecimine abire, & Bohunus aliquâ ſe iacturâ affici nollet pro ingenio quisq; ſuo faciendo. Octies ſuggreſſæ vrbem legiones nihil proficiebant, cum interim invaleſcit rumor, fixum manere Ducibus admoto Exercitu ſubigere Bracłaviam, quæ contumax deditionem importunè moraretur. Formidoloſum id Bohuno, præter commune rebellionis crimen, ſervili nuper commento Generali illudente: vndè conſpectis cohortibus copias & ipſe

1654. Bracław. Bohuni. Zelenecki. Puſzkarenko.

1654. ipſe opponit, ac velut certamen initurus propè ripam locat. Nulla ex Polonis mora, prælium Koſſakovio, Borovio, Pruſzkovio, ac Goluchovio, cohortium Optionibus adornare iuſsis; ipſe etiam Czarniecius obliquo ad Hyppanim flexu, ſuorum agmen in adverſos ducit. Certatum vtrinq; acerrimo congreſſu, quoad Kalinio cum tribus cohortibus à latere ingruente, quia recentis auxilij ſpeciem oſtenderat, in receſſum hoſtis compelleretur. Interempto Nakazny Chmielnicij Legatus, Iuſzczyc, Blizny Tribuni; Zelenecius & Macherinvs graviter ſauciati, ac ad bis mille ex Coſacis occubuêre. Ex noſtris Balenthus, qui in obſidione Buſlæ pugnacis animi experimentum dederat, dum ſub æſtum prælij aliquem ex hoſtibus capiendum corripit, medios inter hoſtes obtruncatus cadit. Demum ex perfuga Bulgaro noſcitur Coſacos deſerta Bracławia fugam moliri. Nec falſa rellatio erat; ſiquidem ad diem XIX. Decembris exuſta maiori parte vrbe, partis pyrio pulvere deiectis, valli foſſa exagerata, merſis amne machinis, etiam ponte in hyppani ſub abitum deſtructo, alijsq; patratis, quæ non redituroruм ſpem facerent, abire. Deliberavêre Duces, an reiectis munitionibus præſidio firmarent locum, vbi morbidi, etiam ſarcinæ deponerentur; verum tranſmiſſa ea curâ, quod ſemiruta vrbs prolixiore tempore & opeta indigeret reſtauranda; tum nè robur exercitus in præſidia partitum minueretur. Pænituit poſthac non feciſſe, agnito errore, poſtquam corrigi non poterat.

Koſſakowſki. Borowſki. Pruſzkowſki. Goluchowſki Kalinſki Cholopiewſki.

Hos inter armorum progreſſus, vbi diſcrimina vrgent, Chmielnicius Moſchos in reprimenda vocabat: quorum Duces Szeremetus, ac Buturlinus Palatini, apud Kijoviam rem armamentariam è Moſchua ſubmiſſam, tunc recenſebant. Delitescebat ipſe Czehryniæ, non Duces ementito obſequio, non Regem flagitatorijs miſericordiam literis mulcens, & quæ ſolitæ ipſi rebus deſperatis artes; ſed ſub tractus per ſpeciem valetudinis, famam ſpargi faceret, obijſſe; multos falſo gaudio qui talia vellent implendo. Simili

Buturlin Szeremeth.

mili commento ſpargendæ mortis ſuæ vti ſolitus, quando in nos accingitur, alicui facinori, vel notabili fraudi obtegendos. Conſtruxerat nuper divis gratificaturus, ligneum maiori mole delubrum Czechryniæ; hìc inceſſerat cupido Złotarenko, quem ad Scłoviam in Lithuania cæſum retuli, iuſta funeris perſolvere. Ad indictum ſepulturæ tempus, aderant è Clero, Moſchis, & Coſacis potiores, frequētando actui. Cùm interim cadaver, attollere ſe ſe, & provolvere, ingemiſcere, & terrere; ſeu permiſſu divino, ſeu malo ſpiritu in fantaſma ſe dante. Multis talia non credita, aut ſpreta. Funeris die, ordientib⁹ Druidis pijaculare ſacrum, ecce mortuus attollere man⁹ cœpit, ex quibus exertis ſanguinis copia affatim profluеret. Corripuerat ad hæc cunctos trepidatio, cum illo ſublata voce, *Fugite*, ter inclamante; omnes ſe ſe è delubro proriperent tanta feſtinatione, vt ſacrorum cauſâ accenſi ignes, malè per tumultum cuſtoditi, ligneum delubrum incenderent, abſumerentq;. Abſumptæ ſimul infelices exuviæ, præter multorum ab igne & coarctato exitu interitum; etiam Chmielnici⁹ lymphato per terrorem animo, cauſam aut obtentum ægritudinis habuiſſe creditur. Mira ſanè narro, & quæ vix fidē inventura credam, niſi tunc fama publica, & conſenſus narrantium pro vero tradidiſſent; etiam ſexennio poſt, Daniel Wyhovius Varſaviæ præſens, non aliter ſe rem habuiſſe oculatus teſtis comprobaſſet. 1654.

Supervenerat interim à Kodemo Menli Gerey Soltanus, extincti nuper Iſſanis Filius, vt obliteratâ hoſtilitatis paternæ memoriâ, per mutui auxilij exhibitionem, initum fœdus auſpicaretur. Conſtabat XVIII. Mill: Equitatus, ſelectum è Crimo robur: ipſe ſexdecennis ephebus, conſpicuâ vltra quam in Barbaris formâ, vultu geſtuq; ex præceptorum inſtituto gravis, & vt ſilere doctus, ita alieni ſermonis cum dignitate auſcultator. Aſsiſtebant moderatores ad latus iuveni, Achmet, & Axa Murzæ; manente penes Chamambetum militari regimine. Obodowcæ extempo-

Menli Gerey Soltan. Obodowka.

1654. ranea quiete refectum adiere Duces, advenam officio vbi in solo regio hospitatur prævertendo. Data acceptaque salute, nihil omissum in verbis, ad testificandam grati adventus lætitiam. Nec vltra sermonibus prolapsi, quia regulam bello ab auxiliari petere infra dignitatem videbatur, & bello innutritis à Tyrone inglorium. Itaq; post hospitalia dona ac præbitas dapes, discessere nostri; Chamãbeto proclammare iubente: *Ne Scytha mancipia captivosq; durante bello conquirerent; neu sociorum equos resq; perditas aut surreptas occulerent; vel hostibus Cosacis miscerentur; qui secus faxit, capitale esto.* Mox, nè iunctorum exercituum arma otio senescerent, Scytha in discursum promptus, cõmeatus passusq; intercipere suscepit; Poloni vbi municipia clausa, vi pertinaciam frangere destinabant. Paucis tamen oppidis persuasũ vt clementiam experirentur; multis salutaria monita contemptui; & mox imminebat exitium.

Zynkowka. Balanowka. Lisianka. Kotarsyn. Demkowka.

Zynkowka, Balanowka, Łysianka, Kotarsynum expugnata, ac igne deleta sunt. Demkowkam Demetrius Wisniovecius, quia impersuasibilis ad dedendum Naturali domino fuit, obsidione cinxit; & quopiam locus munitus vi maiore indigebat subigendus, submisso peditatu ac tormentis, prima armorum experimenta pertulit, donec tandem succumberet. quippè iacti è pyrobolis globi, stramenta tectorum protinùs incenderant, ita ad primam impressionem oppidum captum est. Deinde arx refugientis multitudinis haud capax, dum primos recipit, novissimos iræ militis obiecit. Imminente cunctis exitio, serò sapientes tandem sine conditione, victoris arbitrio se permisêre. Seditionis capita Zarudny, Iakobenko, Iurkiewicz palo infixi sine mora: Korsuniec, ac Kowalenko ad Generalem cum X. alijs Centurionibus remissi sunt. Nec reliquis pepercit miles, 400 cæde è suis irritatus; qui in arcem violenter ingruens, promiscuè sternebat dedititios & inermes. Id quidem contra fas disciplinæ; sed quis in tumultu cohibet affectum vltionis: multis tum casum cælorum, proverbio excusan-

excusantibus; mortuos non mordere canes. Ea est rerũ 1655.
vicissitudo, vt quæ pax gignat, bellum absumat; ea victoriæ natura, vt in vnam partem generatione, in aliam corruptione agat.

Tamdiu intra Hyppanim arma consonavêre, minoribus subactis fortalitijs, donec post Demkowkam Humanium successum moraretur. Id Kalinoviæ domûs hæreditas, in confinio Vkraynæ habetur, æquè situ loci, ac incolarum ingenio prædurum; cùm municipes contigua Scytharum vicinitas iugiter in Martem exerceat. Vrbs situ valida, præcipuè valla eximiæ altitudinis, quæ de nocte affusa aqua glaciè incrustata, vitri in speciem ad fulgorem Solis nituêre. E regione Vrbis constitêre Castra, magis vim ostentãdo, quàm vt circumvallatione aut eggestis operibus, stringere obsessos liceret. Imperatæ tamen velitationes, etiam peditũ excursus instituti, sicubi compareret hostis: Grodzicio interim cui rei tormentariæ cura, missiles ignes intra oppidum iaciente. Hinc metus obsessis, nè qui nimiũ glacie concreto vallo fiderent, ab igne perderentur: à quo è pyrobolis iacto, subiecta braxatoria conflagraverãt; hinc reliquis ædificijs enixè attendebant incolæ, deiectis alicubi ædium tectis, seu lineis, & quæ alia madorem aquæ recipiunt, contegendo. Aderat sub hæc velox equo Scytha, qui ingentes hostium exercitus liberando Humanio venire nunciavit. Perstabant quidem Moschorum præcipui, vt permissis Fato Humanij obsessis, veteribꝰ nec immunitis Castris ad Białacerkiew se se continerent; pervicit Chmielcius (iterato iuramento fidem cum Tribunis obstringens,) eundum in adversos, & iugi labore ac frigore lassatam militiam, etiamsi ferrea esset, non arduo negotio edomandã; ac quo verbis maior inesset fides, Georgium filium obsidẽ tradidit, quem nuper Regi educandum mittere abnuerat. Accedebat consuasor Bohunus; is exprobranti Moscho, *Cur, si Polonis fama inferiores copiæ essent, Bractaviam ipse deseruisset? non insulsè respondérat.* Alliciendis avibus subici

1655. bijci eſcam oportere, quâ provocatæ non difficulter tendiculis capiantur.

Vbi receſſum ab Humanio, Scythæ iterum feſtinanter attulêre, conſpectum haud procul Coſacorum agmen, ac poſt ſubitarium conflictum, intra Ochmatoviam compulſum. Commonetur proin tuba clangente imminentis prælij miles, ac vetito pabulantiũ excurſu, Campidux cum Metatore Czarniecio prævêre; comperto Puſzkarencum Excubijs Coſacorum Præfectum, oppido incluſum teneri. Cenſebant Duces levem aliquam exploratorum manum; hinc velociſsimè allapſi, Metator confeſtim aggrediendos volebat; Landzkoronius peditem & tormenta adfore dixit, neq; promptum ſibi in diſpenſa nobilis ſanguinis animum, qui trina aut amplius tormenti exploſione, ſubigere incluſos non deſperaret. Eâ morâ effluxit dies, donec adveniret peditum legio, ſimulq; duo tormenta, à libratore in oppidum excuſſa, magis adventantes Moſchos commonuêre periculi, quàm nocuêre Puſzkarenko. Fortè tunc Chmielnicius, ac Buturlinus, de manè ientati, trahis vehebantur; cùm ad excuſſæ machinæ fragorem, ſiſtere curſũ ambo, mox quod res erat ſubodorati, in repentino caſu propè ſequentes turmas in auxilium vocabant. Verùm

Roſzczyc. antequam hæ venirent, imminebat tergo Roſzcyc impiger exploratorum Ductor, in refugos incidens niſi auxiliorum accurſu, eripuiſſet Fatum prædam è manibus, Regi, & Patriæ non ingratam. Ordiata proin acies in occurſum ivit; ſequebatur in grandiora agmina diviſum Equitatum pedes; vbi hic adornaſſet, mox & iſte prælium capeſſiturus: tergum firmabat Carrago multiplici curruum ſerie conſtans; vnum porrò neceſſarium erat, vt novo miraculo retrogradus Sol præcipitem diem ſiſteret, tam nobile certamen illuſtraturum: dum vna à parte Aquilæ Polonæ, & nuper haud amica Tauricæ potentia: illinc bello durata Coſacorum multitudo, ac infeſtum Septemtrionis robur; nos de dominio Vkraynæ, iſti de poſſeſsione contendunt. Sub

ipſum

ipſum crepuſculum, (tertiò Idus Ianuarij) cœpit equeſtri concurſu prælium, anteſignanorum globis hoſtem tamdiu ſuſtinentibus, donec Duces conſilia & aciem expedirent. Tum demùm imperata ad datum ſignum impreſsio eſt. Obequitabant vterq; Ducum aciem; vterq; animo oculisq; in pugnam ardentes, incitando militi verba dabant, Landzkoronius vel maximè, cui præter inſitam promptitudinẽ, popularis facundia inerat. *Nox eſt* (inquiebat) *Commilitones, ſed quæ ſatius imbelliam perfidioſi hoſtis abſcondere; nequaquam fortia facta veſtra obliterari patietur: quippè vera virtus occulti neſcit; ignobiles actus etiam illuſtri ſole, vmbram & latebras quarunt. Sedneq; damnemus Cimmerias tenebras, vt eas hoſti mox deleto, perpetuas faciamus. Tot itinera emenſi, vicimus cæli inclementiam, frigora, tempeſtates; domuimus nõ humanis legibus moriger am rebellionem; eluctati ſumus flumina, montes, nemora; iam vero poſt immitia elementa, & rerũ naturam ſuperatam, arduumnè erit, notum perfidiâ & ignaviâ hoſtem, aperto campo, integris viribus & cauſæ iuſtitiâ fretis aggredi. Mehercule, tam Moſchi fœderum ruptores, quàm latebris ſuis extractus rebellis, ægrè vibrati ferri conſpectum tolerarent, niſi nox eſſet: qui vtriq; iuncti non minus amplior victoriæ materies quàm prædæ augmentum, vincendos ſe ingerunt. Enimverò quid facto opus, animus cuiq; ſuus, & experta tot prælijs ſuggeret dextera. Audete modò animosè in prædones per noctem graſſari, vt clariorem victoriam lux reditura aperiat. Longius admonitos velle, nec Polonam ſtrenuitatem, nec hoſtiũ temeritatem pati: adiecto eo non niſi; Pergite ſi Virieſtis, maiorum gloriam, tranquillitatẽ Patriæ, poſteritatis curam, præſenti certamine ampliaturi.* Reliqua exemplo conficiebat. Niſi quod ad Tribunos Peditum accurrens, etiam hos alloquebatur. *Mactè animis viri fortiſſimi, non inſtrenuè cæptum ab Equite prælium, vobis conſummandum relinquitur. Inuadite magno animo fluctuantem ſuo pavore aciem, & datis non in caſſum ictibus, periturorum funeri præludite.* Ea animorum incitatione factum, vt velut ad rapiendam victoriam pro-

perarent omnes. Oritur ſi vnquam atrox & per tenebras
1655. funeſtiùs prælium, vbi telis obnoxios nulla declinandis ictibus eripit providentia. Octoginta Millia peditum conficiebant Moſchi Coſacis iuncti; XX. Millia Scythæ Calmucenſes ſuperabant, penes quos præcipuum Equitatûs robur LXX. adhæc Machinæ XV. noſtris, ſi quæ ſupererant Ladyzyni cum ſarcinis relictæ. Ad congreſſum acierum memorabile fuit, adeo affatim & ad regulam eiaculatos Moſchos, vt ſubditi ſulphuratis ſclopetorum ignes, non ordines modo militares vt ſubſiſtebant, ſed perſonas iaculatorum ad fulgorem ignis per tenebras monſtraret. Subeuntem peditem noſtrum iuſſerant Tribuni, quominus procumbendo in terram, vitaret quæ temerè ac nullo certo ſcopo mitterentur hoſtium tela. Poſtquàm verò perrupta prima acies, ac fuſus Equitatus; Superior Polonus adverſos illatis ſignis premebat; etiam pedites denſam in eoſdem procellam globorum emittebant, eo magis vacillantes ac confuſos, quod velut cum recenti agmine iam ſemivicti luctarentur. Tranſactum de Moſchis erat, inevitabili vbi ferrum iugulo imminet exitio; obſtitit benignius genti aſtrum; & abſtruſa tunc Fati ratio præſentiſsimo diſcrimini ſubtraxit. Quippè vbi victoria cæde conſummanda fuit, Tribuni, ac Centuriones, ferrum ſuorum retentantes, parcendum dedititijs inclammabant; quos deſperata ſalus, petendam ad miſericordiam impulerat. Viſa narro. Succubuerant penitùs nullo in reſtaurandam fortunam niſu, cum intra meditullium aciei eorum illatus eques, ferrum iuſſus retrahit, ac importuna commiſeratione, fructum mox conſummandæ victoriæ amittit. Nũquam ſatis fortunæ credideris, glaciei firmiùs quàm felicitati inſiſtes; exile temporis ſpatium, ſubita mutatione, rerum momenta verſat. Etiam tunc, dum fervidus ad cædem miles, eorundem ſuaſu qui modo ferociam incitabãt, lenteſcit: Moſchi reſumpto animo ordines reſtituebant, ac retroacto pauliſper agmine, ſe ſe intra carraginem cõ-

w Prytom.

tulêre.

tulere. Enimverò evanidâ deditione, ac futili clementiæ ſucceſſu, maiori fervore pugna recruduit. Auſculta bellator, & Punici Ducis exemplo artem perfectæ victoriæ diſce: nec ante, ſed poſt pugnam, gladio moderare. Reſtituta Moſchi acie, & iam obiectu validæ carraginis ſecuri, continuis ictibus Polonos affligebant, eò notabiliori ſtrage, quòd Caſtra noſtra à tergo crebris ignibus collucentia, intermedias legiones, certiores ad ictus monſtrarent. Redit interim faventior belli conſilijs dies, ſubibatq; Ducum animos, clara luce corrigere, quod per noctem peccatum. Requiſiti primores Scytharum, cur ſub prælij fervorem campo deceſsiſſent? obtendebant in ſolitos per noctem agendi; neq; laſſatis de diè equis adeſſe ſibi lixas, qui pabulum procurarent. Intenſiſsimo gelu, ac rara inter exempla numerando rigebat humus, (vnde frigidior aura non alimentis refectum militem mirè affligebat) cùm Duces obſidium hoſtilis Carraginis moliri intendunt. Apparebat quippè ſi lento conamine tentaretur, plus morâ profici poſſe: præſertim cùm nec aquam explendæ ſiti, nec ligna præſto haberent, refovendis igne ſuorum corporibus. Emoriebatur interim frigore pedes noſter, adverſus cæli iniuriam nec veſtimento nec cibo proviſus; Equeſtris tantùm legiones, vndiq; circumpoſitæ ſtabant, quæ eruptiones aut fugam hoſtium arcerent. In tertiam vsq; diem ſubitarijs incurſibus pugnatũ, ad iugiter exagitandum hoſtẽ inſtitutis, quem moliri aliquid ex continuo motu apparebat. Nec falſa coniectura fuit, cùm Chmielnicius quævis pacis media, non niſi exitio ſuo conſtituta credens, è naſſa fortiori conſilio ſe expedire ſtatuiſſet. Itaq; Purificatæ VIRGINIS MATRIS pervigilio, Carraginem torquibꝰ ferreis concatenatam in quadra componit, ordinibus Curruum tuendis ſtationarios aſsignat, Equite, cuius tunc nullus vſus, intra recepto: tum vbi inditæ ſuis loculamentis machinæ, in viam ſe dedit. Gemino milliari Fortalitium Buki petebatur, quò tendenti, non flumen aut traiectus ali-

Buki.

quis

1651. quis moram iniecturus esset, si modò vim Polonorum eluderet. Sobiesciana, ac Aulicensis Castellani Legiones campo inerant, quæ donec in celerrimum procursum exercitꝰ acciretur, vestigio abeuntium inhæsere. Superveniunt Duces, ac ambo in tela ac ignes ruunt, sequentium legionum agmen in abeuntes immittendo. Verùm invasa curruum compages vel equorum pulsata pectoribus, solvi aut laxari haud poterat; nisi quod extremo latere ad bis mille currus, cum septem Tormentis avulsi sunt. Ita abibat securus discriminis hostis, cùm vltra possibilitatis terminos videretur, carraginis claustra nudo equitatu perrumpere. Permissus Fato ac itineri ad Ochmatovum deflexit, ac obsessum ibi Puszkarenkum mirâ audaciâ ac successu liberavit. Diggressis vtrisq; , quòd campo depulisset Moschos Polonus superiorem se tulit; etiam isti quod vivi evaserant victoriam vocavêre. Vltra Novem Mill: Moschorum interijsse non procul verò fuit, vasta qua pugnatum aréa, vndiq; cadaveribus constrata. Tormenta præter XX. nocturno prælio intercepta, XVIII. maioris modi in loco pugnæ deserta, sed contusis nè vsus essent ansis, & impacto ignitabulis ferro inutilia. Signa maioris victoriæ speciem dabant, picta Divûm effigie, ac diluto in coloris vsũ auro, multa arte insignita. Luctuosum nostris vicisse, si modò victoria nominari potuit; quæ insignes familias cohortesq; multiplici iactura funestavit. Łabęcius, Grodecius, Siemaszko Wirzchlenius turmarum Præfecti: quatuor Optiones, tredecim cohortium Vexilliferi; inter alios Poradovius Marchionis Myszkovij, ac Sporkus Episcopi Cracovienſis (nam is egregiam Hastorum cohortem proprio sumptu in id belli expedierat) animo ac meritis præsignes ambo: ac vltra CC. commilitones, præter servitia cæsi. Maior peditum iactura, sed quos magis frigoris violentia, quam hostile ferrum absumpsit. Ex præfectis digna memorari virtus Grodzicij armamentario Præfecti; Ioannis Pauli Celarij, Iacobi Czarnovij aliorumq; vel cedro inscri-

Łabęcki Grodecki. Siemaszko, Wierzchlenski Poradowski. Szporg.

no mina

nomina meritorum. Quod in primò succedentis prælij cõgressu cohibitum ferrũ, iussusq; parcere cædibus miles, nè ipsi quorum id peculiare erratum, diffiteri sustinuêre; more nostro, apud quod paucorum error omnibus imputatur; contra præclarè facta omniũ, vnꝰ vsurpat. Etiam remissior Scytharum opera, haud quaquam bona fide societati respondit. Siquidem fama evaluerat fraude Chmielnicij largientis, corruptũ Chamambetũ, vbi satiatus auro, ferro peperciſſe. Constitit superventu Soltan Galgæ acriùs redargutum, cur in conficiendum prælium derrectasset operam, negasse obiecta? fassum nihilominus, submissos à Chmielnicio qui solicitarent, vt in veterem amicum mitius ageret; sed reiecta postulata, ob impossibilitatem præstandi. Præcipuum inter nostros ex machinis Moschicis nocumẽtum; nec minor vbi sine noxa transvolant, admiratio. Borakovio, vt attingam, globo grandiori in fragmenta concissum cui insidebat ephippium, laceratus equus, ipse salvus est; Raszovio crista galeæ ori aptata decutitur; Otfinovio capulus frameæ ictu comminutus, nulla corporis læsione. Etiam qui hæc scribo (quidni enim in recognitionem beneficij memorem?) dum in pedes discurrens vim frigoris eludo, globo machinali in fæmore dextro percutior. Terror ipse in mortem sufficiebat: sed aut telũ (semi Carthaunæ erat) à terra repercusum vim amisit, aut obliquo ictu vestes tantum perstringens, corpori pepercit; in Fatum non inquiro; illæsus mansi, etsi ex gravi ictu diu attonitus. Id quidem vt omnia, Immaculatissimæ Matri Virgini post Deum, in acceptis fero, ad creberrimos tormentorum iactas amuleti loco vsus, ex Hymno Ecclesiæ verbis, Monstra te esse Matrem. Ac nè quid fictum, aut ad iactãtiam compositum proferam, facit inadulabilis æternæ veritatis Mater, cui etiam per officium à vero aliena afferre, pijaculum est. Maiorem fortuito casum vt tunc accidit, subnecto. Komorovius è hastata Campiducis cohorte miles, ferreo torace pectus munitus, glande machinali

Borakowski. Raszowski. Otfinowski.

Komorowski

traijcitur, telo per averſam corporis partem erumpente. Lethale vulnus erat, proximas cordi arterias ictu convellente, ac præ cruoris effluxu, viribus ægrum deficientibꝰ. Mors inſtabat, ille tamen brachio ſuper famulum innixus, per viam Divæ MATRIS opem implorat, neu ſe inconfeſſum mori ſineret. Bulliente vtroq; vulneris hiatu ſanguine, ac vltra quinq; ſtadia progreſſo, accitus Sacerdos adeſt, aptatq; aurem confeſſuro. Recenſebat conſcientiæ nævos, fortè diutiùs intra animum celatos, lachrymasq; diu in pœnitentiam fudit, nullo deficientis vitæ ſigno: cum proferēte verba Sacerdote reatum ſolventia, velut in ſoporem reſolutus vita abit Komorovius; non magis præclaro fine memorabilis, quàm ſupremis noviſsimè felix. 1655.

Ochmatow. Zywotow. Ab Ochmatovo, Zywotovum verſùs motis ſignis, miſerabile ſpectaculum oculis ſe dabat, dum pedes ac lixæ, nimia frigoris vi exanimati; alij impedito greſſu nive obruti, aduſtis gelu artubus, paſsim quà inter exercitui ſtrati viſerentur. Conſtitit maiorem ab inclementia cæli, quàm ab hoſte illatam legionibus iacturam. Itaq; Generalis peditū conſulendo, eundem cum re armamentaria Szarogrodum expedivit, Thethyioviæ ipſe ſubſiſtens, vt ſi quæ divexandi hoſtis poſsibilitas daretur, occaſioni non deeſſet. Et plures offerebantur, niſi gravem tot malorum tolerantiam aſperaret, Scytharum inconſtantia, qui in prælia pigri, in prædas avidi, iam tum miſsionem importunè vrgebant. Solabatur nihilominus recentium auxiliorum Crimo ſpes, notitiaq;: quod enim non ex voto Menli-Gerey reſponderet, id imperitia per ætatem fieri, aut veriùs fraude eorum, qui iuvenem præceptis ſuis moderarentur. Aſt ſi alius animo & vſu rerum validus, ſexdecenni ephebo ſuccederet, renovato iterum bello arſuram Vkraynam, & recentibꝰ auxilijs, impares fore Moſchorum vires, periti rerum cenſebant. Itaq; Duces recenti terrore & continuo motu ad exagitandum hoſtem verſi, levioris armaturæ cohortibus, circumcurſare municipia iubebant, metum intendendo, neq;

Thethyiow.

neq; ſpem veniæ auferentes, ſi quæ fidei & clementiæ Polonorum ſe committerent. Verùm tanta inerat animis hominum pertinacia, vt frigore aut inedia perire, etiam Scythis mancupi venire præoptarent, quàm ſe tradere vitam donantibus. Diſtributæ erant Moſchorum copiæ Białacerkwam, Stawiſcios, aliaq; non immunita loco, proviſo in ante commeatu: Coſaci itidem ſua per municipia ſeceſſerant, ſed maximè propè Hyppanis ripam traducti, quo adventantes è Crimo Scythas inſperato occurſu adorirentur: iam quippè ſubmittenda auxilia iſtis innotuerat. Vnde ſeu conſilijs noſtrorum penitius explorandis, ſeu quo diſtineret ſuccurſum, in Scythas intentus, Bohunum cum Zelencio expedierat Chmielnicius, vt iſti laſſos ac incautos per ſtativa Polonos aggreſsi, conſilia & rei gerendæ opportunitatem periclitarentur. Solertiam equidem exploratorū animam belli gerendi haud immeritò dixerim; prælia impetu ac ſorte tranſiguntur; at qui ſagaciter intima hoſtiū veſtigavit, ſecurius vincere cœpit. Fruſtra ſtrepunt arma, aut incurſu cuncta vaſtantur, ſi non meditata alteri penetras, penetrata in vſum vertis. Etiam tum contigit, quippè vbi ex perfuga, deſtinata Bohuni noſcuntur, ſummo ſilentio Campidux, levioribus cohortibus adiuncto Valachorum auxiliari agmine, (venerant iſtorum XXVII. ſigna cum Woyciechovio Præfecto) in adverſos ac prævenWoyćiechowſki tos ivit, auctusq; accurſu Czarniecij profligavit. Ductores fuga ſoluti conſuluêre, Kieſience Arx cum oppido aſpero ſitu, vbi tum profugis receptus, per vim ſubacta ac exſciſa eſt. Similia experimenta in Kryſtynipole, Kiriowka, Leſzczynowka, Bereſtki, &c. &c. imperſuaſibili deditione, ſucceſsêre: iamq; ora intra Hyppanim egregiè turbis repurgari potuit; niſi Scythæ perſeverandi inconſtantes, aut quo ante veris reſolutionem ſecuriùs ſubducerent manubias abirum maturaſſent. Adiunctæ abeuntibus ob ſecuritatem cohortes, nam id enixè poſtulavêre; valituro in Galgam illicio ſi ſui præda aucti, etiam addito præſidio ſecuri

remearent. Dehinc exhausta penitō ora movit Exercitō, ad
1655. Tyram deflectendo, vbi referta passim oppida, etiam conquirendæ ex Valachia annonæ ratio ostenderetur. Ad Sawranium demum grave mancipijs, Scytharum agmen à nostris seiunctum; misso simul Stanislao Iordan, qui recentes suppetias, vbi istæ cum Mengligereo perdurare nō possent, acciret.

Ineunte Martio Solʼtan Galʼgam adventare ex præmissis noscitur. Ingentibus sanè copijs succinctus veniebat, vltra LX. Mill: Equitatus trahens, terrendis hostibus non ineptum numerum, nostris nimio auxilio non iniquè formidabilem. Adventanti, Duces apud Sucham Dambrowam occurrêre: obviam venientibus prodeunte Themir Aga intimo consiliorum moderatore. Sub tentorio degebat Galʼga quod congesti in cumulos nives vallaverant, subeuntes Duces, adpressa pectori manu excipiens; etiam istis levi capitis motu primum salve expedientibus. Venerabilis senum corona stipabat discumbentis latus, cum in tempus depositō frontis rigore, ad Duces inquit. *Destinatū vobis bellum, nulla sui adventum promittentis habita ratione, & qui præreptam de gente amica bene merendi occasionem vnicè doleat. Non tamen dubitare quin operæ probandæ; adhuc dum locus ac tempus offerri possint.* Adhæc Potocius; momenta bellorum, occasionibus stare respondit, quibus vbi se dant, consilia aptari expediat. Vsos se hyemis opportunitate, dum non flumina & paludum traiectus, neq; vllæ ignaviæ latebræ hostem tegunt. Quid si maturasset Galʼga adventum, datis stando per lascolscium promissis, facturum sanè insigni temporis & successus lucro. Neq; nunc extra vsum operam censere, si delitescentem intra latibula feram, vtriq; exagitant. Adiecit insuper, quàm grandi & cruento prælio decertatum esset: quàm ācciſæ hostium vires, & mox si vtriq; animosè pergunt, proterendæ. Magnifica in speciē dici non ignorabat Galʼga, vel solis equis inediâ novissimè attritis, gratum nihilominus dixit quod mentis suæ copiam

Duces

Duces facerent. Deprecabatur simul tardum adventum, vt qui proveniſſet ex eo, dum Cosacorum lembos in fera Borysthenis ripa exivit, vt effugium præcluderet. Summa colloquij in eo definebat, monstrare vtrisq; alacritatem demùm vt vtræq; gentes momentanea in hybernis quiete respirarent. Itaq; dispertitis circa Tyram legionibus, ijsdem municipijs socij hærebant, ijsdem alebantur horreis, contubernio nostris omninò mixti ac familiares. Subsistebat Oraczkowiæ vasto municipio cum legione Regia Czarniecius; simul Moniak Solʼtan forma moribusq; liberalis; hìc accidit Polonum pro fæni manipulo cum Scytha rixatū, ferro eidem amputasse auriculam; qui idem raptus in recenti crimine sistebatur Solʼtano: ad Wilczkovium legioni sub absentiam Czarniecij Præfectum remissus quo castigaretur. Dantur Iudices, exponit querelam auremulctatus Scytha, ac fustigari iussum advertens, tanquam indebitè tergo lueret, qui manu peccaverat, decerpit dentibus reo auriculam, ac mox repositā vice vlteriorem pœnā deprecatur: more gentis apud quam caput pro capite, mēbrum pro membro reponere de iustitia censetur. Quippè fateri necessum, raras apud illos contentiones ac dissidia, cum nec luxu nec convivijs diffluant, quæ apud nos humanitatis officia, in rixas vertunt. nulla furta, rarissimæ cædes, nec nisi fortuito accidunt, si æquè in homines feritas & repugnans naturæ libido abesset, moribus non planè culpabiles. 1655.

Erant per id temporis vicini, qui increscentibus Poloniæ malis, amicum in modum condolerent; nec defuêre osores, datis in publicum scriptis, ex contracta Scythis cum societate factum carpentes; quòd fœdera cum infidelibus contrahere nefas sit; tùm nullum Regnum Remq; publ: auxilijs Barbarorum esse defendendam! Firmabatur assertio prolixis Sacræ Scripturæ citationibus, Deo cum profanis gentibus commercia Israélitis omninò vetante. Ad hæc caritas religionis obtentui, ob quam præstaret succumbere

1655. gentibus, quàm ſocietate infidelium maculari. Etiam cõtra legem polyticam peccare eos, qui opem externam acceſſant; regnorum arcana, vires ac conſilia populorum, etiam rationem ſtatus ſcrutari, ac prænoſcere auxiliares, vbi hoſtes ex ſocijs fiunt. Malè Heraclio Imperatori ceſſiſſe, evocatis in ſubſidium Saracenis: improſperè Andronico Conſtantinopolitano accerſitis in contendentes æmulos Turcis. Taurica, olim Liguribus poſſeſſa, nunc à Scythis velut hæreditas habetur. Itaq; præter enormè ſcandalum, contra civilis prudentiæ Canones peccari; Chriſtianis in qualeſcunq; hoſtes infidelibus ſe ſociantibus. His proximè inſtanti à Suecis bello præludebatur. Servabo parumper digrediens debitæ reſponſionis filum, à tramite Hiſtoriæ non devius. Ac primò licita cum alienigenis fœdera convincit, Aſa Rex Iuda, Bennadadum Syriæ, in ſocianda arma trahens. *(3. Reg. 15.)* Iudas Macchabæus contra Soterem Romana ſocietate inclitus *(Macchab. 1.)* Ionathas potentioribus vicinis per pactiones adhæreſcens, Thæbea Legio Imperatori Maximino militans. *(Greg. Turon.)* Calixtus III. Pontifex Perſam Scythasq; contra Turcam alliciens. *(Platina)* Reges Catholici adverſũ æmulos Maurorum potentiâ freti *(Mariana)* Carolus V. Imp: Proteſtantium Legionibus vſus, quas nigras appellare ſolitus. *(Strada.)* Rex Gallus Sectarijs Batavis. *(Grammondo)* Batavi Venetis contra Paulum V. Pontificem opem pollicити. *(Grotius)* & quæ aliæ gentes adminiculo vicinorum, aut mutua ope ſe de hoſtibus vindicavêre. Imò ratio ex natura eſt, vim illatam quoquo modò propulſare ingerente. Si verò licet Elephantorum Equorum aliorumq; brutorum miniſterio vti; quidni hominum, eorum vel maximè, qui nuper nobis hoſtes, iam amici; imò ex pacto ſtipendiarij, ac in ius Clientelæ levi donario obligati.

Simul ac clementius cælum frigorum duritiem ſolvere cœpit, etiam Coſaci velut inſecta per hyemem emortua, reviviſcere moveri, carptim Scythas, furtim pabulatores noſtros

ſtros aggredi ea maxima ratione, vt ſcilicet ſub initiũ veris ſecurius ſemina terræ mandarentur; quod niſi fieret, miſerandam indici oportebat in ſequentes annos illis oris vaſtitatem. Acciſum ſub hæc Exercitus noſtri robur, enectus pedes, ſtrigoſi ac ceſpitantes equi, inſuper deſtitutus ſtipẽdio miles, vbi in præſtituram diem expiraret ſervitium, obſequium detrectabat. Epidemica lues ex reſoluto in vapores àére, ſeu in debilitata irrequieto actu corpora faciliùs irrepens, acriter graſſabatur: ſimili vt in peſte contagio, niſi quod remiſsior infectio, non omnes nec promiſcuè ẽnecare ſoleat. Non tamen Duces in ea laſsitudine otiari permittebant, Mankowkam Campidux irrito conatu oppugnaverat: Vſcie, Berſſady, Kamienica proſperiore ſucceſſu deleta; in expugnationes oppidorum Polonis agentibꝰ, Scythis manubiæ cedebant. Dolendum ſanè, tot capita in ſervitutem rapi, ſed miles ſævus eſſe cogebatur, in reſipiſcẽdi incapaces, & quos niſi perderet, ab ijs mox perdendus. Proverbium eſt, candelam lucendo conſumi, etiam Exercitus noſter diutino labore atterebatur; rareſcebant cohortium ordines, ſubtrahebant ſe Præfecti, ac Centuriones, vario prætextu dilabentes. In finẽ per ſtitêre, digni quorũ memoriam recolat poſteritas. Præter Duces, Metator Regni Czarniecius. Sobieſcius Iavorovienſis Præfectus (tantis diſcriminibus erudiri oportuit deſtinatum Diademati caput) Potocius Winnicenſis, Kalinius Bracłavienſis Præfecti. Wiſniovecij, Piaſoczynij, Daniełovicij, Cernerus Halicienſis Caſtellanus. Wyzycius, Woyniłovicius, Korycius, Machovius, Sokolnicius, Suchodolſcius, alijq; legionũ Legati. Cùm ecce fatali procella ab Aquilone reflante, in arcano primum Edicta Regis tranſmiſſa fuêre, partem Exercitus qui iam ægrè totus ſufficiebat, ex Vkrayna ſubducendi. Primus Metator Regni cum Legione Regia iuſſꝰ exceſsit, multa Scytharum incuſatione, quòd virum fortem, & in oppugnationes Caſtellorum fervidum, ægreferrent abire. Nimirum volupe erat Scythis, ſanguine ſociorum

1655. orum prædam ac manubias parari. Serius poſt Campidux cum Legionibus ſuis compellatorijs literis evocatus abſceſſit; delato tuendæ provinciæ negotio Generali Porocio, cui acciſis viribus ac exinanito peditatu quis ſucceſſus fuerit, Secundi Climacteris volumine (ſi Deus vitam & gratiam conceſſerit) renarrabo.

Clarum hoc Anno Roma funus duxit INNOCENTIO X. Pont: Max:, qui VII. Nonas Iánuarij Anno præſenti 1655. extremum diem clauſit magna Chriſtianitatis iacturâ: cùm vnicè à populo fideli amaretur, prudens & moderatus Paſtor, & quod eius Solij peculiare æquitatis ac recti tenax. Neq; improbavêre Sectarij, cauſam eorum diſcreto odio, perſonas debito honore habentem, & cui non ira, non odium, niſi ad menſuram rationis. Sub Vrbano Pont: ingentium negotiorum arbiter, conſilio & ſucceſſu valens, etiam prompta efferendis facundia, quæ conciperet aut meditaretur; donec indoles Annis langueſceret. Ex Pamphilorum Romana familia proceſsit, Vrbano VIII. Succeſſor datus. Conſcenſo Petri ſolio quantus eſſet oſtendit, procurata Vniverſali Germaniæ pace; vnde velut indicto Europæ otio, Chriſtianitatis arma aliquantum quiêvere. Suſpectum habebant Galli faventiorem Hiſpanis credendo: non ideo tamen Hiſpanis ſatisfecit, qui beneficia ſi non ex deſtinato proveniunt, faſtidiunt. Inijt Pontificatum An: CH: 1644.; præſenti tumeſcente per aquam intercutem corpore, tandem Chriſtianè ad modum in prima principia reſolvitur. Comitia ſacri Cardinalium Collegij ad vsq; VII. Nonas Aprile perdurarunt, pluribus ex eo Purpuratorum cætu morbo correptis; donec reſpiciente cauſam Eccleſiæ Numine, Fabius Chiſius Alexander VII. dictus Pontifex crearetur. Par animi dotibus Innocentio Succeſſor, ingenio ac literis præcellebat; quantarumvis functionum capax, ac componendis Europæ motibus indefeſſus Miniſter.

Claudat interim primi Climacteris decurſum Optimi Paſtoris mors; quem cœpit vltima Victorioſiſſimi Regis periodus.

A. M. D. G.

INSTYTUT

Geschn. Polen
152